



TRENT UNIVERSITY



LIBRARY
OF RELIGION





Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Kahle/Austin Foundation

125A 1194

740000

FG

IUS DECRETALIUM

TOMUS I.

IUS DECRETALIUM

AD USUM

PRAELECTIONUM IN SCHOLIS TEXTUS CANONICI
SIVE IURIS DECRETALIUM

AUCTORE

FRANCISCO XAV. WERNZ S. I.

TOMUS I.

INTRODUCTIO IN IUS DECRETALIUM

TERTIA EDITIO RECOGNITA



PRATI

EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

1913

LF

KBG

W4753131 t.1 .

P R A E F A T I O

AD PRIMAM EDITIONEM

Pius IX. per rescriptum S. C. Studiorum universitati Gregorianaë a. 1876. concessit facultatem canonicam atque ius in ea auditores ad gradus academicos promovendi. Quam concessionem Leo XIII. Brevi "*Romani Pontifices* „ 29. Iul. 1896. solemniter confirmavit. Hinc scholae *Institutionum canonicarum* in universitate Gregoriana iam institutae pro more Romae recepto duplex accessit schola *textus canonici* sive *iuris decretalium*. Quibus in scholis universum ius Decretalium a duobus professoribus intra biennium explicatur. Quo tempore auditores, qui studiis philosophiae et theologiae et *Institutionum canonicarum* rite absolutis baccalaurei gradum in iure ecclestastico consecuti sunt atque ex mandato Leonis XIII. sese unice studio iuris Decretalium dedicarunt, in fine primi anni examine superato ad gradum licentiati, finito vero biennio post felicem exitum examinis de universo iure ecclesiastico ad gradum doctoris sacrorum canonum promoveri possunt.

Munus docendi in scholis *textus canonici* Romae in universitate Gregoriana a quindecim annis mihi commissum ita exercere studui, ut cum auditoribus communicarem folia lithographica, quibus *summa* iuris Decretalium postea in praelectione solidis ordinatisque commentariis uberius explananda contineretur.

Quodsi nunc ob auditorum utilitatem et desiderium modesta folia lithographica in perfectiorem formam typographicam videantur esse redigenda, a nobiliori titulo *praelectionum* omnino abstinui. Etenim liber quoque typis impressus ex mea intentione illum habet finem principalem, ut

liber textus sit et habeatur ad usum praelectionum, minime vero ipsas praelectiones suppeditet vel suppleat.

Quae moderatio professori, qui scriptorem agit, haud raro difficilis est; at rationi et experientiae obsecundandum esse censui, ne confusio finium et scholarum oriretur parumque consuleretur verae auditorum utilitati.

Ne scientifica disputandi ratio deesset, imprimis curavi, ut *solida principia* in rebus canonicis tenenda accurate exponerentur, et *arctus ille nexus pateret*, qui inter *ius canonicum* et *christianam philosophiam* et *theologiam* intercedit. Origines quoque et vicissitudines *historicas* examinavi, quantum illis studiis perfectior cognitio *iuris canonici*, non archaeologia ecclesiastica promovetur. Denique omissis disquisitionibus obsoletis *disciplinam* praximque *vigentem* intra terminos scholae concessos explicare non neglexi.

Cum libertas professorum iuris Decretalium in materia assignata et ordine servando sit aliquantulum arctata, per viam quandam mediam incedere studui inter servilem retentionem et omnimodam reiectionem ordinis *legalis*. Qua in re, num extremos scopulos feliciter vitarim, sapienti iudicio lectorum relinquo. Primum tomum quinque alii quoad substantiam iam finiti Deo favente brevibus intervallis sequentur.

Romae in festo SS. Nominis Iesu d. 16. Ian. 1898.

P R A E F A T I O

AD ALTERAM EDITIONEM

Antequam huic operi finem imponere potui, necessitas mihi incubuit saltem trium priorum tomorum novam parandi editionem. Cui necessitati primo loco videbatur esse servendum; nam quatuor prima volumina *Iuris Decretalium* continent disputationes intime connexas et relative completas de universo iure Ecclesiae catholicae, dummodo excipias ius processuale atque poenale. Quare ex desiderio multorum et moribus inter bibliopolas receptis adlaborandum fuit, ut omnes tomi, quorum prima editio erat penitus exhausta, secundis curis expoliti typis quoque melioribus denuo imprimerentur, priusquam duo ultimi tomi fierent publici iuris. Quodsi ex illa dilatione incommodum oriatur, certe utilitate ex studiis de codificatione iuris canonici percepta abunde compensabitur.

In nova editione primi tomi quamvis a nimis frequentibus immutationibus abstinuerim, tamen praeter levioris momenti correctiones aliqua addenda esse arbitratus sum. Huc spectant longiora quaedam scholia de praeceptis ecclesiasticis (n. 135.) et de facultatibus a Sede Apostolica concessis (n. 163.). Omissis non paucis additamentis brevioribus nova quaedam accesserunt n. 7. de Ecclesia catholica, n. 10. de relatione Ecclesiae catholicae ad societatem civilem, n. 45. 50. de notione et divisione iuris ecclesiastici, n. 91. de subiecto activo potestatis legiferae in Ecclesia catholica, n. 100. de promulgatione legum ecclesiasticarum, n. 103. de subiecto passivo legum ecclesiasticarum et membris corporis Ecclesiae, n. 111. de legibus poenalibus Ecclesiae, n. 113. de confirmatione legum ecclesiasticarum, n. 144, de decretis SS. CC.,

n. 150. de rescriptis, n. 159. de subiecto activo privilegiorum praeter ius concessorum, n. 165. 172. 173. de concordatis, n. 188. 194. de consuetudine, n. 195. de legibus civilibus, n. 265. de codificatione iuris canonici, n. 278. de Syllabo Pii IX, n. 285. de antiquissimis scriptoribus canonicis. Tandem cum moderatione etiam allegavi et adhibui nova recentiorum scriptorum opera praesertim post primam editionem publicata.

Quae complures viri docti in laudem primae editionis scripserunt, grato animo accepto, atque ut in Dei honorem et Ecclesiae bonum cedant, sincere exopto. Grata quoque mihi fuerunt, quae iidem viri in opere meo emendanda esse significarunt; illorum enim desideriiis ad trutinam revocatis pro viribus satisfacere studui, sed quandoque etiam aliqua potius explicanda vel vindicanda esse existimavi. Faxit Deus, ut altera quoque huius operis editio in angustiis temporum praeparata saltem modicum quid contribuat ad promovenda studia canonica nunc in Ecclesia tantopere necessaria.

Romae in festo Paschatis d. 23. April. 1905.

FRANCISCUS XAV. WERNZ S. I.

P R A E F A T I O

AD TERTIAM EDITIONEM

A. R. P. Wernz mihi mandatum dedit ut tertiae editionis vol. I. iuris Decretalium curam susceperem. Quod mandatum dilectissimi magistri et egregii decessoris in cathedra iuris decretalium in Universitate Gregoriana pari amore et reverentia, ut aequum erat, suscepi.

Tertia ergo haec editio voluminis introductorii prodit sub modestiori titulo novae editionis recognitae; tum quia haec operis pars generaliora scientiae canonicae principia completitur aut in iuris historia versatur, in quibus ex natura rei mutationes minus locum habent, cum praesertim iam secundis curis in altera editione fuerint ab Auctore retractata et expolita, tum quia etiam in iis, quae iuris positivi sunt, minores in hac parte factae sunt iuris mutationes.

Nihilominus in hac recognitione doctrina auctoris fuit exigenda ad nova Sed. Apost. decreta ac praesertim fuerunt corrigenda, quae minus iam cohaerebant cum praescriptis const. " Sapienti consilio „, a quibus etiam generalia principia de legibus, rescriptis, privilegiis non parum dependent. Habenda quoque fuit ratio novae litteraturae canonicae cum moderatione allegando recentiorum scriptorum opera post alteram editionem publicata.

Romae in festo Nativitatis B. V. M. d. 8. Sept. 1912.

PETRUS VIDAL S. I.

DILECTO FILIO
FRANCISCO XAVERIO WERNZ, SAC. E SOC. IESU,
GREGORIANAE STUDIORUM UNIVERSITATIS
RECTORI.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam Benedictionem.

Sollertium sane curarum, quibus doctores decuriales Lycei magni Gregoriani lectos frequentesque numero adolescentes rite sacris disciplinis instruunt, praeclarum specimen Nobis, rector ipse Lycei, dedisti nuper de scientia et facultate tua. Volumina enim quatuor muneri obtulisti, a te adhuc edita de Iure Decretalium. Quod opus, etsi susceptum habes, ut alumnis disciplinae tuae esset usui, sic tamen videmus probari, ut omnibus ecclesiasticarum legum studiosis, eis etiam, qui hanc ipsam profitentur doctrinam, accommodatum valde atque utile praedicetur. In quo quidem docti atque intelligentes viri et dispartitam subtiliter materiem laudant, et singulorum copiosam eruditissimamque tractationem capitum, et petita vel ab historia canonum vel a philosophia iuris vel a finitimis doctrinis in rem lumina. Quum autem cetera merito efferuntur, tum numeris omnibus absoluta habetur ea pars operis tui, quae de Matrimonio est; ob singularem nempe summamque peritiam, quam diuturno usu eius generis causarum, consultor apud sacra Urbis Consilia, es consecutus. Est igitur, hoc tuorum laborum exitu, quod tibi et inclitae Societati Iesu gratulemur; idque quum libenter ex animoque facimus, te, ut instituta absolvere simili studio pergas, vehementer hortamur. — Auspicem interea divinatorum munerum, ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, tibi, dilecte Fili, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxvi. Iunii anno MDCCLCV., Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

INDEX ANALYTICUS.

PROLEGOMENA.

PROOEMIUM	Pag. 1
---------------------	--------

TITULUS I.

DE FUNDAMENTIS IURIS ECCLESIASTICI.

§ 1. De religione	9
§ 2. De Ecclesia catholica.	10
§ 3. De relatione Ecclesiae catholicae ad alias societates religio- sas	13
§ 4. De relatione Ecclesiae catholicae ad societatem civilem	15
§ 5. Historia relationis inter Ecclesiam catholicam et societatem civilem	21
I. A fundatione Ecclesiae catholicae usque ad edictum to- lerantiae Constantini M. (a. 29.-312.)	22
II. Ab edicto tolerantiae Constantini M. (a. 312.) usque ad interitum imperii occidentalis (a. 476.)	25
III. Ab interitu imperii occidentalis (a. 476.) usque ad Ca- rolum M.	28
IV. A Carolo M. (a. 768.-814.) usque ad dissidium de in- vestituris inter Gregorium VII. (a. 1073.-1085.) et Hen- ricum IV. (a. 1055.-1106.)	29
V. A Gregorio VII. (a. 1075.-1085.) usque ad conflictum in- ter Bonifacium VIII. (a. 1294.-1303.) et Philippum Pulchrum (a. 1285.-1314.)	32
VI. A Bonifacio VIII. (a. 1294.-1303.) usque ad reformatio- nem (a. 1517.)	34
VII. A reformatione (a. 1517.) usque ad revolutionem gal- licam (a. 1789.)	38
VIII. A revolutione gallica (a. 1789.) usque ad nostram aeta- tem	42

TITULUS II.

DE PRAENOTIONIBUS GENERALIBUS IURIS ECCLESIASTICI.

§ 1. De iure ecclesiastico universim spectato.	
I. De notione iuris ecclesiastici.	54
II. De variis nominibus iuris ecclesiastici.	59
III. De divisione iuris ecclesiastici	61
IV. De relatione iuris ecclesiastici ad alia iuris systemata	65

§ 2. De scientia iuris ecclesiastici.	
I. De definitione et partitione scientiae iuris ecclesiastici.	<i>Pag.</i> 66
II. De relatione scientiae canonicae ad alias scientias . . .	" 71
III. De scientiis auxiliaribus iuris ecclesiastici	" 73
IV. De methodo docendi atque discendi ius ecclesiasticum	" 75
V. De praestantia atque necessitate et utilitate scientiae iuris ecclesiastici	" 79
VI. De Bibliographia scientiae iuris ecclesiastici	" 80

PARS PRIMA.

DE FONTIBUS EXISTENDI IURIS ECCLESIASTICI SIVE

DE LEGISLATORIBUS ET LEGIBUS IN ECCLESIA CATHOLICA.

Praenotiones.	" 92
--------------------------------	------

TITULUS III.

DE DEO LEGISLATORE ET LEGIBUS DIVINIS.

(Lib. I. tit. 1. de summ. Trinit.)

Praenotiones.	" 94
§ 1. De Deo legislatore et lege naturali	" 96
§ 2. De Deo legislatore et lege vetere	" 98
§ 3. De Christo legislatore et lege nova	" 100

TITULUS IV.

DE LEGIBUS ECCLESIAE CATHOLICAE.

(Lib. I. tit. 2. de const.)

Praenotiones.	" 103
§ 1. De potestate legislativa Ecclesiae catholicae	" 105
§ 2. De subiecto activo potestatis legislativae in Ecclesia ca- tholica sive de legislatoribus ecclesiasticis	" 107
§ 3. De obiecto sive materia legum ecclesiasticarum	" 115
§ 4. De forma et promulgatione et vacatione et receptione legum ecclesiasticarum.	" 117
§ 5. De subiecto passivo sive de subditis legum ecclesiasticarum	" 124
§ 6. De effectibus legum ecclesiasticarum.	" 132
§ 7. De confirmatione legum ecclesiasticarum	" 136
§ 8. De cessatione et abrogatione legum ecclesiasticarum. . . .	" 140
§ 9. De excusatione et dispensatione in legibus ecclesiasticis . .	" 141
§ 10. De interpretatione legum ecclesiasticarum	" 149

SCHOLION I.

De verborum significatione	" 154
--------------------------------------	-------

SCHOLION II.

De regulis iuris	" 156
----------------------------	-------

SCHOLION III.

De praeceptis ecclesiasticis	<i>Pag.</i>	159
--	-------------	-----

TITULUS V.

DE CONSTITUTIONIBUS ROMANORUM PONTIFICUM

(Lib. I. tit. 2. de const.)

Praenotiones.	"	163
§ 1. De Decretis vel Decretalibus Romanorum Pontificum	"	166
§ 2. De Decretis SS. Congregationum	"	171

TITULUS VI.

DE RESCRIPTIS.

(Lib. I. tit. 3. de rescript.)

Praenotiones.	"	180
§ 1. De personis ad danda vel accipienda rescripta habilibus	"	184
§ 2. De forma legitima et vitiis rescriptorum	"	188
§ 3. De interpretatione et executione rescriptorum	"	191
§ 4. De duratione et cessatione rescriptorum	"	193

TITULUS VII.

DE PRIVILEGIIS.

(Lib. V. tit. 33. de privileg.)

Praenotiones.	"	195
§ 1. De personis habilibus ad concedenda et accipienda privilegia	"	199
§ 2. De obiecto et forma privilegiorum	"	202
§ 3. De usu et interpretatione privilegiorum	"	206
§ 4. De amissione privilegiorum	"	208

SCHOLION.

De facultatibus a Sede Apostolica concessis.	"	212
--	---	-----

TITULUS VIII.

DE CONCORDATIS.

(Lib. I. tit. 2. de const.)

Praenotiones.	"	218
§ 1. De subiecto concordatorum	"	228
§ 2. De forma concordatorum	"	231
§ 3. De obiecto concordatorum	"	232
§ 4. De necessitate et convenientia concordatorum.	"	235
§ 5. De vi et obligatione concordatorum	"	237
§ 6. De interpretatione concordatorum.	"	257
§ 7. De derogatione et abrogatione et cessatione concordatorum	"	259

TITULUS IX.

DE DECRETIS CONCILIORUM.

(Lib. I. tit. 2. de const.)

Praenotiones.	<i>Pag.</i> 263
§ 1. De decretis Conciliorum oecumenicorum	" 266
§ 2. De decretis Conciliorum particularium	" 270
§ 3. De statutis Synodorum dioecesanarum	" 273

TITULUS X.

DE CONSUETUDINE.

(Lib. I. tit. 4. de consuetud.)

Praenotiones.	" 276
§ 1. De iure tradito.	
I. De notione et divisione et historia iuris traditi	" 277
II. De testibus iuris traditi eorumque auctoritate.	" 278
§ 2. De iure consuetudinario.	
I. De notione et divisione et historia iuris consuetudinarii	" 281
II. De vera causa efficiente consuetudinis iuris.	" 286
III. De conditionibus requisitis in consuetudine facti ad induendam consuetudinem iuris	" 289
IV. De effectibus consuetudinis.	" 295
V. De probationibus consuetudinis	" 297
VI. De cessatione et abrogatione consuetudinis	" 298

SCHOLION.

De legibus civilibus	" 302
--------------------------------	-------

PARS SECUNDA.

DE FONTIBUS COGNOSCENDI IURIS ECCLESIASTICI
SIVE DE COLLECTORIBUS
ET COLLECTIONIBUS IURIS ECCLESIASTICI.

Praenotiones.	" 309
--------------------------------	-------

TITULUS XI.

DE ANTIQUIS IURIS ECCLESIASTICI COLLECTIONIBUS.

(A fundatione Ecclesiae usque ad Gratianum a. 29.-1139. | 1150.)

§ 1. De sacra scriptura et traditione divina.	
I. De sacra scriptura	" 311
II. De traditione divina	" 314
§ 2. De collectionibus iuris apostolici	" 316
§ 3. De collectionibus Decretalium Rom. Pontificum	" 318
§ 4. De collectionibus canonum Conciliorum	" 319
§ 5. De collectionibus graecis iuris ecclesiastici	" 321

§ 6. De collectionibus latinis iuris de ecclesiastici	<i>Pag.</i> 324
§ 7. De spuris iuris ecclesiastici collectionibus saeculi noni	” 329
§ 8. De collectionibus iuris ecclesiastici occidentalibus post Pseudo-Isidorum usque ad Gratianum	” 337
§ 9. De singularibus collectionibus iuris ecclesiastici usque ad Gratianum.	” 341
§ 10. De collectionibus iuris civilis Romani et germanici in antiquis collectionibus iuris ecclesiastici allegatis.	” 344

TITULUS XII.

DE NOVIS COLLECTIONIBUS IURIS ECCLESIASTICI.

(A Gratiano usque ad Concilium Tridentinum a. 1139. | 1150. - 1545. | 1563.)

§ 1. De Decreto Gratiani	” 350
§ 2. De antiquis Decretalium collectionibus.	” 357
§ 3. De Decretalibus Gregorii IX	” 360
§ 4. De Decretalibus Bonifacii VIII. sive de Libro Sexto	” 365
§ 5. De Constitutionibus Clementis V. sive de Clementinis.	” 368
§ 6. De Extravagantibus Ioannis XXII. atque Extravagantibus communibus	” 369
§ 7. De Regulis Cancellariae Apostolicae et decisionibus Rotae Romanae	” 372
§ 8. De Conciliis et concordatis saeculi decimi quinti	” 375

TITULUS XIII.

DE NOVISSIMIS COLLECTIONIBUS IURIS ECCLESIASTICI.

§ 1. De canonibus et decretis Concilii Tridentini.	” 379
§ 2. De nova editione corporis iuris canonici per Gregorium XIII.	” 381
§ 3. De Clementis Papae VIII. Decretalibus	” 385
§ 4. De Bullariis	” 386
§ 5. De collectionibus decisionum SS. Congregationum Roma- narum	” 387
§ 6. De collectionibus decretorum recentiorum Conciliorum	” 390
§ 7. De actis et decretis Pii IX. et Leonis XIII. et Pii X.	” 392

PARS TERTIA.

HISTORIA LITTERARIA SCIENTIAE IURIS ECCLESIASTICI.

Praenotiones.	” 396
--------------------------------	-------

TITULUS XIV.

HISTORIA LITTERARIA SCIENTIAE IURIS ECCLESIASTICI.

A FUNDATIONE ECCLESIAE A. 29. USQUE AD DECRETUM GRATIANI A. 1139. | 1150.

§ 1. A fundatione Ecclesiae (a. 29.) usque ad primas collectiones canonum (a. 451.)	” 399
§ 2. A primis collectionibus (a. 451.) canonum usque ad Decre- tum Gratiani (a. 1139. 1150.)	” 400

TITULUS XV.

HISTORIA LITTERARIA SCIENTIAE IURIS ECCLESIASTICI.

A DECRETO GRATIANI A. 1139.[1150. USQUE

AD CONC. TRID. A. 1545.[1563.

§ 1. De antiquis Decretistis et Decretalistis a Deere- to Gratiani usque ad Decretales Gregorii IX. (a. 1139.[1150.-1234.)	
I. De Glossatoribus Deere- ti Gratiani sive de antiquis De- cretistis.	<i>Pag.</i> 401
II. De antiquis Decretalistis	" 406
§ 2. De Decretalistis a S. Raymundo usque ad Ioannem Andreae (a. 1234.-1348.)	" 410
§ 3. De Decretalistis a Ioanne Andreae usque ad Abbatem Si- culum (a. 1348.-1453.)	" 416
§ 4. De Decretalistis ab Abbate Siculo usque ad reformationem Tridentinam (a. 1453.-1545.[1563.)	" 422
§ 5. De Scholis atque libris Deeretistarum et Decretalistarum.	
I. De scholis Deeretistarum et Decretalistarum	" 425
II. De libris Deeretistarum et Decretalistarum	" 429

TITULUS XVI.

HISTORIA LITTERARIA SCIENTIAE IURIS ECCLESIASTICI

A CONCILIO TRIDENTINO USQUE AD LEONEM XIII.

A. 1545.[1563.-1905.

§ 1. A Cone. Trid. usque ad Pium VII. (a. 1545.[1563.-1801.).	
I. De scholis et libris canonicis huius epochae universim spectatis	" 431
II. De scriptoribus et libris canonicis huius epochae in specie.	" 433
§ 2. A Pio VII. usque ad Pium X. (a. 1801.-1912.).	" 458
INDEX ALPHABETICUS	" 469

PROLEGOMENA

PROOEMIUM

1. Imperator *Iustinianus* praeter *Digesta* sive *Pandectas* et *Codicem* etiam promulgavit *Institutiones*, quae essent totius legitimae scientiae prima elementa, iisque plenissimum suarum Constitutionum robur accommodans simul vim collectionis authenticae iuris Romani impertitus est (1). Praeterea Const. " *Onnem reipublicae* „ 16. Dec. 533, praescipit, ut, qui legitima peragerent studia, primo anno suas haurirent *Institutiones*, servata in reliquam anni primi partem et quatuor annos subsequentes *Digestorum* et *Codicis* lectione.

Quae *Iustinianus* in omne aevum ab omnibus tam professoribus quam legum auditoribus observanda esse sanxerat, ea magna ex parte usque ad nostram aetatem moribus recepta sunt. Nam etiam nunc in universitatibus litterarum duplex esse solet schola iuris Romani, scilicet una de *Institutionibus*, altera de *Pandectis* (2).

2. In foro ecclesiastico non existunt *Institutiones*, quae et scientiae canonicae prima sint elementa et simul iuris pontificii brevem et authenticam exhibeant collectionem. Siquidem *Institutiones* iuris canonici Lancelotti († a. 1590.), quae prima vice Perusiae anno 1563. publicatae fuerunt et inter appendices corporis iuris canonici referri solent, ut pontificio nomine exirent, cum gravi auctoris moerore non sunt consecutae (3).

Attamen longo saeculorum usu in scholis catholicis (4) et nostra quoque aetate praesertim in studiis generalibus Roma-

(1) *Laurin*, Introd. in corp. iur. can. pag. 246.

(2) *Leo XII.* Const. " *Quod divina sapientia* „ 28. Aug. 1824. n. 209.; *Arndts* († a. 1878.), *Iurist. Encyklop. u. Methodolog.* §§ 160. 164.; *Vering*, *Gesch. u. Pand.* § 2.; *Accarias*, *Précis de droit romain* p. V. sq.

(3) *Laurin*, l. c. p. 227.

(4) *Canisius* († a. 1610.), *Summa iur. can.*; *Doujat* († a. 1688.), *Praenot. can. lib. V. cap. 21.*; *Zech* († a. 1772.), *Praecognita iur. can.* §§ 4. sq.; *Scherer*, *Handb. d. Kirchenr. t. I. p. 121. sq.*

nis *Institutiones canonicae* praelectionibus de *iure Decretalium* praemitti solent (5). Quam methodum, si commode fieri possit, in scholis canonicis omnino retinendam esse luculenter docent Romanorum Pontificum auctoritas et praxis longo tempore comprobata et rationum pondus virorumque doctorum effata (6).

Et prior illa schola in facultate canonica aptissime ex iure Romano obtinuit nomen *Institutionum canonicarum*; in ea enim traduntur scientiae canonicae prima elementa. Altera vero schola, cum ex propriis fontibus iuris canonici conveniens appellatio repeti possit, antiqua et nova praxi (7) merito dicitur *schola iuris Decretalium* sive *textus canonici*, sicut in facultatibus iuris civilis a *Pandectis* nominantur scholae, in quibus absolutis *Institutionibus* diligentissima atque exactissima interpretatione singula traduntur iura populi Romani. Cfr. § 2. Inst. de iust. et iure I. 1.

Quod nomen scholae iuris Decretalium adhibetur propter *obiectum principale*, quemadmodum *Bernardus Papiensis* in prooemio *Summae Decretalium* (8) libellum Extravagantium a maiore parte Decretalium nomen accepisse dicit. Minime autem solae Decretales Gregorii IX. comprehenduntur, sed etiam Decretales Bonifacii VIII. et Clementis V. Const. atque Extravagantes Ioannis XXII. et communes.

Porro a schola iuris Decretalium non excluditur Decretum Gratiani; est enim iuris Decretalium praeformatio illudque supplet et in multis quaestionibus historicis iuris canonici non pauca subministrat elementa (9).

Tandem a iure Decretalium aliena non sunt statuta canonica post compilationes authenticas condita velut decreta Concilii Tridentini et Const. Rom. Pontificum. Illa enim iuri De-

(5) *Leo XII.* cit. Const.; *Pius IX.* Const. « *Cum Romani Pontifices* », 28. Iun. 1853. et Const. « *Ad piam* », 3. Oct. 1853.; *Leo XIII.* Const. « *Magni nobis* », 7. Mart. 1889.; Constitutiones generales catholicae universitatis *Americae* Washingtonensis apud *Nilles*, Comment. in Cone. plen. Baltim. tert. P. II. p. 205. sq. et praesertim p. 220.

(6) *Fessler*, Sammlung vern. Schrift. p. 107.; Arch. f. k. K. t. 59. p. 181. sq. p. 193.

(7) Cfr. supra not. 5. 6.

(8) *Bernard. Papiens.*, Summa Decretal. ed. *Laspeyres* p. 2. Qua ratione de *obiecto principali* attenda, complures difficultates contra nomen *iuris Decretalium* v. g. ex iure consuetudinario petitae iam in antecessum expediuntur.

(9) *Pirhing*, Ius canonic. in quinque libros Decretalium (sine ullo additamento) tom. I. proem. § 6.

cretalium tamquam solido fundamento innituntur, non raro antiquas leges ecclesiasticas confirmant vel immutant vel ampliunt atque perficiunt (10). Quodsi deinceps Pii X. Motus proprius “ *Arduum* „ 19. Mart. 1904. de Ecclesiae legibus in *unum* colligendis per legitimam approbationem et promulgationem novi corporis iuris canonici a R. Pontifice factam executioni fuerit mandatus, multo magis *Decretales* (Pii X.) *pontificiae* constituent *saltem* principale obiectum solidioris studii canonici.

3. Quae sit *notio* et *habitus* utriusque scholae canonicae, licet ex praemissis iam aliqua ratione deduci possit, tamen propter diversas ea de re opiniones (11) breviter videtur explicandum.

Itaque in *schola Institutionum* canonicarum *generalis* et *selecta* et *incompleta* quaedam traditur materia. Nam non raro v. g. universa fere disputatio de Ecclesia ex theologia dogmatica supponitur, explanatio iuris matrimonialis et censurarum theologiae morali relinquitur, alia potius attinguntur quam tractantur.

Praeterea *compendiosa est tractatio*, et levi simplicique via proceditur, disquisitionum historicarum moderatus est usus, nisi forte excipias historiam de fontibus iuris ecclesiastici et principalioribus quibusdam institutis canonicis velut de electione Romani Pontificis et Episcoporum. Quae moderatio servatur, ut eo facilius disciplina vigens saltem per summa capita proponi possit.

Denique a multis controversiis discutiendis prudenter abstinetur, neque diligentissima et exactissima interpretatio traditur capitum iuris Decretalium aliorumque textuum canonicorum (12).

In *scholis* vero *Decretalium universum ius canonicum*, quae late patet in collectionibus et fontibus authenticis et etiam nunc est practici momenti, commentariis est illustrandum. Hinc ex commentatoribus iuris Decretalium v. g. *Reiffenstuel* et *Schmalzgrueber* commentarios suos appellant: “ *Ins ecclesia-*

(10) Cfr. Conc. Trid. ed. *Chiffletii* p. 343. sq. vel *Richter* p. 631. sq., ubi referuntur capita iuris antiqui a Cone. Trid. innovata et Constit. Rom. Pontif. ad interpretationem et executionem Conc. Trid. editae; *Maschal*, *Instit. eanon.* vol. II. p. 18. sq., ubi eleneh. II. reeensentur *Decretales* a Cone. Trid. correctae; *Fessler* l. e. p. 109. sq.

(11) *Cavagnis*, *Inst. iur. publ. eccl.* P. I. p. VI. sq.

(12) *Zech*, l. e. §§ 4. sq.; *Devoti*, *Instit. eanon.*, praef.

sticum (canonicum) *universum* „. Imo *Devoti* illis verbis: “ *Ius canonicum universum publicum et privatum* „, ne publicum quidem ius a schola iuris Decretalium omnino excludendum esse satis insinuat.

At illud ius publicum Ecclesiae, quod fundamentale vel divinum appellant et nunc saltem Romae atque in non paucis aliis regionibus propriae scholae est assignatum, in antiquo corpore iuris canonici specialem sedem non obtinuit, et nisi totus fallor, etiam in Decretalibus Pii X. non habebit. Hinc *titulus* “ *iuris ecclesiastici universi* „, quamvis de se placeret, fuit seponendus, ne res insinuarentur in hoc opere non contentae; etenim disputationes ex professo de iure publico et fundamentali a schola textus canonici sive iuris Decretalium alienae esse solent.

Quodsi praelectiones de iure Decretalium *extensione et ambitu materiae* Institutiones superent oportet, ut perfectiore, quoque *disputandi genere* praestent, omnino requiritur. Id quod fit tribus potissimum modis.

I. *Principia fundamentalia et generalia* universae scientiae canonicae accurate sunt evolvenda. Quem finem non pauci commentatores iuris Decretalium v. g. *Devoti* praemissa dissertatione prooemiali sibi consequendum praestituerunt. *Zaltinger* vero suis commentariis quinque librorum Decretalium praemittit proprium librum de iure ecclesiastico publico una cum libro subsidiario, “ *qui est isagogicus et principia ac fontes iuris ecclesiastici exhibet* „. Porro disputandum est de *fontibus* iuris canonici eorumque *historia*, non pedestri illo disserendi genere Institutionum, sed solida profundaue ratione. Quibus quaestionibus generalibus praesertim nostra aetate accedat necesse est saltem brevis exhibitio *bibliographiae* canonicae eiusque *historiae*, ne quasi una regione unoque saeculo universa scientia canonica videatur esse conclusa.

II. *Ortus et progressus, mutationes et fata institutorum et decretorum* canonicorum inde a primis saeculis usque ad nostram aetatem explicari debent, ut *historia iuris* cum non mediocri scientiae canonicae emolumento ob oculos ponatur. Quam provinciam scholae iuris Decretalium merito iam vindicavit *Zech* l. c. § 12. neque historiam iuris ecclesiastici ad scholam Institutionum canonicarum amandandam esse arbitratus est. Quin imo *Devoti*, ius canon. univ. tom. I. praef. p. VI. ingenue fatetur in operibus v. g. “ *Fagnani, Leurentii, Pirhingii, Anaecti, Schmalzgrueberii, ceterorum similibus, qui...*

nihil de rerum originibus et antiquitatibus investigandis laborarunt „, lacunam quandam esse explendam consociata historica eruditione cum iuris praescriptione (13).

III. Denique *disciplina vigens* in Ecclesia universa, non per generales quasdam normas, sed usque ad ultimas et *particulares conclusiones* est exhibenda et ex *fontibus* accurate citatis demonstranda et *rationibus* quoque *intrinsicis* comprobanda atque defendenda.

Praeterea *controversiae* inter ipsos iuris canonici interpretes agitari solitae, explicatis et expensis utriusque partis fundamentis discutiendae, atque *saltem capita* quaedam selecta iuris Decretalium methodo vere scientifica explananda sunt, sublatis, si fieri potest, per conciliationem antinomiis indicatisque differentiis iuris civilis, si forte de eadem materia canonica leges civiles existant.

Tandem doctrina tradita optime illustratur, si ad decidendas *causas* quasdam particulares in foro ecclesiastico agitatae congrue applicatur (14).

Quodsi utraque illa schola alicubi non existit, aut ubi existit, utraque schola ab omnibus scholaribus frequentari non potest, Institutiones canonicae magis accedant necesse est ad scholam Decretalium. Mediam quandam viam iam tenuit *Devoti* in suis Institutionibus canonicis cum notis a se ipso, non a Cardinali *Castiglioni*, qui postea fuit *Pius VIII.*, appositis (15), quem praesertim ultimo saeculo quam plurimi canonistae in conscribendis libris scholasticis secuti sunt.

4. Exposita principali *differentia* utriusque scholae, quae in ambitu materiae et disputandi ratione consistit, reliquum est, ut singularis illa discrepantia *ordinis systematici* commemoretur. Professores enim Institutionum canonicarum sequuntur notissimam divisionem in personas et res, in iudicia, crimina atque poenas; lectores vero textus canonici ut plurimum ordinem *legalem* librorum et titulorum Decretalium Gregorii IX. adoptarunt. Sane concedendum est ordinem *librorum* Decretalium facile posse reduci ad systema Institutionum. Nam libris I. III. IV. Decretalium evidenter iura traduntur de personis et rebus ecclesiasticis. Cfr. *Bernard.*

(13) Cfr. quoque *Zallinger*, Instit. iur. nat. et eccl. publ. vol. II. p. 371. sq.; *Fessler*, l. c. p. 114. sq.

(14) *Zech*, l. c. § 12.

(15) *Nilles*, in *Zeitschr. f. k. Theol. (Act. theol. Oenip.)* t. I. p. 282. iunct. *Devoti*, Instit. canon. praef. i. f. lib. II. tit. 3. § 2. not. 1.

Papiens., Summa Decret. p. 2. Quae materia commode ita distribui potest, ut libro I. disputetur de personis ecclesiasticis; libro II., qui nunc dicitur liber III. Decretal., de rebus ecclesiasticis disseratur excepto matrimonio, cui propter materiae vastitatem proprius et singularis liber III. convenienter assignatur. Libro IV. universa doctrina canonica de iudiciis ecclesiasticis in genere et in specie de iudiciis civilibus (et criminalibus) comprehendi potest, quae nunc libro II. et ex parte libro I. Decretalium continetur. Liber V. vero, qui complectitur ius criminale (de processu criminali atque de delictis poenisque ecclesiasticis), suo loco est relinquendus.

Pariter fatendum est ordinem *titulorum* in Institutionibus a non paucis scriptoribus receptum praefendum esse ordini legali titulorum in libris Decretalium. Apposite igitur ad rem scribit *Cavagnis*, Institutiones iur. publ. eccles. P. I. prooem. p. VI. “ *In institutionibus ordo scientificus et logicus servatur in dispositione et connexione materialium; in textu sequimur ordinem Decretalium Gregorii IX., qui etsi satis idoneus pro usu forensi, non multum rigorosus est, et aliquando materiam eandem, puta de irregularitate, incommode in titulos inter se remotos, imo et libros diversos distribuit „.*

Porro si quis in ipsis *titulis* Decretalium explicandis sequeretur seriem *capitum*, quae ordine mere chronologico connectuntur, confusionem induceret, non methodum ordinatam, ut iam tradit *Pirhing*, Ius canonic., prooem. § 6. Quare inde a *Goffredo de Trano* († a. 1245.), uno ex primis commentatoribus Decretalium Gregorii IX., quamplurimi canonistae capita titulorum ad ordinem quendam doctrinae systematicum reducerunt minime neglecta methodo exegetica. Optimum quoddam specimen coniunctionis utriusque methodi et systematicae et exegeticae praebet *Pirhing* op. cit.

Verum quamvis illi canonistae non sint reprehendendi, qui penitus derelicto ordine legali Decretalium secundum nova systemata universum ius canonicum magna cum eruditione tractarunt, tamen propter rationes non spernendas saltem *quoad substantiam ordo legalis retinetur* (16).

Nam is ordo *supremi legislatoris auctoritate* fuit approbatus, non solo privatorum hominum ingenio confictus, et licet omnibus numeris non sit perfectus, facilius viri docti in unum illud systema legale cum non levi scientiae canonicae

(16) *Biederlaek*, in Act. theol. Oenip. t. IX. p. 353. sq.

utilitate conspirant, quam in divisiones privatas tanta varietate et non raro inepte propositas. Accedit, quod summi sit momenti, ut inter *scholam* canonicam et *fontes* iuris ecclesiastici atque *libros* antiquorum et recentiorum canonistarum intima sit *connexio*. Quae sane convenienter haberi nequit, si ordo fontium et canonistarum antiquorum in disputationibus scholasticis plane derelinquatur. Denique in *praxi* atque *foro* ecclesiastico *iura* sunt applicanda, quae in fontibus exstant, non placita privatorum canonistarum. Hinc iurisprudentiae quoque optime consultum est si ordo codicum legalium servetur in ipsis libris scholasticis, unde facile explanatio iurium repeti possit. Quae rationes adeo manifestae sunt, ut ipsi antecessores iuris civilis magna eruditione celebres existiment saltem in certis materiis practicis v. g. in parte speciali iuris criminalis (17) ab ordine codicum legalium non esse recedendum.

Istis innovationibus multo minus est indulgendum, cum nihil obstet, quominus criticis animadversionibus ordinis legalis imperfectiones ostendantur emendationesque introducantur v. g. singulari libro isagogico sive *introductorio* praemisso, novis quibusdam titulis insertis v. g. de concordatis, ordine *librorum* (cfr. supra n. 4.) et *titulorum* iam existentium aliquantisper immutato. Ita v. g. de privilegiis sane non est disputandum in iure criminali libri V., sed inter primos titulos libri I. Quae innovationes in ordine legali eo magis commendantur, quod facile ita fieri possint, ut in schola Decretalium ex recta docendi ratione et cum haud levi utilitate auditorum idem fere ordo servetur atque in schola Institutionum canonicarum. Neque putandum est ordinem illum legalem sex circiter abhinc saeculis constitutum adeo sacrosanctum esse tantaque perfectione praeditum, ut omnis immutatio excludatur. Secus vel ipse S. Raymundus reprehendus esset, qui in Summa post compilationem Gregorii IX. conscripta v. g. complures titulos iuris matrimonialis immutavit vereque emendavit. Illi quoque Episcopi, qui in Concilio Vaticano (18) reformationem corporis iuris postularunt, id nequaquam sine ullo fundamento et temere postulasse dicendi sunt. Denique ordo legalis et traditionalis quamvis in novo corpore iuris canonici iussu Pii X. praeparando, ut spe-

(17) *Zachariae* apud *Berner*, Lehrb. d. deutsch. Strafr. p. 336.

(18) *Martin*, Collect. docum. Cone. Vatic. p. 158. 159. 185. 186.

rare licet, quoad substantiam merito retineatur, tamen in particulari sine dubio notabiles subibit mutationes. Cfr. epist. Secretar. Commiss. pontif. pro Eccl. legib. in un. redig. ad universit. cath. 6. April. 1904. Quare canonistae ab antiquo ordine legali certae innovationi destinato recte cum sobria et circumspecta libertate recedunt.

5. Coronidis loco illud animadvertendum esse videtur, quod hoc opere *plena perfectaeque praelectiones de iure Decretalium* non contineantur, sed ex intentione auctoris solummodo suppeditetur *synopsis* sive compendium ad *usum praelectionum* de iure Decretalium. Etenim si praelectiones habendae sunt ea methodus (19) ceteris videtur esse praefenda, ut omissis disquisitionibus longioribus *summa* rei auditoribus tradatur (cfr. *Devoti*, Instit. canon. praef. i. f.), quae postea in schola vere explanetur et novis additamentis compleatur. Qua methodo applicata labor scribendi minuetur et ad legitimos reducetur limites, res in scholis explicandae facilius poterunt *praevideri*, studio privato fontibus et scriptoribus canonicis accurate citatis non deerit occasio ulterius progrediendi per *repetitiones* et *disputationes*, per *lectionem* et *scriptionem*. Nam ut probe iam tenuerent Scholastici: “ *Docere est adminiculari exterius inventionem discipulorum propriam* „.

Qui scopus optime videtur posse obtineri, si praelectiones duplici constent elemento scil. *compendio* sive synopsi atque solidis ordinatisque explicationibus sive commentariis professoris viva voce in schola datis, ex quibus auditores notas sibi pro suo ingenio atque commodo seligant. Quare *Maldonatum S. I.*, praeclarissimum illum in civitate Parisiensi theologiae professorem, inter quinque consilia bene studendi sapienter illud primo loco statuuisse tradunt: *Primum est audire professorem*. Etenim schola cum omnibus suis exercitationibus convenientissima est palaestra ad ingenia excitanda et formanda. Quodsi *B. Petrus Causius* a. 1589. scribit: “ *Magnos in scholastica theologia progressus frustra meditatur, qui nunquam in ea praeceptores docentes audivit et firma non iecit philosophiae fundamenta.... et qui in disputandi palaestra sese, ut decebat, minus exercuit* „, huiusmodi consilium a studio-

(19) Qui plura cupiat praesertim de methodo studendi iuri canonico, adeat *Doujat*, Praenot. can. I. V. cap. 21.; *Maschat*, Instit. canon. vol. II. proleg. § 6.; *Zech*, Praecognita iur. can. tit. 1.; *Arndts*, Iurist. Encyklop. §§ 53. sq.; infra h. tom. I. tit. II. § 2. IV.; *Kihn*, Encykl. u. Methodolog. d. Theolog. p. 67. sq.

sis quoque iuris ecclesiastici non est aspernandum. Quibus praemissis ad explanandos libros decretalium implorato auxilio divino ad honorem Dei et B. V. Mariae atque utilitatem Ecclesiae iam propius est accedendum.

TITULUS I.

DE FUNDAMENTIS IURIS ECCLESIASTICI

§ 1. DE RELIGIONE

6. Religio (1), quae est complexus veritatum et officiorum relationes hominis ad Deum determinantium, ipsa lege naturali instituta est (2). Verum cum ordo pure naturalis nunquam exstiterit, de facto quoque nunquam exstitit religio mere naturalis (3). Inde enim ab exordio generis humani

(1) Si vis nominis latini *religionis* sit explicanda, inter varias derivationes illa videtur ceteris esse praefenda, quam tradit *Cicero*, De natur. deor. l. II. cap. 28. n. 71. 72., ubi religionem derivat a relegendo. Quod verbum significat potissimum ea, quae pertinent ad cultum divinum, diligenter retractare. Quare qui Deum timet et colit, dicitur religens sive religiosus, atque verba graeca *εὐσέβεια* et *θεοσέβεια* et *θρησκεία* optime correspondent voci latinae religionis. Cfr. *Forcellii*, Lexicon tot. latin. v. v. Religio, Religens; *Georges*, Lat.-D. Handwoerterb. v. v. Religio, Religo. Quodsi *Lactantius*, Instit. div. l. IV. cap. 28. (Migne, P. L. VI. 535. sq.) atque *S. Augustinus*, De vera religione cap. 55. n. 113. (Migne l. e. XXXIV. 172.) et *Thalhofer*, Handb. d. k. Liturgik t. I. p. 150. verbum religionis derivant a religando, et deinde *S. Augustinus*, De civit. Dei l. X. cap. 3. (Migne l. e. XLI. 280.) praefert eiusdem vocis derivationem a reeligendo, huiusmodi derivationes sane res verissimas denotant (cfr. *S. Thom.*, Summ. theol. 1a. 2ae. q. 81. art. 1.), sed verbo nativo religionis sunt minus conformes. Cfr. quoque *Zallinger*, Instit. iur. nat. et eccl. publ. vol. II. p. 207. sq.; *Suarez*, De virtute et statu religionis tract. I. l. 1. cap. 1. sq.; *Thalhofer* loc. cit.

(2) *Schulte*, Die Lehre v. d. Quell. d. k. Kirchenr. p. 2. si traditionalistarum placitis inhaerens opinatus est, sine revelatione positiva veritates fundamentales religionis solo rationis lumine certo et integre cognosci non posse, doctrinam tenuit nunc a Conc. Vatic. Sess. III. cap. 2. de revel.; can. 1. de revel. omnino proscriptam. Cfr. *Grauderath*, Constit. dogm. Concilii Vaticani p. 32. sq.; *Calhvein*, Moralphilosophie t. II. p. 4. sq. 546. sq.; *Schiffini*, Disput. philos. mor. n. 245. sq. 415. 595.; *Meyer*, Inst. iur. natur. t. II. n. 4. sq.; *Peseh*, Praelect. dogm. t. IX. n. 293. sq.; *Suarez*, l. IV. cap. 2. n. 3.

(3) Quae *Phillips*, Compend. iur. eccl. p. 2. et Kirchenrecht t. I. § 1. contra pseudophilosophos disputat, ad terminos in nota praecedenti statutos sunt exigenda. Cfr. *Suarez*, De leg. l. IX. cap. 1. n. 4., cur lex ante Moysen fuerit dicta « *lex naturae* ».

Deus etiam positivam et supernaturalem religionem hominibus promulgavit.

Quod (4) iam factum est primis parentibus in statu naturae integrae; post lapsum vero Adami Deus ipsis protoparentibus et patriarchis futurum praedixit redemptorem paucaque adiecit praecepta positiva (5). Deinde per Moysen, singularem suum atque eximium legatum, sapientissimam condens *legem positivam* sive *complexum legum positivarum*, quibus *prima vice* aliquam *congregationem particularem* hominum i. e. populum Israeliticum in *veram et unam rempublicam religiosam* constituit (6). Tandem Iesus Christus, verus Deus et homo, religionem christianam annuntiavit, in qua *plenitudo gratiae* et veritatis cum hominibus communicaretur (7).

§ 2. DE ECCLESIA CATHOLICA

7. Iesus Christus, Deus ac Dominus noster, qui a Deo hominibus datus est non solum *redemptor*, cui fidant, sed etiam *legislator*, cui obediunt (8), ut religionem a se fundatam conservaret et propagaret, Ecclesiam (9) instituit tanquam *verum*

(4) Uberior huius rei expositio datur in priore parte theologiae fundamentalis, ubi theologi methodo rationali et apologetica de vera religione agere solent. Cfr. *Olliger*, Theolog. fundam. t. I. p. 1. sq. 339. sq. Quae disputationes apologeticae utiliter eum studio historiae revelationis et religionis coniunguntur. Cfr. *Kleulgen*, Theolog. d. Vorz. t. III. sect. 6. cap. 1.; *Scheeben*, Handb. d. k. Dogmatik. t. I. p. 33. sq.; *Dankó*, Historia revelationis divinae; *Zschokke*, Hist. saera antiq. testam.; *Calhrein*, Moralphilosophie t. I. p. 569. sq.; *Suarez*, De fide disp. 9.

(5) *Zschokke* l. e. p. 48. sq.; *Lehmkuhl*, Theologia moral. t. I. n. 196.; *Suarez*, De leg. l. IX. cap. 1.; *Hummelauer*, Commentarius in genesim p. 274. sq.; *Franzelin*, De Ecclesia Christi p. 8. sq.

(6) *Suarez* l. e. l. IX. cap. 1. 2. sq.; *Zschokke* l. e. p. 83. sq.; *Suarez* l. e. l. III. cap. 12. n. 9. l. IV. cap. 2. praesertim n. 4. 5. 6. sq.; *Franzelin* l. e. p. 21. sq.

(7) *Suarez* l. e. l. X. cap. 1. sq.; *Zallinger* l. e. p. 207. sq. et p. 1. sq.; *Devoli*, Instit. eanon. proleg., lus eanonie. universum publ. et privat. t. I. cap. 2. sq.; *Wilmers*, De religione revelata p. 1. sq. 46. sq. 171. sq. 305. sq.; *Tanqueray*, Synopsis theol. t. I. p. 22. sq.; *Franzelin* l. e. p. 34. sq. 65. sq.

(8) Cone. Trid. Sess. VI. can. 21.; Cone. Vatic. Sess. IV. Const. « *Pastor aeternus* » prooem.; *Suarez* l. e. l. X. cap. 1., ubi praeclare exponit et probat Christum Dominum perfectissimum fuisse legislatorem novi testamenti; *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 25. sq. 38. sq. 96. sq.; *Pesch* l. e. t. I. n. 65. sq. t. VI. n. 559. sq.

(9) *Ecclesia* (*ἐκκλησία*) (cfr. *Card. Hergenroether-Kirsch*, Handb. d. allg. Kircheng. t. I. p. 3. not. 1.; *Palmieri*, De Romano Pontifice p. 1. sq.;

regnum suum spirituale (10). Etenim S. Petro et infallibilis magisterii praerogativam et primatum verae iurisdictionis sacrumque ministerium ad docendos, regendos, sanctificandos homines in ordine supernaturali concessit, ipsos vero Apostolos S. Petro ut capiti coadunatos et subiectos pariter infallibilis magisterii dono sacroque imperio et ministerio ad eundem finem instruxit. Qua ordinatione factus est auctor Ecclesiae tamquam *verae et religiosae et supernaturalis, unice et universalis, hierarchicae atque monarchicae* (inaequalis) *societatis*, quae ex Christi voluntate sub S. Petri et Apostolorum *magisterio et imperio atque ministerio* religionem christianam profiteretur et exerceret. Quae Ecclesia cum sit condita *perfecte independens* a potestate civili atque *supremum* habeat *finem*, *societas quoque perfecta et summa in ordine religioso* existit (11). Porro eandem Ecclesiam Christus Dominus

Pesch l. e. t. I. n. 260. sq. 305. sq. 309. ; praesertim *Schanz*, Apologie d. Christenth. t. III. p. 53. sq. : *Franzelin* l. e. p. 1. sq.) est verbum, quo ipse Christus apud *Matth.* XVI. 18. XVIII. 17. *universam* societatem religiosam a se fundatam bis insignivit. Apostoli hunc modum loquendi sunt secuti. Cfr. Act. Apost. V. 11. ; I. Corinth. XV. 9. ; Galat. I. 13. Quod nomen Ecclesiae eum addito aut in numero plurali etiam designat *particulares* coetus fidelium. Cfr. I. Corinth. IV. 17. ; Act. Apost. XV. 41. A populis latinis mutatione facta pro diversa indole linguarum retinetur ad designandum regnum spirituale Christi Domini. Inde orta sunt vocabula *église*, *iglesia*, *ehiesa*. Populi germanici et slavici suas voces, quibus denotant societatem a Christo fundatam, potius ex vocabulis graecis *κροτική* i. e. *οἰκία* vel *κροτικόν* i. e. *οἰκεῖον* (cfr. e. 15. Cone. Aneyr. a. 314.) dicuntur derivasse. Cfr. *Walafrid. Strabo*, De reb. ecel. eap. 7. ; *Thalhofer*, Handb. d. k. Liturg. t. I. p. 726. sq. ; *Grimm*, Deutsch. Woerterb. v. Kirche. Qua ratione viri quidam docti reete explicant vocabula *Kirche* et *ehureh*, vel *cerkiew*, *zerkow*, *zyrkew*, quae alii derivant a *circu* (*ἐξοκος*). Cfr. Catechism. Rom. P. I. eap. 10. de variis significationibus nominis Ecclesiae ; *Laemmer*, Instit. d. k. Kirhenr. § 3. ; *De Groot*, Summa apologetica p. 25. sq. ; *Friedberg-Ruffini*, Trattato del diritto ecel. § 1. not. 1.

(10) *Paluieri* l. e. p. 2. sq. 9. sq. 12. sq. 59. sq. 72. sq. ; *Devoti*, lus canonie. t. I. eap. 2. Exceptiones Protestantium ex falsa quadam notione spiritualitatis Ecclesiae solide refutant : *Hammerstein*, De Ecclesia et Statu iuridice consideratis p. 33. sq. ; *Palmieri* l. e. p. 27. sq. 40. sq. ; *De Groot* l. e. p. 26. sq. ; *Pesch* l. e. n. 305. sq. ; *Wilmers* l. e. p. 25. sq. 58. sq. ; *Cathrein* l. e. t. II. p. 553. sq. ; *Schiffini* l. e. n. 586. sq.

(11) In his atque sequentibus tantum paucis delineamentis adumbratur, quomodo in altera parte theologiae fundamentalis methodo vere rationali et apologetica universa doctrina de Ecclesia Christi proponatur. Quem tractatum theologicum simul eum Institutionibus iuris publici ecclesiastici hoc loco *supponimus* atque remittimus ad theologos velut *Mazzella*, *Palmieri*, *De Groot*, *Billot*, *Tanqueray*, *Murray*, *Franzelin*, *Schanz*.

voluit esse societatem *perennem et immutabilem, visibilem et necessariam*, atque *apostolicitatis, unitatis, catholicitatis, san-*

Gutberlet, Pesch, Mendive, Olliger, Wilmers aliosque et ad auctores Instit. iur. publ. eccl. velut *Zallinger, Tarquini, Cavagnis* et etiam ad *Phillips*, Kirchenrecht ed. gerin. vel gallie. t. I. §§ 2. 9. sq., eius modus procedendi vel ab ipso relatore in Concilio Vaticano debitis laudibus celebratur, eo quod a *Christo Rege* eiusque *Vicario* in terris, *B. Petro*, universam tractationem de Ecclesia ineipiat. Cfr. Collect. Lac. t. VII. col. 315. sq.; *Devotius* canon. t. I. cap. 3. sq., quem *Phillips* l. e. secutus est; *Aichner*, Comend. iur. eccl. §§ 21. sq.; *Lopez*, Inst. iur. publ. eccl. t. I. p. 21. sq.; 149. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch*. l. e. t. I. p. 67. sq. 101. sq.

Longe alia sunt placita Protestantium de institutione Ecclesiae Christi. Qui omnes facile admittunt *aliquam* Ecclesiae per Christum institutionem; at penitus negant *ipsum* Christum in Ecclesia sua tanquam vera societate instituisse sacrum principatum sive *hierarchiam ordinis et iurisdictionis*. Alii enim opinantur ex iure divino in Ecclesia Christi *veram iurisdictionem nullam esse* ideoque ab initio religionis christianae *veram societatem iuridicam* fidelium omnino non exstitisse, sed meram unionem *charismaticam et caritativam*. Cfr. *De Dominis*, De republica ecclesiastica cap. 7. n. 2.; *Lipsius*, Lehrb. d. evang. prot. Dogmatik § 862.; *Sohm*, Kirchenrecht t. I. p. 1. sq. 23. sq.; *Pfleiderer*, Grundriss d. chr. Glaubens. u. Sittenlehre § 79. Alii licet concedant primis temporibus *singulas* communitates vel ecclesias *particulares* habuisse simplicem quandam formam regiminis (Gemeindeverfassung) atque adeo saltem ex saeculo tertio reperiri organizationem sociale[m] Ecclesiae cuiusdam universalis sive *“ initium Ecclesiae catholicae ”*, tamen originem diversarum istarum *formarum regiminis* repetunt ex causis *mere humanis* v. g. ex imitatione reipublicae Romanae, non ex institutione *divina* Christi. Cfr. *Harnack*, Lehrbueh d. Dogmengesch. t. I. p. 39. sq. eum aliis v. g. *Ritschl, Koestlin, Hatch, Loening*. Quorum virorum *acatholiceorum arbitrarias assertiones* de primitiva constitutione particularium communitatum vel ipse *Sohm* l. e. p. 23. refutat.

Ab istis erroribus dogmaticis *theologorum* protestantieorum de Ecclesia Christi usque ad nostram aetatem etiam *canonistae* protestantici in suis disputationibus proficiscuntur atque imprimis *constitutionem* Ecclesiae repetunt ex solo *iure humano*. Cfr. *Biedermann*, Christl. Dogmatik II. § 561.; *Hinschius*, System d. k. Kirchenr. t. IV. p. 691. sq. et in *Holtendorff*, Eneyklop. d. Rechtswissensch. t. I. p. 819. sq. 849. sq. Imo *Sohm* l. e. pro suis principiis de organizatione *eharismatica*, non *iuridica* Ecclesiae Christi tandem aliquando eo pervenit, ut omnem organizationem *iuridicam* Ecclesiae deat institutioni Christi esse *contrariam* atque adeo neget vel ipsam *existentiam veri iuris ecclesiastici*. Qui canonistae *acatholici* cum praeterea plenissime imbuti sint perversis doctrinis de omnipotentia Status (cfr. Pii IX. Syllab. prop. 39.), praesertim non intelligunt totisque viribus impugnant Ecclesiam Christi esse societatem *perfectam (sovranam)*. Qua ratione *Dove*, professor universitatis Goettingensis, in senatu Borussiae 3. Iul. 1880. declaravit: *“ Ecclesia tanquam iuridice organisata communitas cultus divini.... maiestati Status est subiecta, non perfecte independens (sovranam); una tantum potestas in his terris potest esse suprema ”*. Cfr. quoque *Hinschius*, Staat. u. Kirche p. 269.

Canonistae *schismatici* rituum orientalium quamvis non eodem am-

ctitatis notis insignitam omnibus hominibus facile cognoscibilem effecit. Haec Ecclesia a Christo vero Deo et homine fundata unice est Ecclesia Romano-catholica (12), quae definitur: Societas religiosa hominum baptizatorum a Christo instituta, quae eiusdem fidei christianae professione et eorundem sacramentorum communione et regimine legitimorum pastorum (Episcoporum) atque praecipue R. Pontificis colligatur (13).

§ 3. DE RELATIONE ECCLESIAE CATHOLICAE
AD ALIAS SOCIETATES RELIGIOSAS.

8. Quamvis Ecclesia catholica sit societas religiosa plane distincta a Synagoga, tamen intimus existit nexus inter religionem legis naturalis et legis Mosaicae atque religionem legis gratiae sive Ecclesiam catholicam (14). Nam religio veteris testamenti fuit praeparatio quaedam partim remota par-

bitu atque asseclae sectarum protestanticarum a definienda genuina notione Ecclesiae Christi deficiant, tamen negato primatu iurisdictionis R. Pontificis naturam Ecclesiae ut societatis vere *monarchicae* atque *perfectae* i. e. a potestate civili plane independentis perspectam non habent. Cfr. *Milas*, D. Kirchenr. d. morgenl. K. p. 3. sq. 8. 269. sq. 576. sq. 600. sq. iunct. p. 17. n. 1. 3., ubi allegatur melior et recentior theologus schismaticus, qui de theologia fundamentali scripsit, sel. *Macarius* (Introductio in theolog. orthodox. a. 1871). Cfr. quoque ibidem *Archim. Sylvesler* (Orthodoxa theolog. dogmat. cum histor. expos. dogm. a. 1884. sq.).

Quorum errorum refutationem habes praesertim apud *Pesch* l. c. n. 310. 356. sq.; *Billot*, De Ecclesia Christi t. I. p. 130. sq. t. II. p. 122. sq. t. III. p. 32. sq.; *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 25. sq. 38. sq.; *Hammerslein* l. c. p. 44. sq. 132. sq.; *Hollweck*, D. k. Straßges. p. I. sq.; *Schanz*, Apologie d. Christenth. t. III. p. 91. sq.

(12) *Pesch* l. c. n. 413. sq.; *Billot* l. c. t. I. p. 131. sq. *Wilmers* l. c. p. 478. sq.; *Gutberlet*, Lehrb. d. Apolog. t. II. p. 340. sq. t. III. p. 71. sq.; *Schanz*, Apolog. d. Christenth. t. III. p. 85. sq.

(13) Definitiones Ecclesiae, quae ordinarie in catechismis catholicis inveniuntur, omnino accuratae sunt neque tantum exhibent descriptionem vitae ecclesiasticae bonorum catholicorum, sed quoad substantiam tradunt ipsam definitionem *Bellarmini* (Disput. de controversiis fidei, de Ecclesia militante l. III. cap. 2.) a plerisque theologis et canonistis optimo iure receptam. Cfr. *Laemmer* l. c. § 3.; *Devoti* l. c. cap. 7. §§ 2. 3. 4.; *Palmieri*, De Rom. Pontif. p. 2. sq. p. 25. sq.; *Phillips*, Kirchenrecht. t. I. § 2. i. f.; *Tanqueray* l. c. t. I. p. 311. sq. 568. sq.; *De Groot* l. c. p. 28. sq.; *Pesch* l. c. n. 309.; *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 19. sq. 1. sq. 34. sq. 53. sq. 146. 478. sq. 619. sq. 646.; *Schanz* l. c. p. 80. sq.

(14) *Palmieri* l. c. p. 7. sq. 14. sq.; *Pesch* l. c. n. 311. sq.; *Schanz* l. c. t. II. p. 318. sq.

tim proxima ad religionem christianam. Porro licet in ratione *generica* congregationis fidelium credentium in Christum redemptorem omnes verae religionessupernaturales conveniant, tamen Ecclesia catholica est *specie* distincta ab omnibus praecedentibus religionibus et unica est societas religiosa ab ipso Christo domino fundata (15).

Quare cum agendum sit de iure solius Ecclesiae catholicae, universa inquisitio de *forma sociali* religionis legis naturalis et Mosaicae earumque regimine, iuribus atque officiis ex *professo* instituenda, a disputationibus *de iure ecclesiastico* omnino aliena est. Hinc sicut illi scriptores historiae ecclesiasticae (16) optime videntur consuluisse et connexioni et distinctioni inter Ecclesiam Christi et societates religiosas veteris testamenti intercedenti, qui nequaquam inde ab Adamo universam historiam ecclesiasticam conscribunt, sed ab ipsa fundatione Ecclesiae per Christum Dominum facta annales ecclesiasticos proprie auspicantes, solummodo ad *instar propylaeorum Domus Douini introductionem* quandam de historia sacra veteris testamenti historiae ecclesiasticae praemittere solent, ita multo magis a canonistis huiusmodi *inris* quaestiones non nisi *obiter* attingendae sunt. Summopere vero commendandum est, ut vel ipsi canonistae pro meliore et profundiore cognitione universae oeconomiae supernaturalis atque mutuae connexionis quaestionum huc spectantium praesertim citata opera *Snaresii* et *Palmieri* aliorumque attente legant et maturo studio expendant.

9. Quodsi de relatione Ecclesiae catholicae *ad alias societates religiosas post adventum Christi* existentes agatur (17), dubitari nequit, quin omnes societates religiosas *infidelium* omnesque *sectae christianae* ab Ecclesia catholica habeantur plane *illegitimae onnique iure existendi* destitutae, licet certis in rerum adiunctis boni communis causa possint vel etiam

(15) *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 2. l. IX. X., De fide disp. 9. sect. 2. et 3., Defensio fid. eath. et apost. advers. Anglic. sect. errores l. III.; *Phillips*, Kirchenr. t. II. §§ 91. sq.; *Wilners* l. c. p. 32. sq.; *Pesch* l. c.; *Franzelin* l. c. p. 8. sq. 21. sq.

(16) *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. t. I. p. 38. sq.; *Doellinger*, Heidenth. u. Iudenth. Eine Vorhalle zur Gesch. d. Christenth.; *Phillips* l. c. A. *Weiss*, Hist. eccl. t. I. p. 1. sq. 8. sq.

(17) *Phillips* l. c. §§ 96. sq.; *Cavagnis* l. c. P. I. p. 353. sq.; *Tarquini*, Instit. iur. eccl. publ. p. 69. sq.; *Palmieri* l. c. p. 115.; *Saegmueller*, Lehrb. d. k. K. p. 54. sq.

debeant a potestate civili *tolerari*. At quamvis magistratus et socii illarum societatum *infidelium*, qui in suis erroribus et vitiis *pertinaciter* persistunt, Dei ordinationi resistent, tamen formaliter subditi rebelles Ecclesiae catholicae non sunt; et enim omnino extra Ecclesiam existunt et per baptismum potestati ecclesiasticae directe nondum sunt subiecti (18). Quam ob rem infideles per fidei praedicationem (19) mediis legitimis (20) inducendi sunt, ut rite suscepto baptismo (21) Ecclesiae catholicae sese subiiciant. Sectae vero *christianae*, quorum asseclae baptismum valide susceperunt suisque erroribus vel schismati *pertinaciter* adhaerent, formaliter etiam rebelles erga Ecclesiam existunt; illi enim vi baptismi vere et absolute et perpetuo Ecclesiae subiiciuntur (22). Quare vehementer errat, quicumque existimat varias sectas christianas v. g. Anglicanorum, Lutheranorum, Russorum esse partes legitimas universalis cuiusdam Ecclesiae Christi atque Ecclesiae catholicae tanquam *ecclesias sorores* coordinatas (23). Neque institui possunt nationales ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque separatae; eoipso enim huiusmodi ecclesiae desinerent esse *partes unius* vereque catholicae Ecclesiae Christi (24).

§ 4. DE RELATIONE ECCLESIAE CATHOLICAE
AD SOCIETATEM CIVILEM.

10. Relatio Ecclesiae catholicae ad societatem civilem in concreto reducitur ad disquisitionem, quaenam relatio intercedat inter *potestatem* ecclesiasticam et civilem (25). Quae re-

(18) I. Cor. V. 12.; cap. 8. X. de divort. IV. 19.; Conc. Trid. Sess. VII. de bap. can. 8.

(19) Matth. XXVII. 19. sq.; cap. 10. X. de iud. V. 6.

(20) Cap. 3. X. de bap. III. 42.; cap. 9. X. de iud. V. 6.; cap. unic. de iud. V. 2. in Clem.

(21) Cap. 2. de iud. V. 2. in Extravag. com.; Suarez De leg. I. IV. cap. 19. n. 2.

(22) Conc. Trid. Sess. VII. l. e. can. 7. sq.; Suarez l. e.; Phillips l. e. § 102.

(23) Syllab. Pii IX. prop. 18.; Palmieri l. e. p. 250. sq.; Richter-Dove, Lehrb. d. Kirhenr. § 2. not. 1.; Schulte, Lehrb. d. k. Kirhenr. p. 5. not. 18. p. 153. sq.

(24) Syllab. prob. 37.; Schulte, Lehrb. d. k. K. §§ 31. 33. Recte vero Papp-Szilágyi, Enchirid. iuris Eecles. orientalis cathol. § 23. p. 45. loquitur de « sorore Eeclesia graeca » (i. e. unita) et de « sorore Eeclesia latina »; Wilners, De Christi Eeclesia p. 49. sq. 648. sq.

(25) Martin, Collect. doe. Cone. Vatic. p. 49. sq.; Phillips l. e. §§ 103. sq.;

latio utriusque potestatis sub multiplici respectu considerari potest atque imprimis ratione *originis*. Qua de re extra controversiam est utramque potestatem immediate *Deum* habere communem *auctorem*. Et potestas quidem civilis procedit a Deo ut auctore *naturae*, non a diabolo vel a R. Pontifice; potestas vero ecclesiastica originem repetit ex positiva ordinatione Dei tamquam auctoris *gratiae* et ordinis supernaturalis (26).

Inde iam consequitur praeterea inter utramque potestatem intercedere relationem *duarum potestatum perfecte distinctarum*. Etenim potestas civilis a potestate ecclesiastica fine, natura, mediis, effectibus prorsus differt (27).

Porro illa distinctio non est qualiscumque, quae etiam habetur inter familiam vel corporationem forte privilegiatam et societatem civilem, sed est distinctio *perfectae independentiae*. Utraque enim potestas est in *genere suo suprema* atque unaquaeque societas est *vere perfecta (sovrana)* (28). Quae perfecta independentia societatis civilis et Ecclesiae *in ordine suo* interdum parum accurate vocatur *coordinatio* (29) et ma-

Tarquini l. c. p. 43. sq.; *Cavagnis* l. c. p. 235. sq.; *Suarez* l. c. l. I. cap. 8. n. 5. sq.; *Wilmers* l. c. p. 96. sq. 112. sq. 133. sq.; *Liberatore*, La chiesa e lo stato; *Saegmueller*, Lehrb. d. k. K. p. 32. sq.; *Bargilliat*, Praelect. iur. can. t. I. n. 16. sq.; *Choupin*, Valeur des décisions doct. et discipl. du Saint-Siège, p. 214. sq.; *Billot*, De habitudine Eccl. ad civilem societ. p. 64. sq.

(26) Rom. XIII. 1.; Leonis XIII. Encycl. « *Diuturnum* » 29. Iun. 1881. et Encycl. « *Immortale* » 1. Nov. 1885. iunet. Act. theol. Oenip. t. XI. p. 385. sq. (*Wernz*) t. XXVI. p. 263. sq. (*Michael*); *Suarez* l. c. l. III. cap. 3. sq. l. IV. cap. 1. sq. cap. 2. n. 10. 11. cap. 3.; *Phillips*, Kirchenr. t. II. §§ 105. sq.; *Moulat*, L'église et l'état l. I. II.; *Hammerstein*, De Ecclesia et Statu p. 26. sq. 76. sq.; *Palmieri* l. c. p. 105. sq. 59. sq. 72. sq.; *Michael* in Act. theol. Oenip. t. XV. p. 164. sq. exponit, quae fuerit genuina sententia Gregorii VII. de origine potestatis civilis. Cfr. *Suarez* l. c. l. III. cap. 1. n. 1. 12.; *Wilmers* l. c. p. 5. sq. 96. sq.; *Billot* l. c. t. III. p. 1. sq. iunet. *Schiffini* l. c. n. 408. sq.; *Calhrein* l. c. t. II. p. 451. sq.; *Meyer*, Inst. iur. nat. t. II. p. 241. sq.

(27) *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 8., Defens. fid. cathol. l. III. cap. 6. sq. l. IV. cap. 2.; *Cavagnis* l. c. p. 100. sq. 114. sq.; *Phillips* l. c. § 108; *Moulat*, l. c. l. II. p. 1.; *Michael* in Act. theol. Oenip. t. XXVI. p. 253. sq.

(28) Leonis XIII. cit. Encycl. « *Immortale* » et Encycl. « *Sapientiae* » 10. Ian. 1890.; Pii IX. Encycl. « *Quanta cura* » 8. Dec. 1864. et Syllab. prop. 19. 20. 39. 41. 44.; *Phillips* l. c. § 109.; *Palmieri* l. c. p. 105. sq. 115. sq.; *Wilmers* l. c. p. 112. sq. 141. sq. 133. sq.; *Saegmueller* l. c. p. 34.; *Bargilliat* l. c. n. 19. sq.; *De Groot* l. c. p. 373. sq.; aliter scriptores protestantici supra not. 11. allegati v. g. *Hinschius*, *Dove*, *Sohm* aliique, qui Ecclesiam reducunt ad corporationem iuris publici *a Statu dependentem*.

(29) *Saegmueller* l. c. p. 33. 89. Si quis utatur verbo coordinationis se-

teriam subministrat pulcherrimis theoriis et disputationibus de *concordia* et *amicitia* inter Ecclesiam et principatus civiles atque de vitanda *separatione* et *discordia* utriusque potestatis (30).

Nihilominus ne quis in media via sistat atque adeo ad sinistras deveniat conclusiones, sedulo examinandum est, num inter potestatem ecclesiasticam et civilem interveniat relatio verae *subordinationis* (31). Qua in re principalis difficultas non est in ea subordinatione potestatis civilis, quae oritur aut ex Ecclesiae maiore *dignitate* et excellentia aut ex *directione* quadam morali per magisterium et consilia aut ex *iure merae defensionis*, sed ex vera *potestate iurisdictionis* Ecclesiae, vi cuius potestas civilis potestati ecclesiasticae vere fit *subdita* et ad obedientiam tenetur.

Huiusmodi *subordinatio* potestatis civilis in ordine ad potestatem ecclesiasticam certissime non est *directa* (32) i. e.

cundum proprium et obvium sensum, illae perfectae societates solummodo *vere coordinatae* dici possunt, quae in *eodem genere* versantur circa eundem *finem supremum* v. g. duae perfecte independentes civitates in ordine politico. At Ecclesia et civitates certissime non versantur in eodem genere circa eundem finem supremum; hinc coordinatae appellari nequeunt, nisi saltem terminologia adhibeatur parum propria, aut errores philosophici et dogmatici non satis caveantur. Cfr. Bonifacii VIII. Const. « *Unau sanetau* » in eap. 1. de maior. I. 8. in Extrav. eom.; Leonis XIII. Encycl. « *Immortale* »; Act. theol. Oenip. t. XI. p. 387. sq.; *Tarquini*, Inst. iur. eel. publ. p. 27. sq.

(30) Pii IX. Syllab. prop. 55. et Encycl. « *Quanta cura* »; Leonis XIII. Encycl. « *Libertas* », 20. Iun. 1888. et cit. Encycl. « *Immortale* », atque « *Sapientiae* »; *Ivo Carnut.* in epist. 238. ad Paschal. II. apud *Migue*, P. L. CLXII. 246.; *Phillips* I. c. §§ 106. 107.; *Moulat* I. e. I. II. eap. 3. sq.; *Bargillial* I. e. n. 25. sq. *Saegnueller* I. c. p. 34.

(31) *Suarez*, De leg. I. IV. eap. 9.; *Phillips* I. c. §§ 115. 116.; *Palmieri* I. e. p. 548. sq.; *Moulat* I. e. I. II. eap. 2. art. 2.; ubi tamen doctrinam *Bellarmini* neque clare recteque proponit neque solidis argumentis impugnat; *Hammerstein* I. e. p. 117. sq.; *Bouix*, De Papa t. III. p. 2. sq.; *Bargillial* I. e. n. 23. sq.; *Lopez* I. c. t. I. p. 212. sq. t. II. p. 53. sq. 318. sq.; *Scherer* I. e. t. I. § 14., ubi refert varias theorias recentiorum scriptorum de relatione inter Ecclesiam et Statum, quae nituntur philosophicis et dogmaticis erroribus.

(32) Cap. 6. (Innoc. III. a. 1201.) X. de M. et O. I. 33.; eap. 13. (Innoc. III. a. 1204.) X. de iudiciis II. 1.; eap. 10. (Innoc. III. a. 1206.) X. de for. comp. II. 2.; eap. 7. § 1. (Alex. III. a. 1159.-1181.) X. de appell. II. 28.; eap. 7. (Alex. III.) 13. (Innoc. III. a. 1202.) X. qui fil. IV. 17.; Leonis XIII. Encycl. « *Immortale* »; Innocent. IV., Apparatus Decretal. in eap. 13. X. qui fil. IV. 17. et in eap. 13. X. de iudiciis II. 1.; *Suarez*, De leg. I. III. eap. 6., Defensio fidei cathol. I. III. eap. 5.; *Bellarmin.*, De controvers. christ. fid.,

intra finem et terminos *eiusdem* potestatis, sed *indirecta* quae solum nascitur ex directione ad finem altiorem et ad superiorem excellentioremque potestatem ecclesiasticam pertinentem, quae *in se temporalis non est, sed spiritualis*, licet pro-

tert. controvers. de S. Pontifice l. V. cap. 1. 5.; *Lugo*, De fide disp. 19. sect. 2. n. 95.; *Palmieri* l. c. p. 116. sq.; *Cavagnis*, Inst. iur. publ. eccl. P. I. p. 248. sq.; *Billot* l. c. p. 79. sq.; *Militia* De Ecclesiae potestate indirecta, aliique optimo iure potestatem directam Ecclesiae in Statum omnino reiiciunt. Tempore vero *medii aevi* saltem nonnulli viri docti v. g. *Augustinus Triumphus* († a 1328.), *Summa de potestate eccl.* q. 1. a. 1. q. 44. sq. aliique v. g. *Alvarus Pelagius* († a. 1352.) non defuerunt, qui argumentis plane improbabilibus susceperent patrocinium istius directae potestatis Ecclesiae. Qui viri docti cum recte relutarent errores Marsilii Patavini et Ludovici Bavari de primatu R. Pontificis, ipsi in propugnandis praerogativis Sedis Apostolicae iustos excesserunt limites; etenim, admissa *unitate substantiati potestatis spiritualis et civilis*, principibus saecularibus in ordine politico solummodo tanquam Vicariis pontificiis vindicarunt *usum* vel executionem sive administrationem potestatis a *R. Pontifice concessae*. In dubium quoque vocari non potest Gregorium IX. et Innocentium IV. ex spuria donatione Constantini, quam post ipsos etiam alii R. Pontifices v. g. Nicolaus III. a. 1278. in cap. 13. de elect. l. 6. in Sext. et Clemens V. a. 1314. in cap. un. de iureiur. II. 9. in Clem. aliique v. g. Ioannes XXII. genuinam habuerunt, inefficacia petiisse argumenta (salvo valore aliarum rationum) contra Fridericum II. Cfr. *Card. Hergenroether*, Kathol. Kirche n. christl. Staat p. 420.; *Hefele*, Conciliengesch. t. VI. p. 340. sq.; *Michael* l. c. t. XXVI. p. 264. sq. Quod systema potestatis directae Ecclesiae post Concilium Tridentinum nonnisi paucissimos naetum est patronos nostraque aetate penitus derelictum et obsoletum dici debet, ita ut vix iam ab ullo viro vere docto serio defendatur, nisi excipias *Laing*, The blessed virgin's root traced in the tribe of Ephraim, Londini 1871. Vicissim erroribus historicis (cfr. cit. capita Decretal.) et falsae notioni de perfecta societate civili est adscribendum, si quis (cfr. *Rulf* in Staatslex. ed. *Bruder-Bachem* v. Voelkerrecht IV.) asserat tempore medii aevi populos christianos, etsi non de facto, saltem ex principiis iuridicis illius aetatis (?) *unum solummodo formasse Statum* (?), qui insuper supremae potestati R. Pontificis fuerit subiectus (?); hinc fundamentum iuris internationalis i. e. independentes et perfectas (sovrane) societates civiles tunc non fuisse admissas (?). Quae opinio manifeste confundit *ethuaretiam quandam christianam* cum unico *Statu* (cfr. *Hefele*, Concilieng. t. IV. p. 1. sq.; *Meyer*, Inst. iur. nat. t. II. n. 766. sq.) et falso ad notionem *perfectae* societatis civilis non solum excludit omnem dependentiam *directam* in eodem genere politico, sed etiam *indirectam*. Cfr. *Suarez*, Defensio fid. cathol. I. III. cap. 5. n. 1. sq., cap. 30. n. 1. sq. Vehementer tandem errat *Gierke*, D. deutsche Genossenschaftsrecht t. III. p. 521. 523., qui opinatur ipsos Rom. Pontifices eorumque asseclas inde a Gregorio VII. fuisse concordēs in adscribenda Sedi Apostolicae *substantia* potestatis spiritualis et civilis atque tum demum admisisse aliquam *divisionem*, cum distributio *administrationis* iure divino praescripta habuerit locum. Cfr. cit. cap. iur. Decretal.; *Michaël* l. c. p. 264. 269.

pter spiritualia versetur circa temporalia. Quae dependentia sive subordinatio merito vocatur indirecta, quia superior illa potestas circa temporalia *non per se* aut propter se, sed quasi indirecte et propter aliud *interdum* versatur (33). Porro eadem

(33) Cap. 13. X. qui fil. IV. 17., ubi Innocentius III. hisce classicis verbis potestatem indirectam Ecclesiae in Statum enuntiat: “ *Rationibus igitur his inducti regi* (quem Galliae regem Innocentius III. in praecedentibus expresse dixerat *Superiorem in temporalibus minime* recognoscere) *gratiam fecimus requisiti...., quod non solum in Ecclesiae patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verum etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem easuatiler exercemus* ». Eadem doctrina traditur in capitibus not. 32. h. tit. citatis; Bonifacii VIII. Const. “ *Unam sanctam* »; Pii VI. Coustit. “ *Auctorem fidei* » 28. Aug. 1794. i. f., ubi damnatio quatuor articulorum cleri Gallicani (a. 1682.), non escluso articulo primo, iam ab Innocentio XI. 11. Aprilis 1682. et Alexandro VIII. 4. Aug. 1690. facta deuo confirmatur; Pii IX. Eucycl. “ *Quanta cura* », et Syllab. prop. 24. 42.; Leon. XIII. Encycl. “ *Inmortale* ». Cfr. *Hefete*, Concilieng. t. V. p. 1130. sq.; *Innoent. IV.*, Appar. Decretal. in cap. 13. X. de iudic. II. 1., ubi ad verba Innoc. III.: “ *Non enim intendimus iudicare de feudo* » addit interpretationem: “ *Directe, secus indireete, quia non potest agere poenitentiam, si non restituat* »; at *Gierke* I. c. p. 523. not. 13. ista verba Innocentii IV. perperam interpretatur de *divisione eiusdem potestatis* quoad meram *administrationem*; *Suarez*, De leg. I. IV. cap. 9. 11., ubi n. 12. docet Ecclesiam non tantum *declarando*, sed etiam *constituendo et eximendo* sibi *reservando* posse propter rationem spiritualem efficere, ut materia quaedam sit canonica sive obiectum legum ecclesiasticarum; *Suarez*, Defensio fidei cathol. I. III. cap. 5. 21. sq., ubi totam theoriam de subordinatione potestatis civilis ex suis principiis repetit; *Bellarmin.* I. c. cap. 6.; *Cavagnis* I. c. P. I. p. 251. sq.; *Mofitor*, Die Decretale Per venerabilem p. 190. sq. et *Card. Hergenroether* I. c. p. 434. sq., unde luculenter constat doctrinam de potestate indirecta Ecclesiae tum ante reformationem tum post illam communiter a theologis et canonistis catholicis, si paucos excipias extremarum sententiarum sectatores, tanquam *indubitata* fuisse propugnata v. g. a. *S. Thoma, Vietoria, Molina, Soto, Mauclero, Stapleton, Bianchi, Mamachi, Petra, Gengler, Phillips*. Cfr. *Suarez*, De leg. I. IV. cap. 9. n. 2. “ *Est ergo conclusio haec certa et communis apud catholicos* ». Quae doctrina praesertim post promulgatum Syllabum Pii IX. a *Liberatore, Tarquini, Palmieri, Manning, Molitor, Bargilliat, Hammerstein, Perez, Biederlaek, Billo* aliisque multis pariter pro certa recte defenditur. Quare illi scriptores catholici errant, qui theoriam de potestate indirecta Ecclesiae tractant ad instar liberae cuiusdam opinionis plus minusve probabilis, *vel* cum quadam prudentia seponunt, ut neglectis principiis vere fundamentalibus ex concordatis vel “ *evolutione historiae* » relationem Ecclesiae et Status explicent, *vel* etiam argumentis inefficacibus impugnent, v. g. quod huiusmodi systema saltem nostra aetate executioni mandari non possit. At veritas doctrinae et iura Ecclesiae non pendent a conditione temporum et difficultate executionis; secus etiam alia iura certissima Ecclesiae essent neganda. Praeterea falsum est nostra aetate theoriam indirectae potestatis carere practica executione;

subordinatio non mere *negativa* est dicenda, propter quam potestas civilis ex natura rei etiam intra limites sui obiecti nihil agere potest, quod ex iudicio Ecclesiae redundet in ipsius damnum et iniuriam, sed *positiva* quoque sit necesse est, i. e. potestas civilis ita pendet a potestate ecclesiastica, ut suis actibus id exigente Ecclesia ad bonum et commodum societatis ecclesiasticae conferre debeat (34).

Qua ex doctrina unice vera et certa de potestate indirecta Ecclesiae in Statum sponte sequitur, duo alia systemata quandoque etiam a catholicis praesertim ultra alpes propugnata scl. de *potestate mere directiva* (35) Ecclesiae in Statum aut de *absoluta coordinatione* (36) Ecclesiae et Status solido

nam si v. g. eertae leges civiles ab Ecclesia declarantur invalidae, etiam nunc in ipso foro *civiti vi obligandi* sunt destitutae. Cfr. *Seherer* l. c. t. I. p. 54. sq.; *Saegmueller* l. c. p. 37. iunct. *Biederlaek* in Act. theol. Ocnipont. t. XXVI. p. 156. sq. et *Wernz* ibidem t. XI. p. 344. sq.; *Suarez*, Defensio fid. cathol. I. III. cap. 22. n. 6. 7. 8.

(34) *Suarez*, Defensio fid. cathol. I. III. cap. 22. n. 9. sq., De leg. I. IV. cap. 9.

(35) Potestas *directiva* hoc loco non eo sensu intelligitur, quo illam defendit etiam *Suarez*, Defens. fid. cath. I. III. cap. 22. n. 1. atque hisce verbis explicat: " *Per potestatem enim directivam non intelligimus totam potestatem consulendi, monendi aut rogandi; haec enim non sunt propria superioris potestatis, sed intelligimus propriam vim obligandi et eum morali efficacia movendi, quam atiqui sotent eoactivam appellare, sed haec vox magis ad poenas pertinet, de quibus in eapite sequenti dicturi sumus; hic autem de iurisdictione ad obligandum in eonscientia loquimur* ". At patroni huius systematis potestatis directivae veram iurisdictionem Ecclesiae in Statum sive directam sive indirectam, cui insita sit vis obligandi vel cogendi, omnino negant, atque suam potestatem directivam Ecclesiae in potestatem civilem intelligunt de facultate quadam Ecclesiae docendi, monendi, consulendi, rogandi, quae, ut scite observat *Suarez*, non est propria potestas superior. Quod systema potestatis directivae iam a *Feneton* propugnatum potissimum a *Gosselin* (*Le pouvoir du Pape au moyen âge*. Lovanii 1845.) per modum theoriae plene evolutae propositum est atque alios quoque nactum est defensores v. g. *van Gils*, *Moehter*, *Beidtet*. At universa ista theoria insufficientibus nititur rationibus et tot gravibus obnoxia est exceptionibus, ut cum doctrina catholica communiter et constanter tradita conciliari non possit.

(36) Ista theoria constat duplici elemento. Eius enim patroni imprimis recte *asserunt* tum Ecclesiam tum Statum esse societates in genere suo perfectas, licet quandoque ex illo principio illegitimas deducant *conclusiones*. Cfr. *Reichensperger*, Kulturkampf p. 27. sq. 33.; *Martens*, Die Beziehungen der Ueberordnung, Nebenordnung u. Unterordnung zwischen Kirche u. Staat p. 347. Praeterea *negant* non solum *directam*, sed etiam *indirectam* subordinationem Status, quae nitatur vera eaque superiore iurisdictione Ecclesiae. Qua ex *coordinatione* utriusque potestatis, quam

fundamento carere atque vix effugere notam theologicam saltem falsitatis (37).

§ 5. HISTORIA RELATIONIS INTER ECCLESIAM CATHOLICAM
ET SOCIETATEM CIVILEM.

11. Postquam (38) genuina principia de relatione inter Ecclesiam et societatem civilem exposita sunt, summopere ex-

adeo urgent, ut vix videantur admittere ullam superiorem potestatem Ecclesiae in Statum, eruunt singulares conclusiones de necessitate concordatorum, de auctoritate Ecclesiae in personas, leges, iudicia civilia et criminalia, potestatem coercitivam principum civilium, de obedientia R. Pontificis legibus *civilibus* debita, eius *immunitatem* personalem *iure divino* constitutam non satis attendunt. Cfr. *Suarez*, Defens. fidei cath. l. IV. cap. 4. sq.; aliter *Saegnueller* l. c. p. 34. n. 4. p. 36. n. 7. Quae theoria coordinationis aliquo modo a *Dante* praeformata postea praesertim a *Goerres* in Germania propugnata est. Quem praeclarissimum defensorem libertatis Ecclesiae non pauci viri docti, seposita genuina doctrina a *Gengler* et *Phillips* iam tradita, v. g. *Walte*, *Schulle*, *Vering*, *Kober*, *Saegnueller* atque singulari rigore *Reichensperger* op. cit. secuti sunt. At haud difficulter demonstrari potest duplex argumentum v. g. a *Reichensperger* pro ista theoria petatum ex *origine* divina et *distinctione* utriusque potestatis evidenter non esse ad rem; nam origo divina et distinctio v. g. familiae et societatis civilis non excludunt *subordinationem*. Quare mirum non est, quod etiam *Martens* l. c. p. 250. huiusmodi argumenta fallacis adnumeret. Neque *Gengler*, *Phillips*, *Motitor*, *Hammerstein*, *Palmieri*, *Tarquini*, *Liberatore* aliisque viris doctis difficilis fuit refutatio istius theoriae *coordinationis*, quae ob *finium subordinationem* utriusque potestatis admitti non potest; ipsa vero finium coordinatio Ecclesiae et Status est in se absurda et ducit ad aliam absurditatem duorum *principiorum* absolutorum, a quibus duae illae potestates absolute coordinatae sunt ortae. Cfr. Act. theol. Oenip. t. XI. p. 387. sq.

(37) Pius IX. Syllab. prop. 24.: « *Ecclesia vis inferendae potestatem non habet neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam* ». Cuius propositionis prior pars profecto agit de ambitu *coercitivae* potestatis ecclesiasticae; altera vero de potestate Ecclesiae *in se spirituali*, quatenus versatur circa res *temporales* atque ideireo ratione *obiecti materialis* dicitur *temporalis*. Cfr. Innoe. III. in eit. cap. 13. X. qui fil. IV. 17. iunet. *Suarez*, Defensio fid. cath. l. III. cap. 22. n. 2. Cuius secundae partis *contradictoria* non est: « *Ecclesia habet temporalem potestatem directam et indirectam* », ut contra regulas logicae in opuseulo « *Der Papst u. d. modern. Ideen II.* » p. 64. plane perverso modo enuntiata fuit, sed potius ita est exprimenda: « *Ecclesia habet aliquam potestatem temporalem, etsi non directam, saltem indirectam* ». Cum patroni potestatis directivae et absolutae coordinationis veram potestatem iurisdictionis indirectae Ecclesiae in Statum *negent*, sine dubio tenent theoriam in Syllabo damnatam, quae certe ex professo defendi nequit (cfr. S. C. Indic. 23. Maii 1898.). praesertim quia etiam eum aliis propositionibus Syllabi v. g. prop. 30. atque decretis pontificiis conciliari non potest.

(38) *Scherer* l. c. § 9. aliique auctores primas partes historiae in haec

pedit, ut in *historiam* (39) huius relationis diligentius inquiratur. Quamvis enim *principia fundamentalia* hac de re niantur iure *divino* atque *inmutabilia* sint (40), tamen *forma*, qua applicantur, multiplices subire potest vicissitudines. Neque Ecclesia atque societas civilis impediuntur, quominus pro concordia et amicitia, quae forte inter illas etiam de facto intercedit, sibi mutuo favores concedant. Denique relationes Ecclesiae etiam in concreto attendendae sunt cum particularibus regnis, non solum cum societate civili in abstracto et in genere. Quae concretae relationes sane in singulis regnis multum differre atque haud raro a suprema perfectione deficere, imo *de facto* Ecclesiae iniuriosae et intolerabiles esse possunt (41).

I. A fundatione Ecclesiae catholicae usque ad edictum tolerantiae Constantini M. (a. 29.-312.).

12. *Christus Dominus* cum potestatem illam *politican*, qua principes civiles instructi esse solent, neque in universum orbem terrarum neque in particulare quoddam regnum assumpsisset (42), regibus temporalibus sua reliquit imperia (43); non enim eripuit mortalia, qui regna dat coelestia.

Pariter divinus Salvator a *theocratia* (44) quadam, cui po-

quaestione nimis urgent; e contra *Phillips* postquam universam *theoriam* iuridicam relationis inter Ecclesiam catholicam et societatem civilem l. c. t. II. §§ 91. sq. exposuit, demum t. III. de *historia* huius relationis i. e. relationis *de facto* existentis fuse disserit. Quod exemplum recte sequuntur *Saegmueller* et *Phil. Hergenroether* in suis Institutionibus iuris ecclesiastici.

(39) Quare laeuna quaedam, quae in Institutionibus *Tarquini* neenon aliorum canonistarum reperitur, omnino est explenda. Cfr. *Bianchi*, Della potestà e della politica della chiesa; *Phillips* l. c. t. III. §§ 117. sq.; *Card. Hergenroether*, Kath. Kirche u. christ. Staat (La chiesa cattolica e lo stato cristiano); *Seherer* l. c. §§ 9. sq.; *Horry*, Des rapports du sacerdoce avec l'autorité civile... jusqu'à nos jours au point de vue legale.

(40) *Martens*, Die Beziehungen der Ueberord. Nebenord. u. Unterord. zwisch. Kirche u. Staat theorias defendit, quas recte refutat *Hammerslein*, De Eccl. et Stat. p. 63.

(41) *Vering*, Lehrb. d. k. K. §§ 30. sq.; *Giobbio*, Lezioni di diplomazia eccles. t. I. II. III.

(42) Lue. XII. 13. sq.; *Bellarmin.*, De Rom. Pont. l. V. cap. 4.; *Suarez*, Defens. fid. eath. l. III. cap. 5. n. 11.; *Pesch*, Praelect. dogmaticae t. IV. n. 559. sq. 566. sq.

(43) Matth. XXII. 21.: * *Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo* »; *Suarez* l. c. cap. 5., De leg. l. III. cap. 6.

(44) *Wilmers*, De religione revel. p. 206.

pulus Israeliticus fuerat subiectus, in novo testamento instituenda prorsus abstinuit uniceque fundavit Ecclesiam, quae esset regnum spirituale in hoc mundo, sed non de hoc mundo (45). Quare multo minus Apostoli eorumque successores a Christo Domino constituti sunt principes civiles et domini orbis terrarum (46); ipsis enim solummodo commissa est potestas propagandi et regendi *Ecclesiam* a Christo fundatam usque ad extremos fines terrae atque consummationem saeculorum (47). Hisce institutionibus legislator novi testamenti licet *systema* quoddam *scholasticum* de relatione inter Ecclesiam et Statum explicitis verbis non tradidisset, tamen *naturam* Ecclesiae eiusque ad societatem civilem *habitudinem* legibus vere *divinis* et fundamentalibus, quae hominum arbitrio obnoxiae non essent, accurate definivit (48).

13. *Apostoli* divina legatione fungentes (49) pro suo iure (50) etiam a republica ethnicorum postularunt, ut divina ipsorum missio plene agnosceretur. Nulla enim fingi potuit ratio, ob quam potestas civilis religionis christianae liberam praedicationem atque exercitationem licite prohiberet. Nam ut Apostoli legitimis potestatibus obedientiam propter conscientiam praestandam esse iusserunt (51), atque S. Paulus I. Timoth. II. 1. sq. pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, orationes fieri statuit, ita etiam de facto primi christiani fuerunt optimi cives. Nihilominus non solum in imperio Romano post brevem moram (52), sed ordinarie apud plerosque populos infideles dirae persecutiones, quas Christus Dominus praedixerat (53), initio rei christianae excitatae sunt.

14. Plurimae quidem nefandae istius persecutionis in imperio Romano fuerunt causas (54), inter quas certe non ul-

(45) Ioan. XVIII. 36.

(46) *Bellarmin.* l. c.; *Suarez* l. c.

(47) Matth. XXVIII. 18. sq.

(48) *Suarez*, De Ieg. l. III. cap. 6. l. IV. cap. 9. l. X. cap. 1.; *Card. Hergenroether-Kirsch*, Handb. d. allg. Kircheng. t. I. p. 68. sq.

(49) Matth. l. c.; Act. Apost. V. 29.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. t. I. p. 71. sq. 113. sq.

(50) *Lugo*, De virt. fidei div. disp. XIX. sect. 2.; *Phillips* l. c. § 117.; *Moulat* l. c. l. II. cap. 7. art. 1. 2.

(51) Paul. ad Rom. XIII. 1. sq.; I. Petr. II. 13. sq.

(52) *Tertullian.*, Ad Scapul. c. 2.; *Brueck*, Lehrb. d. Kircheng. (Istitutioni di storia eccles., Manuel de l'histoire de l'église, History of the cath. church) § 12.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. sq. 268. sq.

(53) Ioan. XV. 20.

(54) *Brueck* l. c.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c.

timum locum occupat illa, quod Ecclesia religioni Romanorum non solum sese non subordinaret, sed etiam falsam istam religionem cum republica intime connexam omnino abolendam esse constanter praedicaret. Nequaquam enim Romani *omnes* religiones *tolerabant* (55), sed eas, quae Pontifici maximo i. e. Caesari subesse detrectabant aut ex sua opinione bono reipublicae nocebant ipsamque religionem Status reiiciebant, penitus exstirpare et prohibere conati sunt.

Quare mirum non est, quod Ecclesia Christi a potestate civili imperii Romani *collegiis illicitis* (56) fuerit adnumerata, eiusque asseclae gravissimorum delictorum v. g. laesae maiestatis, sacrilegii, magiae etc. sint accusati (57).

Quae persecutiones divinam originem atque plenam perfectamque independentiam Ecclesiae a potestate civili evidentissime demonstrarunt (58). Hinc illa aetas persecutionum pro disciplina ecclesiastica maximi est momenti; etenim disciplina canonica, quae iam tribus illis saeculis vigeat, sine dubio non nitebatur legibus civilibus vel principum concessione v. g. celebratio Conciliorum, libera exercitatio iurisdictionis ecclesiasticae, acquisitio bonorum temporalium.

15. Ecclesia ut societas religiosa cum in imperio Romano *religionibus novis et peregrinis et illicitis* (59) adnumeraretur, per modum collegii fratrum vel tenuiorum (60), qui suis sociis honestam procurarunt sepulturam, sibi legalem quandam existentiam obtinere studuit.

(55) *Doellinger*, Heidenth. u. Iudenth. p. 608.

(56) Digest. XLVII. 22. de collegiis et corporibus; *Minul. Felix*, Octav. cap. 8.; *Tertullian.*, Apolog. cap. 38.; *Brueck* l. c. § 17.

(57) *Tertullian.*, Apolog. cap. 10.: " *Deos, inquit, non colitis et pro Imperatoribus sacrificia non impenditis.... Itaque saerilegii et maiestatis rei convenimur. Summa haec causa, ino tota est* ". Digest. XLVIII. 4. ad legem Iuliam maiestatis, 13. ad leg. Iul. peculat. et de sacrilegis; *Le Blant*, Sur les bases juridiques des poursuites dirigées contre les martyrs; *Thiel* in Act. theolog. Tubing. (Tuebing. Quartalsehr.) t. 37. a. 1855. p. 237. sq.; *Goerres* in *Kraus*, Real-Encykl. v. Christenverfolg. (iudicio examinandus); *Allard*, Histoire des persécutions; Dieci conferenze sul martirio (versio italiana *Radaelli*); *Conrat*, D. Christenverf. im roem. Reiche vom Standpunkt des Juristen (?); *Weis*, Christenverfolgungen; *Kueller* in Stimmen a M. Laach vol. 55. p. 1. sq.

(58) *Brueck* l. c. § 11.; *Card. Hergenroether-Kirsch*. l. c. p. 121. sq.

(59) *Goerres* l. c.

(60) Digest. XLVII. 22. de colleg. et corpor.; *Rossi*, Roma sotterranea cristiana t. I. p. 101. sq.

II. Ab edicto tolerantiae Constantini M. (a. 312.) usque ad interitum imperii occidentalis (a. 476.).

16. Post crudelissimam Diocletiani persecutionem Constantinus M. iam a. 312. edicto quodam tolerantiae in favorem Christianorum promulgato tandem a. 313. per edictum Mediolanense plenissimam libertatem religioni christianae concessit (61).

Qua tolerantia et permissione non contenti (62) mox Constantinus M. (63) alique Imperatores christiani excepto Iuliano apostata patrocinium atque defensionem Ecclesiae catholicae in sese suscipientes (64) illam reiecto paganismo et exclusis haereticorum sectis (65) tandem *religionem Status* effecerunt (66), atque singularibus prosecuti sunt favoribus (67). Hinc factum est, ut Imperatores Romani deposito (68) nomine et officio Pontificis maximi, quo huc usque perfuncti erant, potius titulis advocati Ecclesiae et Episcopi externi (69) gloriarentur. Porro ipsi Caesares pro Episcoporum ad Concilia itineribus, pro ecclesiarum aedificatione etc. ex aerario publico suppeditarunt sumptus. *Immunitas* quoque personalis et realis et localis iam tum introduci coepta est. Item Episcopis permissum est, ut non paucas litigantium causas in

(61) *Euseb.*, *Histor. eccles.* I. X. cap. 5; *Kirch*, *Enchiridion fontium hist. eccl. antiq.* n. 314. sq.

(62) *Riffel*, *Gesch. Darstellung des Verhaelt. zw. K. ut St.* (opus insigne, sed incompl. de rel. int. Eccl. et St.); *Broglie*, *L'Eglise et l'empire romain au IV. siècle*; *Phillips* I. e. §§ 118. 119.

(63) *Grisar* in *Aet. theol. Oenip.* t. VI. p. 554. sq. 585. sq., ubi contra recentiores quosdam scriptores solide defendit sinceritatem Constantini M. in profitenda fide christiana; *Funk*, *Abhandl. u. Untersuch.* t. I. p. 1. sq.

(64) *Cod.* I. 1. de sum. Trinit. et fide cath., 2. de sacros. ecclesiis, 3. de Epise.

(65) *L.* 1. 2. *Cod.* de sum. Trinit. I. 1.; *Cod.* I. 10. de paganis et saerif. et templ., 5. de haereticis, 7. de apost., 9 de Iud. Cfr. *Schultze*, *Gesch. d. Unterg. d. griech.-roem. Heident.*; *Boissier*, *La fin du paganisme*; *Broglie*, *L'Eglise et l'empire rom. au IV. siècle*; *Allard*, *Le christianisme et l'empire rom. de Néron à Théodose*; *Rauschen*, *Jahrb. d. christ. K. unter K. Theodos. d. Gr.*

(66) *Euseb.* I. c. I. X. cap. 5.; *L.* 1. *Cod.* de. sum. Trinit. I. 1. (*Theodos. M.*, *Gratian.*, *Valentian.* II. a. 380.).

(67) *Euseb.* I. c. I. X. cap. 2.; *L.* 2. 6. *Cod.* de Ep. I. 3.; *Grashof* in *Arch. f. k. K.* t. 36. p. 3. sq. 193. sq. 321. sq. t. 37. p. 256. sq.

(68) *Gratianus* a. 382. titulo Pont. max. primus renuntiavit.

(69) *Constantinus M.* apud *Euseb.*, *Vita Const.* I. IV. cap. 24.

suo foro componerent. Nova quoque utriusque potestatis relatio in imperio Romano maxime illud effecit, ut *leges reipublicae* magis magisque legibus divinis religionis christianae atque sacris Ecclesiae canonibus conformarentur (70).

17. At praesertim Imperatores Byzantini in eo a recto tramite deviarunt, quod in exstirpandis haeresibus limites legitimae tuitionis egressi definitionibus dogmaticis sese immiscere atque edictis imperialibus res ecclesiasticas ordinare praesumpserunt. Cuius perversae praxis iam tempore Constantini M. († a. 337.) prima occurrunt vestigia (71), et multo frequentius postea accidit ut Imperatores Byzantini potius haereticis quam Ecclesiae catholicae concederent favorem et protectionem (72). Ex miro illo principio Iustiniani I. (Novell. 7. cap. 2.), quod non "*multum differant ab alterutro sacerdotium et imperium, et res sacrae a communibus et publicis* „, facile iam explicatur, quare Imperatores leges dederint etiam de Episcopis et clericis, de numero clericorum in ecclesiis Constantinopolitanis, de monachis, de electione et depositione Episcoporum, de translatione et residentia clericorum, de sacris mysteriis in domibus privatis non celebrandis (73). Imo complures Imperatores eo progressi sunt, ut in materia quoque *fidei catholicae* pro suo arbitrio conderent leges (74).

Quodsi istae leges Imperatorum fuissent canonum pedissequae, i. e. ad auctoritatem canonum accessisset vis *legum civilium* (75) et *brachii saecularis*, nihil sane mali continuis-

(70) Brueck l. c. §§ 46. 47. 48.; Thommasin., Vet. et nov. Eecl. discipl. P. III. l. 1. cap. 33. sq.; Aichner, Comp. iur. eecl. § 41.; Cardinal. Hergenroether-Kirsch l. c. p. 320. sq.

(71) Hefele l. c. t. I. p. 448. sq. 455. sq. 477. sq.

(72) V. g. Constantinus († a. 361.); Valens († a. 378.) aliique. Cfr. Hefele l. c. 488. sq. 735. sq.

(73) Cod. I. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8.; Novell. 3. 5. 6. 7. 123. 131. 133.

(74) V. g. Zeno (a. 482.) publicavit henoticon; Iustinianus vero (c. a. 543.) promulgavit edictum contra Origenis errores, deinde (c. a. 544.) primum edictum de tribus capitulis, cui (c. a. 551.-553.) alterum edictum accessit; ab Heraclio (a. 638.) ethesis publicata est, et Leo Isauricus (a. 726) suo edicto doctrinam et praxim de sacris imaginibus impugnare coepit. Cfr. Hefele l. c. t. II. p. 567. 786. sq. 798. sq. 826. sq. t. III. p. 376. sq.; Kirch, c. enchir. n. 883. sq., 757. sq.

(75) Iustinian. I. (a. 545.) in Novell. 131. cap. 1.: "*Sancimus igitur vim legum (τάξιν νόμων) oblinere sacros ecclesiasticos canones in sanctis quatuor Synodis expositos et confirmatos* „; Marcianus de canon. Cone. Chalcedon. (a. 451.) in c. 2. 3. D. 96.; Hefele l. c. t. II. p. 474. sq. 554. sq.

sent (76); at plerumque sacros Ecclesiae canones antecederant et subsequentibus saeculis usque in hodiernum diem triste constituunt exemplum abusus potestatis civilis, quod faciles invenit imitatores. *Qua in re antiquum ius Romanum* etiam Imperatorum christianorum magis quam in aliis sanctionibus iuste reprehenditur.

18. Mirum igitur non est, quod iam inde ex saeculo quarto a Praelatis ecclesiasticis (77) et praesertim a Romanis Pontificibus libertas Ecclesiae in suis rebus ordinandis, salva mutua concordia et amicitia utriusque potestatis (78), gravissimis verbis contra Imperatores Romanos fuerit vindicanda. Cuius pontificiae firmitatis exemplum est celeberrimum effatum Gelasii I. a. 494. in epistola ad Imperatorem Anastasium I., quod saeculis sequentibus iterum iterumque repetitum in solemnem transiit formulam: “ *Duo quippe sunt, Imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sacrata Pontificum et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem* „ (79).

19. *Episcopi orientales* iam ante ortum schisma Photianum non raro in suo sensu abundarunt et v. g. in ipsa Synodo Constantinopolitana (a. 448.) Theodosium II. appellant: “ *Sacerdotem Imperatorem* „ atque in *act. sext. Conc. Chalced. a. 451. per solemne acclamationem Marcianum salutarunt*: “ *Tu es simul sacerdos et Imperator, victor in bello et magister fidei* „.

Pronum igitur fuit, ut audaciores Imperatores Byzantini verba illa superlata per sinistram interpretationem in praxi studerent applicare ad cohonestandas suas usurpationes. Ita v. g. Leo III. Isauricus in controversia de sacris imaginibus a. 729. ad Gregorium II. scribit se esse *simul Imperatorem et sacerdotem*. Quae verba Gregorius II. in sua responsione ad genuinum sensum reduxit (80) et Imperatori iconoclastae terminos utriusque potestatis a Deo statutos denuo in memo-

(76) Cfr. de vi legum Iustiniani atque similium legum hispanicarum: Suarez, De leg. l. IV. cap. 11. n. 16.

(77) *Hefele* l. c. t. I. p. 652. sq. 666.; at non singula verba *lune* ab Episcopis prolata ex *nostro* modo loquendi diiudicanda sunt.

(78) Cfr. c. 2. 8. Conc. Carthag. V. (a. 401.); S. August. in c. 39. 41. 42. 43. C. XXIII. q. 4.; S. Leo (a. 450.) in epistol. ad Pulcher. August. = c. 21. C. XXIII. q. 5.

(79) Cfr. c. 10. D. 96.; *Thiel*, Epist. Rom. Pontif. t. I. p. 350. sq. De aliis Romanor. Pontif. epist. cfr. c. 1. sq. D. 96.

(80) *Hefele* l. c. III. p. 399. sq.

riam revocavit. Quo magis autem Praesules Ecclesiae orientalis in *schisma* prolapsi sunt, eo minus habiles fuerunt ad conservandam independentiam Ecclesiae a dominatione Imperatorum (81).

III. Ab interitu imperii occidentalis (a. 476.) usque ad Carolum M. (a. 768.-814.) (82).

20. Cum complures populi *germanici* (83) velut Gothi, Burgundiones, Longobardi, Vandali religionem christianam haeresi Ariana deformatam amplexi essent, princeps populus germanicus, qui fidem *catholicam* susciperet, fuit gens *Francorum* (post a. 496.).

Quod exemplum Burgundiones (84) in Gallia ineunte saeculo sexto, Visigothi in Hispania (a. 586.), Longobardi in Italia ex fine saeculi sexti, Saxones et Angli in Britannia (post a. 596.) secuti sunt. In Germania proprie dicta inde ex saeculo sexto usque ad saeculum nonum inter Alamannos et Bavaros et Saxones etc. religio catholica propagata et stabilita est.

21. Qui populi barbari, sed non corrupti, cum singulari quadam animorum devotione fidem catholicam suscepissent, religionem christianam non solum ut legem singulorum hominum, sed etiam universae societatis atque ipsius civitatis admiserunt. Hinc inter Ecclesiam catholicam et illos populos paulatim orta est intima quaedam coniunctio. Cuius coniunctionis solidum fundamentum fuit *concordia utriusque potestatis* mutuumque subsidium in prosequendis finibus Ecclesiae et civitatis, salva independentia uniuscuiusque potestatis (85). Neque in dubium vocari potest, quin huiusmodi cooperatio societatis ecclesiasticae et civilis praesertim apud Visigothos et Francos supremum quendam attigerit gradum,

(81) *Card. Hergenroether*, Photius l. I. p. 296. sq. t. III. p. 653. sq.

(82) *Phillips* l. c. §§ 119. sq.; *Gosselin*, Pouvoir du Pape au moyen âge *Scherer* l. c. t. I. § 12.; *Glasson*, Les rapports du pouvoir spirituel et du pouvoir temporel au moyen âge; *Friedberg*, De finium inter ecclesiam et civitatem regundorum iudicio, quid medii aevi doctores et leges statuerint (pro suis principiis protestanticis de hac re disserit); *Waller*, Deutsche Rechtsgesch. (Hist. iur. german.). t. I. n. 19. 20. 53. 66. 67. 75. 80. 91. 97. sq. 158. 170. 187. sq. 230. sq. 249. sq.

(83) *Brueck* l. c. §§ 73. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 655. sq.

(84) *Hefele* l. c. t. II. p. 629. sq. 667. sq.

(85) Cfr. c. 1. D. 96.; *Hefele* II. 633. sq.

unde nata est multiplex competentia mutua, sed simul etiam non levis dependentia Praelatorum ecclesiasticorum a potestate regum gravibus abusibus coniuncta (86).

Ecclesiae indubitatum caput fuit *Romanus Pontifex*, ad quem vel ipsi reges novarum civitatum christianarum recurrebant (87). *Episcopi* secundum constitutionem civilem illorum regnorum fuerunt status quidam publicus bonis temporalibus et privilegiis dotatus, qui cum aliis optimatibus ad *Councilia mixta* convenerunt (88). *Reges* quoque censebantur habere sacram quandam dignitatem, ad quam velut Autistites Ecclesiae solemnibus unctionis et coronationis ritu sunt assumpti (89).

Quemadmodum vero *ius publicum* populorum germanicorum principiis christianis innitebatur, ita etiam *ius privatum* legibus fidei et sacris Ecclesiae canonibus magis magisque fuit adaptatum (90).

22. Denique mutua concordia utriusque potestatis effecit, ut etiam Ecclesia in suo foro reciperet complura instituta iuridica istis populis propria, quae reiectis abusibus disciplinae ecclesiasticae promovendae apta videbantur (91).

IV. A Carolo M. (a. 768.-814.) usque ad dissidium de investituris inter Gregorium VII. (a. 1073.-1085.) et Henricum IV. (a. 1056.-1106).

23. Perfectissima facta est coniunctio utriusque potestatis sub Carolo M., neque principia de distinctione et independentia Ecclesiae et civitatis grave damnum passa sunt. Cum S. Bonifacius Carolo M. in restauranda disciplina ecclesiastica efficacissime viam parasset, Pippinus, Caroli M. pater, in

(86) *Schnuerer*, D. polit. Stellung. d. Papstt. z. Zeit Theoderichs d. Gr. in Hist. Jahrb. t. IX. p. 251. sq.; *Pfeilschifter*, D. Ostgotenk. Theoderich; c. 6. Conc. Tolet. XII. (a. 681.) de iure regis Visigothorum in nominatione Episcoporum; *Walter* l. c. n. 66. 67. 98. 125.; *Grisar* in Act. theol. Ocuip. t. XIV. p. 447. sq.; *Card. Hergenroether-Kirseh* l. c. p. 657. sq.; *Saegmueller* l. c. p. 41. not. 2.

(87) *Hefele* l. c. t. II. p. 580. de accusatione principis Friderici, fratris regis Theodorici, a 462. apud Hilarium Papam contra Hermetem Narbonensem prolata, p. 591. de simili querela regis Burgundionum a. 463.

(88) *Walter* l. c. n. 66. 67. 81. 108. sq. Quae conditio Episcoporum fuit causa principalis, ob quam reges in *nominandis* Episcopis et in *celebratione* Synodorum multa sibi vindicarent iura.

(89) *Walter* l. c. n. 90. 57. sq. 87. sq.

(90) *Walter* l. c. n. 141. sq. 166.

(91) *Walter* l. c. n. 158.

eodem opere coadiuvando fuit strenuus praedecessor (92), subsidiumque a Romanis Pontificibus acceptum (93) per gesta Francorum et liberalibus donationibus abunde compensavit, unde magna ex parte ortus est principatus civilis Romanorum Pontificum (94). Carolus M. secutus exemplum S. Bonifacii et praeclarissimi genitoris praesertim unionem inter *Sedem Apostolicam* et *regnum Francorum* sapienter inchoatam magis promovit atque ad culmen perfectionis adduxit. Ipse enim destructo (a. 774.) regno Longobardorum novis beneficiis Romanos Pontifices cumulavit et suo fideli patrocinio disciplinam ecclesiasticam restauravit fidemque catholicam propagavit.

Post adeptum cum patre a. 754. titulum *patricii Romanorum* (95), quo saltem ex anno 774. utitur, a 789. ipse sese appellavit *devotum sanctae Ecclesiae defensorem humilemque adiutorem*. Quare tandem in festo nativitatis D. N. I. Ch. a. 800. a Leone III. (96) solemniter *Imperator* coronatus est, ut, qui officio advocati Ecclesiae diu functus erat, deposito titulo patricii insigniretur supremo honore Imperatoris. Quod novum imperium Carolo M. concessum sane *a principatu* antiquorum Imperatorum Romanorum occidentalium est distinctum, neque Graecis fuit ereptum et in Francos sive Germanos translatum, neque naturam induit novae cuiusdam *monarchiae universalis* Francorum, neque cum dignitate regia unius determinataeque nationis v. g. Germaniae est confundendum (97), sed consistit in *officio advocatiae* Ecclesiae universalis atque praesertim Ecclesiae Romanae et personae Romani Pontificis

(92) *Hefele* l. c. t. III. p. 513. sq. 518. sq. 545. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. t. II. p. 43. sq.

(93) *Hefele* l. c. p. 569. sq.; *Grashof* in *Arch. f. k. K.* t. 41. p. 193. sq. t. 42. p. 209. sq. 305. sq. de patriciatu Imperatorum germ.

(94) *Hefele* l. c. p. 577. sq.; *Schnuerer*, L'origine dello stato della chiesa (vers. A. Mercali).

(95) *Grashof* l. c.; *Brunengo*, Il patriziato romano di Carlomagno; *Niehues*, Commentatio histor. de imperat. Henrici III. patriciatu romano.

(96) *Brueek* l. c. §§ 86. 87. sq.; *Waller* l. c. n. 53. 91. 170. 171.; *Ollolenghi*, Della dignità imperiale di Carlo Magno; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 65. sq. 82. sq. 87. sq.

(97) *Suarez*, De leg. l. III. cap. 7. 8., ubi absonas opiniones antiquorum iuristarum cum sobrietate theologica refutat; *Phillips* l. c. t. III. p. 52. sq. 192. sq.; *Wernz* in *Stimmen aus Maria-Laach* t. X. p. 198. sq. 246. sq.; *Staatslexikon* t. III. v. Kaiser; *Cavagnis* l. c. P. II. p. 103. sq.; *Michael* in *Act. theol. Ocnipont.* t. XXVI. p. 265. sq. 270. sq. et *Gesch. d. d. Volk.* t. I. p. 266. sq.

eiusque principatus civilis. Inde evidenter consequitur *huiusmodi* officium Imperatoris per se a solo R. Pontifice potuisse *institui* atque concedi (98). Cui *officio* accesserunt *iura* quaedam *honorifica* et *utilia* et *iurisdictionalia* partim ex naturali aequitate partim ex positiva concessione Romani Pontificis (99). Hinc sicut novi illi Imperatores iuramento *fidelitatis*, quod Romano Pontifici praestiterunt, non facti sunt *vasalli* Sedis Apostolicae, ita etiam ipsi reliquos reges independentes v. g. in Hispania vel Anglia et in Italia principatum civilem Romanorum Pontificum ad instar vasallorum subiectos non habuerunt (100) multoque minus rebus ecclesiasticis ordinandis praepositi sunt.

24. Quae *dignitas imperialis* cum postea a Romanis Pontificibus diversorum regnorum principibus fuisset *concessa* (101), inde a tempore Ottonis I., qui anno 962. iterum Imperator coronatus fuerat, vi privilegii *pontificii* per modum taciti pacti cum dignitate et potestate *regia Germaniae* a dignitate imperiali omnino diversa stabiliter est coniuncta (102).

25. Post mortem Caroli M. unio illa inter Ecclesiam Romanosque Pontifices atque Imperatores, etsi multis vicissitudinibus obnoxia, tamen quoad substantiam non fuit sublata (103). At negari non potest unionem istam praeter multa commoda etiam non levia damna et pericula Ecclesiae attu-

(98) Ioannes VIII. (a. 872.-882.) in epist. 21. 227. 315.; Imperator Ludovicus II. in epist. ad Imper. Basilium (*Baronius*, Annal. a. 871.); cap. 34. X. de elect. I. 6. (Innoc. III. a. 1202.) iunct. *Hefele* I. c. t. V. p. 788. sq. Cfr. iuramentum *fidelitatis* non *ligii* vel *homagii vasalli* ab Ottone I. a. 962. R. Pontifici praestitum in c. 33. Dist. 63. iunct. cap. unie. de iureiur. II. 9. in Clem. et *Hefele* I. c. t. IV. p. 605. sq.; *Scherer* I. e. t. I. § 12. not. 49.

(99) *Grashof* I. c. t. 42. p. 209. sq. 226.

(100) *Suarez* I. c.; *Grashof* I. c.; *Michael* I. c.

(101) Cfr. c. 11. D. 96. (Ioannes VIII. ?); *Hefele* I. e. p. 295. 513. sq.

(102) *Brueck* I. c. §§ 88. sq. Quare *Ludovicus* Bavarus graviter erravit, si in sua controversia cum Ioanne XXII. hanc solemnem publicavit declarationem: " *De consensu Electorum et aliorum Principum imperii declaramus, quod imperialis potestas et dignitas est immediate a solo Deo* ". Cfr. *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 10.; *Michael* I. c.: *Card. Hergenroether-Kirseh* I. c. t. II. p. 202. sq. Pariter *Daute*, De monarchia libri tres et multo magis *Marsilius Patavinus* tenuerunt falsas opiniones de imperio Romano atque relationes inter R. Pontificem et Imperatorem. Cfr. *Card. Hergenroether-Kirseh* I. c. n. 747. not. 1. p. 755. sq. 833. sq.

(103) Cfr. c. 28. 31. D. 63.; *Lapôte*, L'Europe et le Saint-Siège à l'époque carolingienne (I. Le pape Jean VIII.); *Card. Hergenroether-Kirseh* I. c. t. II. p. 101. sq. 189. 296. sq.

lisse (104). Quodsi iam Otto I. arbitrarie de Sede Apostolica Romanoque Pontifice disposuit, multo magis Henricus III. nominationem quandam Romanorum Pontificum exercuit (105). Quae nominationes licet pro singulari virtute Henrici III. nonnisi de dignissimis fierent personis, tamen liberam electionem supremi pastoris Ecclesiae nimis arctarunt atque sub alio Imperatore Henrico III. multum dissimili (ut de facto iam fuit ipsius filius Henricus IV.) gravissimis abusibus ansam dare potuerunt (106).

Libertas Ecclesiae, quae in eligendo Romano Pontifice fuerat violata, magis magisque etiam *in electione Episcoporum* detrimentum passa est (107). Imperatores enim et reges ob rationes politicas sibi nominationem Episcoporum vindicare studuerunt. Qua in nominatione iis *formis et symbolis* uti sunt, quibus sedes episcopales ad instar magistratuum civilium sunt concessae, ita ut distinctio utriusque potestatis iure divino statuta in dubium vocaretur. Quodsi complures Imperatores et reges saltem dignos pastores ecclesiis cathedralibus et conventualibus praeficere studuerunt, alii ad capienda lucra a nominationibus *simoniacis* perditorum clericorum non fuerunt alieni.

Quibus malis alii gravissimi abusus in clero accesserunt et imprimis turpissimum *concupinatus* vitium etiam in superioribus gradibus hierarchiae. Maximum igitur fuit periculum, ne Ecclesia, sponsa Dei, in omnimodam redigeretur servitutem.

V. A Gregorio VII. (a. 1073.-1085.) usque ad conflictum inter Bonifacium VIII. (a. 1294.-1303.) et Philippum Pulchrum (a. 1285.-1314.).

26. Gregorius VII. (108), ut simoniam et concubinatum in clero eradicaret suamque Ecclesiae restitueret libertatem, forti constantique animo imprimis causam et originem malorum

(104) *Thomassin.* l. c. P. III. l. 1. cap. 26. sq.; *Brueck* l. c. § 91.

(105) *Hefele* l. c. p. 599. sq. 660. sq. 620. sq. (de spuria Const. Leonis VIII. (Pseudopapae) in c. 23. D. 63.); *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. t. II. p. 204. sq. 218. sq.

(106) *Brueck* l. c. § 90.; *Hefele* l. c. p. 702. sq.

(107) *Thomassin.* l. c. P. I. l. 2.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 303. sq.

(108) *Brueck* l. c. § 114.; *Hefele* l. c. t. V. p. 1. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 350. sq.

i. e. investituram laicorum (109) auferre studuit. Qua in pugna in Hispania et in Anglia (110), ubi regem Guilelmum fortissimum habuit adiutorem, facilius reportavit victoriam; at in Italia, Gallia et praesertim in Germania contra reformationem Gregorii VII. multi et potentes insurrexerunt adversarii, inter quos maxime eminent Henricus IV., rex Germaniae.

Qui fuerit *scopus* Gregorii VII. in sustinenda sua causa, praesertim ex ipsius epistolis clarissime patet: in eo enim positus est, ut pro suo munere *sanctitatem* et *libertatem* Ecclesiae vindicaret. Quare si quis Gregorio VII. tribueret *intentionem* instituendi *universalem* quandam *monarchiam* vel *theocratiam* (111), is non nisi ex verbis Gregorii VII. male intellectis vel ex suis praeiudicatis opinionibus huiusmodi consilium sancti Romani Pontificis deduceret. Nequaquam enim Gregorius VII. putavit *omnes principes* civiles esse suos *vasallos* multoque minus absurdam tenuit sententiam, quasi *ipsa potestas* civilis non Deum, sed *diabolum* haberet auctorem (112).

27. Quamvis Gregorius VII. in exilio moreretur, tamen ipsius causa vicit, atque per concordatum Wormatiense in Concilio Lateranensi I. a. 1123. confirmatum pax inter Ecclesiam et imperium denuo stabilita est (113). Quae perfecta amicitia maxime viguit, cum Lotharius III. (a. 1125.-1137.), qui fuit vere exemplum boni principis, imperio potiretur ideoque ab Innocentio II. (cfr. *Phillips* l. c. t. III. § 126. p. 173. sq.) merito debitis laudibus est celebratus. Porro Ecclesia, ut in imperio, ita etiam in aliis regnis v. g. in Anglia et Gallia libertatem ab iniustis laicorum investituris consecuta est.

28. At quamvis primum saeculum post finita dissidia de investituris sane melioribus temporibus medi aevi sit adnumerandum, tamen suis controversiis inter utramque potestatem non caruit. Praesertim vero duo conflictus sunt commemorandi, quos sustinuit *Alexander III.* (a. 1159.-1181.) cum Imperatore *Friderico Barbarossa* (a. 1152.-1190.) (114) et cum

(109) Cfr. decret. Synod. Later. a 1075. et *Hefele* l. c. p. 47. sq.

(110) Conc. Winton. a. 1076.

(111) *Hefele* quoque l. c. t. V. p. 20. sq. consilium atque doctrinam Gregorii VII. minus accurate exponit quam *Seherer* l. c. t. I. p. 35. sq.

(112) Cfr. h. tit. in nota 26. *Suarez* et *Michael* l. c.; *Bianchi* l. c. t. I. l. 1. §§ 13. sq.; *Card. Hergenroether*, K. Kirche u. christ. Staat p. 138. sq.; *Saegmueller* l. c. p. 44. not. 1.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 368. sq.

(113) *Hefele* l. c. p. 186. sq. 363. sq.; *Brueck* l. c. § 115.; *Sentis*, D. Monarchia Sicula p. 14. sq.

(114) *Brueck* l. c. § 117.; *Hefele* l. c. p. 533. sq. 644. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 447. sq.

Henrico II. (a. 1154.-1189.), rege Angliae (115), pro libertate Sedis Apostolicae atque Ecclesiae contra Caesaropapismum illorum principum civilium.

Quibus controversiis compositis per pacem Venetiis (a. 1177.) inter Alexandrum III et Fridericum Barbarossam initam atque per reconciliationem Henrici II. (a. 1176.), tandem Ecclesia sub Innocentio III. (a. 1198.-1216) in pace a gravibus perturbationibus non omnino libera obtinuit toto medio aevo suae maioritatis verae et efficacis supremum fastigium (116).

29. Post pontificatum Innocentii III. mox exorta est nova pugna inter imperium et sacerdotium, cum *Fridericus II.* e stirpe Stauforum prava exempla patris et avi secutus iura Ecclesiae Sedisque Apostolicae gravissime laederet, promissis etiam iuratis non staret aliaque patraret delicta. Inde factum est, ut Fridericus II. post multas vicissitudines ab *Innocentio IV.* in Concilio Lugdunensi I. (a. 1245.) deponeretur (117).

VI. A Bonifacio VIII. (a. 1294.-1303.) usque ad reformationem (a. 1517.).

30. Cum reges Galliae in periculosis controversiis, quibus Alexander III. et Innocentius IV. cum Imperatoribus erant implicati, non raro fidele praestissent subsidium (118), ex natura rei Gallia penes Romanos Pontifices maiorem obtinuit auctoritatem. Cuius rei vestigia iam anno 1266. reperiuntur quo Clemens IV. Carolo, fratri S. Ludovici, regis Galliae, Siciliam in feudum Sedis Apostolicae concessit (119).

Quae amicitia inter Sedem Apostolicam et Galliam regnante Philippo Pulchro in apertum dissidium est conversa. Profecto in isto dissidio Bonifacius VIII. in suum favorem habuit “ *veritatem et iustitiam* „, licet in nonnullis documentis *forma*

(115) *Brueck* l. c. § 117.; *Hefele* l. c. p. 606. sq.

(116) *Brueck* l. c. § 120.; *Hefele* l. c. p. 768. sq. Quae maioritas Ecclesiae nequaquam tamen eum gradum obtinuit, ut de facto et de iure quasi actum esset de independentia potestatis civilis. Cfr. *Scherer* l. c. p. 38. 53. iunct. *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 481. sq.

(117) *Brueck* l. c. § 121.; *Hefele* l. c. p. 907. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 555. sq.

(118) *Hefele* l. c. t. V. p. 593. 644. sq.

(119) *Brueck* l. c. § 122.; *Hefele* l. c. t. VI. p. 1. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 573. sq.

minus opportuna usus sit (120); at Philippus Pulcher (121) armis mendacii et violentiae pugnabit, ideoque mirum non est, quod apparentem quandam vereque tristem reportarit victoriam. Ex illo enim tempore salutifera illa vis et auctoritas, quam Romani Pontifices in civitates et reges hucusque exercuerant, magis magisque imminui coepta est. Bonifacius VIII. vero in sua Const. "*Unam sanctam*" 18 Nov. 1302. cuius sola *clausula finalis* continet definitionem dogmaticam, denuo etiam ad futuram rei memoriam solemniter adumbravit genuinam relationem inter Ecclesiam et civitatem (122).

31. Cum residentia Romanorum Pontificum a Clemente V. (a. 1305.-1377.) ex infelici consilio in Galliam esset translata (123), cum gravi damno Ecclesiae crevit vera et non raro saltem apparens dependentia Romanorum Pontificum a regibus Galliae. Hinc in dies maior orta est separatio populorum et principum a Sede Apostolica, cum illi aversioni a dominatione regum Galliae accederent novi conflictus inter imperium et Romanos Pontifices infeliciter protracti v. g. inter Clementem V. et Henricum VII. (cfr. cap. 2. de sent. II. 11. et cap. un. de iureiur. II. 9. in Clem.), Ioannem XXII. et Ludovicum Bavarum (124). Qui conflictus eo periculosiores existerunt, quod a viris doctis de potestate pontificia et imperiali plane novae et falsissimae *theoriae* ex utraque parte divulgarentur (125).

32. Cum tandem Romani Pontifices derelicta civitate Avinionensi denuo Romae suam residentiam collocarent, atque feliciora viderentur appropinquare tempora (126), inde ab Ur-

(120) *Hefele* l. c. p. 266. sq.; *Brueck* l. c. § 123.; *Tosti*, Storia di Bonifacio VIII.; *Card. Hergenroether*, K. Kirche u. chr. Staat, p. 260. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. t. II. p. 583. sq. 597. sq.

(121) *Boutaric*, La France sous Philippe le Bel; *Hefele* l. c. p. 289. sq., cuius nimis severa iudicia de Bonifacio VIII. prolata a *Card. Hergenroether* in sua historia ecclesiastica tacite corriguntur.

(122) Cfr. de aliis Decretalibus Bonifacii VIII.: "*Les registres de Boniface VIII.*" par *Digard*, *Faveon* et *Thomas*; *Hefele* l. c. p. 282. sq.; speciatim de Const. "*Unam sanctam*": *Palmieri*, De R. Pontifice p. 548. sq.; *Brueck* l. c. § 123. i. f.; *Moulat* l. c. l. II. cap. 2. art. 3. § 3., quam alii aliter sine solidis rationibus explicant. Cfr. *Saegmueller* l. c. p. 44. sq. not. 4. 5. iunet. *Michael* in Act. theol. Oenipont. t. XXVI. p. 270. not. 1.

(123) *Hefele* l. c. p. 393. sq.; *Brueck* l. c. § 124.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 735. sq.

(124) *Hefele* l. c. p. 575. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 746. sq.

(125) *Hefele* l. c. p. 585. sq.; *Brueck* l. c. § 124. p. 428. sq.; *Saegmueller* l. c. p. 46.; *Wernz* h. tit. § 4.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 749. sq.

(126) *Hefele* l. c. p. 727.; *Brueck* l. c. p. 435. sq.

bano VI. usque ad Martinum V. (a. 1378.-1417.) magnum illud et funestissimum schisma occidentale ortum est. Quo accidit, ut non solum potestas pontificia vel in ipso foro ecclesiastico per perversas praxes et falsas theorias deprimeretur, sed ipsa Ecclesia principum civilium arbitrio magis fieret obnoxia (127). Exstincto quoque schismate in Concilio Constantiensi et compluribus initis concordatis (128) pravae doctrinae Concilii Basileensis praerogativis Sedis Apostolicae adeo infensae a principibus civilibus avidae sunt susceptae ipsisque legibus civilibus insertae. Ita v. g. in comitiis Moguntinis (a. 1439.) complura decreta Basileensia fuerunt confirmata, postquam in conventu Bituricensi (a. 1438.) sanctio quaedam pragmatica est compilata et in senatu Parisiensi promulgata. Quibus molitionibus schismaticis Rom. Pontifices in Germania per concordata Viennensia (a. 1448.), in Gallia per concordatum (a. 1516.) cum Francisco I. initum obviam ire tentarunt (129).

Relaxato vinculo unionis, quo populi et reges et Episcopi cum sede Apostolica erant colligati, ordo societatis christianae multum est perturbatus. Porro schismata illa et scissiones illud effecerunt, ut singulae nationes sua iura nationalia vehementius appetere quam connexionem cum Ecclesia universali. Qua ratione via parata est ad perfectam illam scissionem, qua tempore reformationis integrae nationes ab Ecclesia catholica separatae sunt (130).

33. Scholion. I. Ut *principia* cognoscantur, quibus tempore medii aevi habitudo inter Ecclesiam et imperium et regna est definita, praesertim consulendae sunt *epistolae Romanorum Pontificum*, inter quas nonnullae ob rei gravitatem et doctrinae expositionem plane singularem merentur attentionem (131). Nam etiamsi in medio aevo aliae vigerint *formae*

(127) *Brneck* l. c. §§ 125. 126.

(128) *Hefele* l. c. t. VII. p. 326. sq.; *Brneck* l. c. §§ 127. 128.

(129) *Hefele* l. c. p. 426. sq.; *Brneck* l. c. §. 128. p. 456. sq.

(130) *Brneck* l. c. § 129.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 776. sq. 996. sq.

(131) Cfr. v. g. Innoe. III. in cap. *Per venerabilem* 13. X. qui filii, IV. 17., cap. *Venerabilem* 34. X. de elect. I. 6., cap. *Novit* 13. X. de iud. II. 1.; Innoe. IV. in cap. *Ad Apostolicae Sedis* 2. de sent. II. 14. in Sext.; Clem. V. in cap. *Romani Principes* unic. de iureiur. II. 9. in Clem.; Ioannes XXII. in cap. *Si fratrum* unic. tit. 5. ne sede vacante in Extravg. Ioann. XXII.; *Phillips* l. c. t. III. §§ 127. sq.; *Molitor*, D. Decretale *Per venerabilem*, quem impugnat *Martens*, Ein deutscher (sic!) Vertreter des Hierokratismus (sic!);

regiminis in societate civili, atque Romani Pontifices etiam ad *iura humana* (132) non raro provocarint v. g. ad ius in *vasallos* Sedis Apostolicae (133), ad ius *tutela* (134) et *census*, tamen in definienda mutua utriusque potestatis relatione *principaliter* iis insistunt rationibus, quae non ex iure quodam historico et humano tamquam adminiculo (135), sed ex immutabilibus principiis iuris divini petuntur (136). Quae principia procul dubio diversis *modis* potuerunt applicari, neque negandum est *certas* potestatis ecclesiasticae ad civilem principatum relationes *supponere certas* temporum et hominum *conditiones*. Inde autem minime efficitur *omnia illa* iura Ecclesiae *in se esse mere humana* et historica. *Conditiones* quoque *historicae*, quae requiruntur, ut iura ecclesiastica efficaciter et opportune exerceanur. *causae efficientes* sive *fontes* et *origines* illorum iurium (137) dici nequeunt.

II. Quodsi epistolae Romanorum Pontificum sunt fontes principales genuini iuris medio aevo de relatione inter Ecclesiam et civitatem constituti, haud spernendae sunt disputationes, quibus eodem tempore viri docti *suas theorias* (138) de eodem argumento proposuerunt. In mediis dissidiis inter

Hefele l. c. t. V. p. 775. sq.; Bonifac. VIII. in cap. *Unam sanctam* l. de maior. et obed. l. 8. in Extrav. eom. iunct. Clem. V. cap. *Meruit* 2. de privil. V. 7. in Extrav. eom.; Gregor. XI. Const. « *Salvator* » 8. Apr. 1374.

(132) Qua in re factum est, ut interdum tituli iuris allegarentur, qui solido fundamento historico carebant, v. g. si Clem. V. in cap. unie. de iureiur. II. 9. in Clem. provoeat ad spuriam donationem Constantini M. At istis argumentis inefficacibus reliquae rationes ad eomprobendam doctrinam verissimam de indirecta potestate Ecclesiae suam vim non amiserunt. Cfr. *Scherer* l. c. t. I. § 12. not. 21. 36. 40.; *Saegmueller*, D. Constant. Sehenkung. im Investiturstreit (Act. theol. Tubing. a. 1902. p. 89. sq.); *Michael* l. e. in Act. theol. Oenip. t. XXVI.

(133) *Phillips* l. e. t. V. § 243.; *Hoeffler*, Kaiserth. u. Papstth. p. 35. sq.

(134) Cfr. i. f. cit. cap. unie. de iureiur. in Clem.; cap. 18. X. de privil. V. 33.; *Blumenslok*, D. paepstl. Schutz iunct. *Hiuschius*, System d. k. Kirehenr. t. V. p. 330. sq. 971. sq.

(135) *Molitor* l. e.; *Hiuschius* l. e. p. 391. sq. 974. sq.; *Scherer* l. c. p. 35. not. 15.

(136) Cfr. cap. cit. in not. 131. praesertim cap. *Per venerabilem* l. c. et cap. *Unam sanctam* l. c.

(137) *Molitor* l. c.; at *Card. Hergenroelher* opinatur « *historicum systema* » sufficere ad explicandas exercitationes potestatis ecclesiasticae tempore medii aevi.

(138) Cfr. *S. Gregor. Naz.* († a. 390.) in c. 6. D. 10.; *S. Thomas* († a. 1274.), De regim. principum (opus a S. Thoma inchoatum, sed a discipulo finitum); *Bouix*, De Papa t. III. p. 7. sq. eum iudicio tamen legendus tum in quaestionibus canonice tum in disquisitionibus historicis.

utramque potestatem constituti non pauci theologi et cano-
nistae et iuristae ab extremis sententiis sibi non caventes
pro more certorum advocatorum iura partis, cuius patrocini-
um susceperant, exaggerarunt cum non levi detrimento ve-
ritatis (139). Quae exaggerationes haud raro suum habuerunt
fundamentum in factis quibusdam *historicis* v. g. in spuria
donatione Constantini (c. 14. D. 96.) nimia facilitate admissis.
Accesserunt non leves *confusiones* idearum, quae solida dis-
putatione scholastica per claras legitimisque notiones et dis-
tinctiones et argumentationes non sunt sublatae (140). Hinc diu
quoque desiderata est accurata *terminologia*, quae disquisi-
tionis vere scientificae solet esse effectus. Quae perfectior
terminologia potissimum ex saeculo decimo sexto per Card.
Bellarminum († a. 1621.) (141) est introducta. At dolendum est
quod etiam nostra aetate de re adeo gravi nec obscura apud
viros catholicos non levis vigeat differentia opinionum (142).

VII. A reformatione (a. 1517.) usque ad revolutionem gallicam (a. 1789.).

34. Reformatores, ut ordinem quendam in suis sectis re-
tinerent, tandem ius in sacra Romano Pontifici et Episcopis
denegatum saltem practice in principes saeculares transtule-
runt. Quam praxim, ut aliquo titulo cohonestarent, ad tri-
plicem confugerunt hypothesim sub nomine systematis *epi-
scopalis, collegialis, territorialis* satis notam (143). In systemate
episcopali iura principum in sacra derivantur ex titulo *devo-
lutionis*; illius enim patroni putarunt saltem in Germania
per recessum imperialem (a. 1555.) ius episcopale in territo-
riis protestanticis esse suspensum et ad principes civiles de-

(139) Cfr. quinque articulos Marsilii Patavini et Ioannis de Ianduno a
Ioanne XXII. 29. Oct. 1327. damnatos apud *Denzinger-Bannwart*, Enchiri-
dion n. 495. sq. et ex adverso doctrinam August. Triumphii († a. 1328.) in
Summa de potestate eccl. q. 1. a. 1. q. 44. sq.; *Wernz* h. tit. § 4.

(140) *Scherer* l. c. § 12. not. 26. 27. 35. sq.

(141) Disput. de contro. christ. fid. t. I. De R. Pont. L. V. cap. 1. sq.
cap. 6. sq.

(142) Cfr. v. g. quae tradit *Scherer* l. c. t. I. p. 36. sq. 52. sq. 47. not. 14.,
Staatslex v. Kirche u. Staat iunct. *Biederslack* ibid. v. Oberaufsichtsrecht
(ed. I.); *Saegmueller*, Lehrb. d. k. K. p. 32. sq. iunct. *Biederslack* in Act.
theol. Oenip. t. XXVI. p. 156. sq.

(143) *Phillips* l. c. §§ 138. sq.; *Scherer* l. c. t. I. p. 42. sq.; *Vering*,
Lehrb. d. k. Kirchenr. § 69.; *Wilmers*, De Christi Eccl. p. 133. sq.; *Saeg-
mueller* l. c. p. 48.

volutum. Quae devolutio potestatis cum sit manifeste falsa, alii velut scriptores reformati in Gallia adoptarunt *systema collegiale*. Defensores huius systematis fingunt Ecclesiam ab initio fuisse collegium quoddam aequalium sociorum, qui postea ex usurpatione hierarchiae suis iuribus fuissent spoliati, at facta reformatione iurisdictionem ad communitates rediisse et ab iisdem libera voluntate in principes protestanticos translatam esse dicunt. Ex quo systemate principibus civilibus duplex genus iurium in religionem competit scil. *iura maiestatica*, quae ipsi imperio sunt adnexa, et *iura collegialia* a communitate ecclesiastica accepta. Denique Hugo Grotius († a. 1645.) aliique excogitarunt systema *territoriale*, quo principi civili ius in religionem etiam christianam ex *iure quodam naturali* et intrinseco eadem ratione competere asseritur atque in quodcumque aliud obiectum regiminis civilis. Quod systema territoriale cum utramque potestatem, ecclesiasticam et civilem, in unam conflaret solisque concederet principibus saecularibus, competentiam potestatis civilis in rebus sacris ultra omnem modum ampliavit. Cuius exaggerationis solemnis formula continetur illis verbis: “ *Cuius regio, eius religio* „ (144).

35. Quae Protestantium placita in civitatibus quoque catholicis, non obstaute studio *Councilii Tridentini* denuo inculcandi genuinam doctrinam et disciplinam ecclesiasticam, plurimum nocuerunt, neque difficulter a guberniis politicis similia systemata fuerunt adoptata.

I. Inter ista systemata in civitatibus catholicis eminet *Gallicanismus* (145).

(144) Ab isto systemate territoriali, quo summum imperium etiam in sacris rebus vindicatur potestati civili, non pauci recentiores iuristae in suis disputationibus de civitate quoad rem non recesserunt. Cfr. v. g. *Hinschius*, Staat u. Kirche, quem eum aliis sectatoribus huius absurdi systematis refutat *Hammerstein*, De Eeeles. et Stat. p. 132. sq. Optimo quoque iure *Scherer* l. c. § 13. not. 10. exiguum profectum scientiae in hac materia apud quosdam recentiores scriptores iuris publici videtur reprehendere. Neque quisquam mirabitur, quod non desint iuristae aeatholici huiusmodi princeipiis imbuti, qui dicant eatholicos carere sensu monarchico (utique *regis* ut summi quoque *episcopi*) et extra patriam suam habere principem (utique in rebus saeris, non politicis).

(145) Quodsi imprimis falsum systema Gallieanismi commemoratur, in *Hispania* quoque systema quoddam oppressionis libertatis ecclesiasticae sub diversa forma paulatim fuit introductum, quod a Byzantinismo et Gallieanismo parum differt. Cfr. *Card. Hergenroether* in Arch. f. k. K. t. X.-XV. de relationibus inter Hispaniam et Sedem Apost. ; *Sentis*, D. Monarchia Sieula p. 55. sq.

Inde a tempore Philippi Pulchri et multo magis post sanctionem pragmaticam Bituricensem in Gallia, non obstante concordato inter Leonem X. et Franciscum I. inito, iura Ecclesiae et Sedis Apostolicae frequenter a regibus christianissimis violata sunt. Quae violationes ut plurimum factae sunt sub praetextu *libertatum gallicarum*, quae a Petro Pithou 83 articulis a. 1594. in una collectione fuerunt comprehensae. Patroni istius systematis asserere non dubitarunt Romani Pontificis potestatem in Gallia moribus antiquisque canonibus esse arctioribus limitibus circumscriptam, gubernio civili competere ius *vigilandi* et *influendi* in rebus ecclesiasticis (droit de la surveillance, droit de l'influence) ipsasque ordinationes Sedis Apostolicae velut decreta, provisiones officiorum etc. vim non obtinere, nisi rite essent *per placitum regium* approbatae et receptae, denique contra sententias iudiciorum ecclesiasticorum praesto esse *appellationem tanquam ab abusu*. Quae principia gallicana tandem sub Ludovico XIV. (a. 1682.) in conventu cleri gallicani a rege convocato ad quatuor propositiones fuerunt reducta et per solemnem declarationem promulgata. Quibus in propositionibus non solum iurisdictio R. Pontificis ad res spirituales i. e. ex mente Gallicanorum ad negotia potius mere interna coarctatur, sed etiam de relatione Ecclesiae ad potestatem civilem temerario ausu ea proclamantur principia, quae a Sede Apostolica ob multiples rationes merito sunt proscripita (146).

II. *Febronianismus* (147) est alterum systema falsum, quod a Iustino Febronio i. e. a fictitio nomine Nicolai Hontheim († a. 1790.), suffraganei Archiepiscopi Trevirensis, nomen sortitum est (148). Qui auctor adoptatis doctrinis Gallicanorum atque vestigia sui magistri Van Espen († a. 1728.), canonistae *Ianseniaui*, secutus longius a recto tramite aberravit. Nam non solum de universa Ecclesiae constitutione iuribusque Sedis Apostolicae plane falsas divulgavit theorias, sed prae-

(146) *Denzinger-Bannwart* l. c. n. 1322. sq.; *Deshayes*, Memento iur. eccl. p. 573. sq.; *Bossuet*, Defensio declarationis etc.; *Ballerini*, De vi ac rat. primatus Rom. Pontificum, De potestate Eccles. etc.; *Bouix*, De Papa t. III. p. 2. sq. 54. sq. 248. sq.; *Brueck* l. c. § 190.; *Friedberg-Ruffini*, Trattato del diritto ecclesiastico § 17.

(147) *Brueck* l. c. § 191.; *Scherer* l. c. p. 44. sq. 119.; *Saegmueller* l. c. p. 49. sq.

(148) De statu ecclesiae (a. 1763.). Quod opus Febronii impugnarunt: *Zaccaria*, Antifebronio (a. 1767.); *Ballerini*, De potestate ecclesiast. (a. 1768.) aliique, postquam illud a Clemente XIII. a 1764. damnatum fuit.

sertim de Statu eiusque relatione ad Ecclesiam ea tenuit principia, quibuscum libertas et independentia Ecclesiae ut *perfectae societatis religiosae* conciliari nequit.

Febronius enim tantum admittit Statum quendam *absolutum*, cui *in suo territorio* pro modo loquendi antiquorum patronorum systematis territorialis et recentiorum iuristarum *omnia* sunt subordinata suoque fini servire debent, vel ipsa Ecclesia non exclusa. Cfr. *Scherer* l. c. p. 51. sq. not. 11. Quo ex principio fundamentali iuris maiestatici sive verius omnipotentiae Status facile deinde Febronius deduxit *ius* Status fere universam vitam *externam* Ecclesiae suis legibus *ordinandi* v. g. per convocationem Conciliorum, concessionem vel revocationem immunitatum, reformationem disciplinae ecclesiasticae, administrationem bonorum temporalium Ecclesiae. Cui iuri accedit *ius cavendi*, quod potissimum exercetur per placitum regium et appellationem tamquam ab abusu; denique *ius protectionis*, in quo sub specie cuiusdam advocatae nova habetur usurpatio iurium et violatio libertatis Ecclesiae.

III. *Iosephinismus* (149) vocatur illud systema, quod Iosephus II. iam sub matre sua praeformatum secundum doctrinas canonistarum aulicorum eo tempore in Austria vigentes obfirmato animo in praxim deducere studuit. Quod systema est species quaedam Febronianismi suamque habet originem ex illis doctrinis iuristarum, qui in iure publico civitatis potestatem principum quam latissime extendebant, iura vero hominum privatorum angustis limitibus definiebant. Praeterea fingebatur *ius quoddam eminens* in omnia bona et iura privatorum, cui Ecclesia quoque non esset subducta. Per distinctionem inter *essentialia* et *accidentalialia* religionis pro arbitrio statutam novus inventus fuit modus supprimendi iura Ecclesiae. Etenim principi civili dicebatur omni ope elaborandum esse, ut *essentialia* religionis rite doceantur et ubique observentur; *accidentalialia* vero, *in quantum reipublicae noceant*, limitentur (150).

36. *Sedes Apostolica* (151) toto illo tempore non cessavit

(149) *Brueck* l. c. §§ 192. 193. 194. Idem fere systema (Leopoldinismus, Tanuccianismus, Monarchia Sicula) mutato nomine vigeat in plerisque Statibus *Italiae*. Cfr. *Bianchi* († a. 1758.) l. c.; *Friedberg-Ruffini*, Trattato del diritto ecclesiastico p. 90. sq.

(150) *Aichner* l. c. §§ 43. 44.; *Scherer* l. c. p. 47. sq. 98. sq.

(151) Cfr. v. g. damnationes Gallicanismi apud *Denzinger-Bannwart*

contra novas istas theorias et praxes tueri et vindicare libertatem et independentiam Ecclesiae, nec defuerunt viri docti velut Bellarminus, Suarez, Bianchi alique, qui post Concilium Tridentinum genuina principia de habitudine Ecclesiae ad societatem civilem defenderent. At negari non potest inde ex saeculo decimo septimo multos theologos et canonistas “ *prudentialis causa* „ de ista salebrosa quaestione tacere aut nonisi obiter disputare (152). Inde facile explicatur, quod crescentibus erroribus non in omnibus regionibus sana doctrina catholica per vivam quandam et claram traditionem scholasticam a singulis viris doctis fuerit retenta (153).

VIII. A revolutione gallica (a. 1789.) usque ad nostram aetatem.

37. *Revolutio gallica* (154), qua universa fere Europa perturbata est, etiam relationem inter Ecclesiam et Statum in compluribus regionibus praesertim vero in Gallia et Germania multum diuque immutavit. Quae procella sane non leves abusus sustulit, at mala quoque non pauca introduxit, quibus penitus extirpandis postea vires non fuerunt pares atque sufficientes. Finita periculosissima tempestate sane manus ad restaurationem admotae sunt, sed dispari successu, ubi de restauranda legitima relatione inter Ecclesiam et Statum actum est. Certe non defuerunt principes civiles, qui horrenda revolutione gallica admoniti aliquid didicerunt et *concordatis* (155) cum Sede Apostolica inchoatis pacem et concordiam inter utramque potestatem stabilire tentarunt. Alii moderatores civitatum, etsi formis paulisper immutatis, tamen re eadem principia Caesaropapismi in praxi tenuerunt, quibus saeculo decimo octavo in suis cum Ecclesia catholica relationibus usi sunt (156). Quae principia Byzantina a viris

l. e. n. 1322. et *Deshayes* l. e., placiti regii apud *Tarquini* l. e. p. 134. sq. et *Mueller*, De placito regio p. 162. sq., recursus ad potestatem civilem contra ordinationes Superiorum ecclesiasticorum in Urbani VIII. Const. “ *Pastoralis* „ 1. Apr. 1627.

(152) *Phillips* l. e. t. II. post p. 340. praef.

(153) *Phillips* l. e. t. II. §§ 91. sq. 115. sq.; *Devoli*, lus canonic. universum t. I. cap. 12.

(154) *Brueck* l. e. §§ 214. sq.

(155) *Nussi*, Conventiones.

(156) *Brueck* l. e. §§ 216. sq.; *Scherer* l. e. p. 47.

doctis per novas theorias de natura Status interdum sunt aliquantisper emollita (157), ipsaque gubernia praesertim post a. 1830. et a. 1848. libertati et independentiae Ecclesiae magis faverunt, donec non raro nostra aetate praesertim inde ab anno 1859. ad pristinas usurpationes atque adeo persecutiones reverterentur. Cum haec in Europa aliisque regionibus agerentur, in Statibus confoederatis Americae septentrionalis ad vitandos conflictus inter societates religiosas et civiles introducta est in praxi *separatio* Status a societatibus religiosis, quae brevi tempore etiam inter catholicos nacta est laudatores atque inter ipsos legislatores suos invenit asseclas (158).

Viri catholici non omiserunt huiusmodi novas theorias refutare sanamque opponere doctrinam catholicam (159). Praesertim vero Romani Pontifices, ut *in praxi* v. g. in concordatis mutuam utriusque potestatis relationem ad perfectiorem formam redigere studuerunt, ita pro suo officio *errores* theoreticos condemnare non omiserunt. Denique Pius IX. 8. Dec. 1864. in Encycl. "*Quanta cura* „ et in Syllabo prop. 19. sq. atque Leo XIII. in Encycl. "*Inmortale* „ 1 Nov. 1885. de hac materia tam multiplicem atque praeclaram doctrinae catholicae dederunt definitionem et expositionem, ut integrum quoddam systema de habitudine inter Ecclesiam et Statum tradidisse dicendi sint (160). Quod systema a duobus Romanis Pontificibus delineatum certe non refutatur, si per ancipitem novamque terminologiam in scholis catholicis non receptam *hierocratismi* nomine notatur (161).

(157) *Scherer* l. e. p. 48. sq.; *Biederlack* in Staatslex. (ed. 1.) v. Oberaufsichtsrecht. At cum in novis istis teoriis supremum falsum principium de iuribus maiestatis civitatis in rebus saeris retineretur, patroni novarum theoriarum praesertim in Germania in conclusionibus practeis ab antiquis regalisticis et aulicis parum differunt. Cfr. *Scherer* l. e.; *Hinschius* in Encyklop. d. Rechtswissenschaft. t. 1. p. 846. sq.

(158) Quae theoria propugnata est aut ad meliorem defensionem *libertatis* Ecclesiae (L'église libre dans l'état libre) aut propter *indifferentiam* quandam in rebus religiosis. Cfr. *Scherer* l. e. p. 50. sq.; *Moulat* l. e. l. II. cap. 4. art. 3.

(159) *Liberatore*, La chiesa e lo stato; *Cavagnis*, Institutiones iuris publ. eccles.; *Moulat*, l'église et l'état; *Hammerstein*, De Ecclesia et Statu; *Card. Hengenroelher*, K. Kirche u. chr. Staat. Quae *Scherer* l. e. p. 52. sq. aliique v. g. *Martens* contra multos scriptores catholicos disputant, quos curialistas et patronos hierocratismi nominare solent, in iure et in facto gravibus exceptionibus sunt obnoxia.

(160) *Biederlack* l. e.

(161) *Scherer* l. e. p. 40. not. 40. 52.

38. Quodsi universim quaeratur, quaenam de facto nostra aetate sit habitudo utriusque potestatis, triplex relatio inter Ecclesiam catholicam et civitatem vigere dicenda est:

I. *Mutua* quaedam intercedit *amicitia* inter utramque potestatem, quae *concordatis* cum sede Apostolica a guberniis initis accuratius definitur. Quae relatio *per se* commendari potest neque carpenda est sive a catholicis sive a liberalistis, etsi diversis ex rationibus id fiat, dummodo concordata fideliter servantur neque civilibus legibus arbitrarie adiectis immutentur vel abrogentur (162).

II. *Plena separatio* Ecclesiae catholicae et Status, quae v. g. viget in Belgio, America septentrionali, Anglia, sane ut principium absolute verum proclamari nequit (163), quasi ista separatione contineatur perfectissima utriusque potestatis habitudo; at certe in praxi Ecclesia catholica in civitatibus supra enumeratis maiore gaudet libertate quam in civitatibus concordatariis de facto praedita est.

III. Auctoritas civilis pro suo iure *maiestatico* (164) plane inconsulta Ecclesia *legibus civilibus* mutuam Ecclesiae catholicae et Status relationem definit atque ex propria potestate determinat, quae iura Ecclesiae convenient v. g. in Borussia et Austria (165). Qui modus ordinandi habitudinem societatis ecclesiasticae et civilis, quantopere laedat veram *perfectamque* independentiam Ecclesiae, si solummodo *formaliter* et ratione *competentiae* spectetur, non est multis argumentis demonstrandum nec novis verbis inventis dissimulandum. At non raro insuper istae leges civiles, si *materialiter* spectentur, eas continent dispositiones, quae Ecclesiae sunt noxae atque iniuriosae. Quodsi legislatores civiles suis ordinationibus *idem* statuunt, quod in sacris canonibus vel concordatis abrogatis decretum fuerat vel ab Ecclesia toleratur, saltem in praxi graviora dissidia ad tempus vitari possunt.

39. Si iam accurate definiendum sit, quaenam *nunc* de iure et de facto vigeat relatio inter Ecclesiam catholicam et *singulas* civitates orbis terrarum, id fieri vix potest, nisi com-

(162) *Nassi*, Conventiones; Conventiones de rebus ecclesiasticis initae (a Leone XIII.); Pii IX. Syllab. prop. 43.

(163) Pii IX. Syllab. prop. 55.

(164) *Hinschius* l. c.; *Friedberg-Ruffini*, Trattato del diritto ecclesiastico §§ 18. sq.

(165) *Scheicher* in Staatslex. v. Iosephinismus i. f.

pleta quaedam historia ecclesiastica nostrae aetatis conscribatur. Id, quod a nostro scopo alienum est. Neque in schola *Romana* derelictis aliis nationibus *unius* tantum civitatis habitudo ad Ecclesiam catholicam fuse tractari potest. Quare unice restat, ut indicatis scriptoribus (166), qui prolixis disquisitionibus historicis et canonicis hanc materiam illustrarunt, solummodo generalis quidam conspectus illius relationis exhibeatur.

40. Intra Europam. I. Penes populos latinos et meridionales:

a) In *Italia* (167) post sedatam primam procellam revolutionis gallicae a. 1803. per concordatum relationes inter Ecclesiam et Statum denuo ordinatae sunt. Quod concordatum Ecclesiae fuit favorabilius quam conventio a. 1801. a Pio VII. cum primo consule Galliae inita. Restauratione a. 1815. facta in plerisque Italiae principatibus antiqua rerum ecclesiasticarum conditio per nova concordata (cfr. *Nussi* l. c.), saepe a guberniis non servata, parum immutata est, atque in praxi principes civiles a regalismi principiis aegre recesserunt. Postquam gubernium subalpinum inde ab anno 1848. causam politicam unitatis Italiae suam fecit, etiam cum Ecclesia catholica gravior in dies conflictus de causis ecclesiasticis ortus est. Quod dissidium per occupationem Urbis Romae summum attigit gradum; etenim non iam intra unius nationis fines continetur, sed cum de libertate et independentia supremi pastoris Ecclesiae agatur, omnium catholicorum animos vehementer afficit neque arbitrio unius nationis solvi potest (168).

b) In *Gallia* destructo antiquo ordine civili et ecclesia-

(166) *Vering*, Lehrb. d. k. K. §§ 37. sq.; *Brueck* l. c. §§ 214. sq.; *Scherer* l. c. §§ 15. sq.

(167) *Nussi* l. c. p. 1. sq.; *Grassi*, Manuale di legislazione e giurispr. ital. in ordine al diritto pubblico eccles.; *Geigel*, D. italienische Staatskirchenr.; *Sentis*, D. Monarchia Sicula; *Brueck* l. c. § 224.; *Calchi-Novati*, Il diritto ecclesiastico dello Stato Italiano; *Friedberg-Ruffini* l. c. p. 90. sq. 123. sq. (* *Lo stato e la chiesa in Italia* *), ubi historiam et praesentem conditionem (utriusque potestatis) pro suis principiis acatholicis et liberalibus exponunt.

(168) De civili principatu Rom. Pontif. Excerpta ex actis Pii IX et... Leonis... XIII.; *Giobbio*, Lezioni di diplomaz. ecel. t. 1. p. 82. sq.; *Pinchelli-Sanmarehi*, Guida diplomatica ecclesiastica p. 41. sq. 307. sq. *Monelli*, La questione Romana e il laicato cattolico italiano. Cfr. leg. ital. (Guarentigie pontificie) 13. Maii 1871. iunct. Pii IX. alloc. 12. Martii 1877.; *Friedberg-Ruffini* l. c. p. 252. sq.; *Calchi-Novati* l. c. p. 21. sq.

stico (169) Napoleon I. 15. Jul. 1801. cum Pio VII. conventionem iniit, qua Ecclesiae pax quaedam et securitas reddita est. At per articulos organicos 8. Apr. 1802. aliaque acta et decreta gubernii gallici legitima iura Ecclesiae et Sedis Apostolicae mox iterum graviter laesa sunt (170). Post devictum Napoleonem I. sane Ludovicus XVIII. nova conventione 11. Iulii 1817. cum Pio VII. inita antiquum ordinem repristinare studuit; sed nova conventio effectum sortita non est. Quare non obstantibus vicissitudinibus sub Ludovico Philippo et Napoleone III. et nova republica gallicana conventio a. 1801. est etiam nunc lex quaedam fundamentalis in Gallia de relatione inter Ecclesiam et Statum, a qua Sedes Apostolica nondum recessit, imo eandem 31. Dec. 1860. ad territoria recenter acquisita extendit (171).

c) *Hispania* (172) post depulsam dominationem gallicam (a. 1808.-1814.) funestis controversiis politicis agitata est, e quibus etiam conflictus inter Ecclesiam et gubernium regis catholici orti sunt; factio enim liberalium pro suis principiis usque ad apertam persecutionem et spoliationem Ecclesiae processit. Tandem superatis multis difficultatibus post diurnas negotiationes 16. Mart. 1851. inita est nova conventio inter Sedem Apostolicam et reginam Hispaniae. Quae conventio exceptis quibusdam additionibus (et etiam violationibus a gubernio postea factis) etiam nunc est norma, qua multiples relationes inter utramque potestatem ordinantur (173).

(169) Cfr. legem de constitutione civili cleri 12. Jul. 1790. condemnatam a Pio VI. 13. Apr. 1791.

(170) *Nussi* l. c.; *Bargilliat* l. c. n. 163. sq. Cfr. de historia const. civ. cleri concord. artic. organic. : *Theiner*, Documents inédits relatifs aux affaires relig. de la France; *Crétineau-Joly*, L'église rom. en face de la révol.; *Sciout*, Histoire de la const. du clergé; *Haussonville*, L'église rom. et le premier empire 1800.-1814.; *Hebrard*, Les articles organiques; controvers. inter *Theiner* et *Crétineau-Joly.*; *Constantin*, in Dict. de Théolog. cath. t. III. p. 1537. sq.

(171) Nova respublica gallicana tot edidit leges et decreta contra iura et libertatem Ecclesiae (cfr. v. g. decr. 29. Mart. 1880., leg. 28. Mart. 1882.), ut separatio inter Ecclesiam et Statum fuerit discussa. Cfr. contra huiusmodi consilium Leonis XIII. *Encycl.* 16. Febr. 1892. ad omnes Galliae catholicos; *Bargilliat* l. c. n. 29. sq.; *Convent. Leonis XIII.* p. 44. sq. 108. sq. Tandem gubernium Galliae novis legibus et actis manifeste iniustis eo pervenit, ut a. 1904. omnem cum Sede Apostolica abrumperet relationem.

(172) *Nussi* l. c.; *Cardin. Hergenroether* in *Arch. f. K. K.* t. X.-XV. de historia negotiationum inter Hispaniam et Sedem Apost.; *Sentis* l. c.

(173) Cfr. *convent.* 25. Aug. 1859.; art. 11. novae constit. civ. Hispan. 30. Iun. 1876.

d) *Lusitania* (174) recuperata independentia a Gallorum imperio tristem haereditatem regalismi praecedenti saeculo dominantis non respuit v. g. placitum regium etc. Cum iisdem fere perturbationibus politicis et ecclesiasticis vexata esset atque Hispania, similia quoque dissidia v. g. ob usurpationem bonorum ecclesiasticorum inter Sedem Apostolicam et regem fidelissimum inducta sunt. At ab Hispania exemplum non petiit, ut novum concordatum de ordinandis rebus ecclesiasticis regni cum Sede Apostolica iniret atque executioni mandaret. Singulari tantum cura studuit antiqua privilegia regibus Lusitaniae in India orientali concessa etiam novis concordatis initis sarta tectaue conservare (175).

II. Apud populos germanicos et septentrionales:

a) *Anglia* (176) *sive Magna Britannia* post longum tempus crudelis persecutionis tandem per legem de emancipatione catholicorum 13. Apr. 1849. a rege Georgio IV. approbatam, abrogatis saltem iniquissimis edictis, Ecclesiae catholicae modestam quandam libertatem indulsit. Quamvis in Anglia inter Ecclesiam catholicam et Statum ex officio non soleat intercedere mutua quaedam coniunctio, tamen ibidem et praesertim in coloniis (177) anglicis Ecclesia catholica paulatim maiorem consecuta est libertatem atque independentiam ab iniustis vexationibus guberniorum civilium quam in plerisque aliis civitatibus etiam catholicis.

b) *Belgium* (178) postquam Iosephi II. gubernium in rebus politicis et ecclesiasticis iniustissimum excussit, mox sub iugum dominationis gallicae et hollandicae redactum in utroque foro avitam libertatem denuo amisit. Separatione facta a. 1830. inter Belgium et Hollandiam Ecclesia catholica in novo regno Belgii absque ullo concordato ex ipsa constitutione civili

(174) *Nussi* l. e. Append. p. 1. sq.; *Brueck* l. e. § 223.

(175) Cfr. convent. 20. Febr. 1857.; convent. 23. Iunii 1886.; *Nussi* l. e. Append. p. 31.; *Conventiones Leonis XIII.* p. 46. sq. Post eversum antiquum regimen et proclamatum novam reipublicae formam, 6. Oct. 1910., novum gubernium multiplici ratione Ecclesiam vexavit, atque nefario operi fastigium imposuit. 20. Apr. 1911. promulgata pessima ac perniciosissima lege separationis Ecclesiae et Status, mox in praxi in veram Ecclesiae persecutionem conversae, quam Pius X solemniter damnavit *Encycl. litt.* 24. Maii. 1911.

(176) *Conventiones Leonis XIII.* p. 95. sq.; *Brueck* l. e. § 228.

(177) *Missiones catholicae ritus lat. cura S. C. de Prop. Fid. descriptae* p. 1. sq. 172. sq. etc.

(178) *Brueck* l. e. § 226.; *Friedberg-Ruffini* l. e. § 19. p. 82. not. 29.

a. 1841. plenissimam obtinuit libertatem. Quae libertas aliqua separatione inter Ecclesiam et Statum et omnimoda cultuum libertate innixa solummodo a factione liberalium, qui in locum fanaticorum Calvinistarum Hollandiae videbantur successisse, pluries in dubium vocata est; at ipsorum tentamina saltem stabilem exitum non habuerunt.

c) *Hollandia* (179) tristi experientia amissi regni Belgii melius edocta quam iustitiae rationibus et amicorum consiliis post a. 1830. in dies aequius coepit tractare catholicos. Inde vero ab a. 1848. etiam ex nova regni constitutione civili catholici pleniorē consecuti libertatem sine novis conventionibus cum Sede Apostolica initis sub aequo gubernio generatim fruuntur libertate et pace religiosa.

d) In *Scandinavia* a. 1849. *Davia* in nova lege fundamentali etiam catholicis plenam libertatem cultus, ipsis Iesuitis non exceptis, liberaliter permisit. *Norvegia* quoque sublatis vel saltem emollitis antiquis legibus catholicos praesertim ex iure nunc vigente secundum aequitatem tractat. Quod exemplum saltem ex parte *Suecia* est secuta (180).

e) In *Helvetia* (181), si excipias maiorem numerum pagorum catholicorum, non obstantibus duobus concordatis a Sede Apostolica cum nonnullis pagis initis (182), conditio Ecclesiae catholicae usque ad nostra fere tempora fuit tristissima (183). Fuit enim quasi perpetuus conflictus utriusque potestatis propter vere tyrannicam suppressionem Ecclesiae catholicae in illa libera republica solummodo hisce ultimis annis paululum remissam (184).

(179) Conventio a. 1827. cum Sede Apostolica inita executioni mandata non est; *Brueck* l. c.; *Missiones catholicae* p. 73. sq.

(180) *Missiones catholice.* p. 59. sq.; *Brueck* l. c. p. 870.; *Arch. f. k. K.* t. 25. p. 161. sq. t. 33. p. 222. sq. (de Suecia), t. 72. p. 375. (de Norvegia).

(181) *Nussi* l. c.; *Brueck* l. c. § 275.; *Scherer* l. c. p. 64. sq.; *Veriug* l. c. § 46.

(182) *Convent.* 26. Mart. 1828. de erigenda dioece. *Basil.*; *convent.* 7. Novemb. 1845. de constituenda dioece. *S. Galli.*

(183) Cfr. articulos *Badenses* 20. Ian. 1844. a Gregorio XVI. 17. Maii 1835. proscriptos. Ipsa constitutio confoederationis helveticae a. 29. Maii 1874. denuo promulgata iam continet complures articulos Ecclesiae catholicae summopere iniuriosos. Quibus legibus iniustis *confoederationis* alia iniqua decreta in non paucis pagis accedunt. Cfr. *Veriug* l. c.

(184) *Convent.* *Leon.* XIII. p. 30. sq.; *Arch. f. k. K.* t. 49. p. 461. sq. et passim t. 53. 56. 59.

f) In *Germania* (185), ubi per revolutionem gallicam et saecularizationem principatuum ecclesiasticorum (a. 1803.) et interitum antiqui imperii (a. 1806.) universa conditio Ecclesiae catholicae eiusque ad potestatem civilem habitudo fuit penitus immutata, post devictum Napoleonem I. nonnisi aegre per concordata (186) cum Sede Apostolica inita ordo ecclesiasticus restauratus est. Cum pleraque gubernia essent protestantica aut certe regalismi principii imbuta, mirum non est, quod Ecclesia catholica etiam post congressum Viennensem a. 1815. potius duram subierit servitutem. Quae praepotentia principum saecularium vehementer concussa est, postquam Clemens Augustus, Archiepiscopus Colonien-sis, ex a. 1837. in *Borussia* libertatem Ecclesiae coepit vindicare. Aucta est illa libertas, cum Fridericus Guil. IV. rerum potiretur, et imprimis post a. 1848. complures articuli independentiae Ecclesiae favorabiles novae legi fundamentali sive constitutioni Borussiae fuissent inserti. Inde factum est, ut toto illo tempore usque ad a. 1872., quamvis iustarum querelarum causae non deessent, pax inter utramque potestatem conservaretur, atque catholici Borussiae generatim maiore libertate gauderent quam in aliis principatibus Germaniae.

At a. 1871. vehementissimus conflictus inter Ecclesiam catholicam et gubernium Borussiae excitatus est, cui a. 1887. per *aditum ad pacem*, ut cum Leone XIII. loquamur, non per veram perfectamque pacem aliqua ratione finis impositus est; illo enim modo vivendi catholicis pristina libertas ante a. 1872. iam acquisita plene non est restituta, multoque minus ea gaudent independentia, quam pro suo iure postulant, vel catholici in Anglia et Hollandia de facto iam pridem obtinent. Cfr. *Bachem* in *Staatslex.* v. *Culturkampf*.

De minoribus civitatibus Germaniae hoc loco ex professo agere non vacat (187).

g) In *Austria* (188) usque ad a. 1848. vigeat Iosephinismus, qui paulatim modice fuerat emollitus. Imo licet Imperator

(185) *Nussi* l. c.; *Brueck* l. c. § 216. et praesertim eiusdem auctoris historiam Ecclesiae cath. in Germania 1887. sq.; *Vering* l. c. §§ 38. sq.; *Scherer* l. c. § 16.; *Friedberg-Ruffini* l. c. §§ 18. 19.

(186) V. g. a. 1817. cum Bavaria, a. 1821. cum Borussia. Cfr. *Nussi* l. c.

(187) Cfr. *Vering* l. c. §§ 38. 40. sq.; *Scherer* l. c.; *Brueck* l. c. §§ 117. sq.

(188) *Nussi* l. c.; *Brueck* l. c. §§ 220. 221.; *Vering* l. c. § 37.; *Scherer* l. c. § 17.

Franciscus Iosephus duobus edictis 18. et 23. Apr. 1849. publicatis et praesertim per concordatum 18. Aug. 1855. cum Sede Apostolica initum, quod etiam vim legis civilis obtinuit, antiqua decreta ex Iosephinismi principiis condita omnino abrogasset, tamen Iosephinismus in animis multorum clericorum et magistratuum civilium et in praxi nequaquam fuit extinctus. Hinc facile explicatur, quare nova conventio a multis acriter impugnata sit. Post bellum a. 1866. infeliciter gestum factio liberalis ad gubernacula admissa concordatum novis legibus a. 1868. latis graviter iam violatum deinde a. 1870, omnino abrogavit atque iniustis legibus civilibus supplere studuit. Quodsi in praxi graviores conflictus (189) utriusque potestatis secuti non sunt, id praesertim ex eo repetendum est, quod non paucae leges pleno rigore executioni non mandarentur, aut quoad partem dispositivam cum articulis concordati a Sede apostolica non revocati convenirent.

h) In *Hungaria* (190), ubi ius canonicum etiam ut ius civile catholicorum fuerat receptum et solemni iuramento a rege confirmatum, quasi in compensationem rex apostolicus plurima obtinuit privilegia ecclesiastica. Concordatum a. 1855. initum etiam in *Hungaria* habuit vigorem, ubi multis ob disparatas tamen rationes omnino displicuit. Hinc post annum 1867. Episcopi *Hungariae* practice ad concordatum provocare non solebant, sed potissimum ad antiqua iura et independentiam Ecclesiae. Catholici *Hungariae*, ut illam independentiam melius defenderent contra iniurias plurimas gubernii, praesertim ex a. 1867. autonomiam quamdam obtinere studuerunt in administratione bonorum ecclesiasticorum, in cura scholarum atque exercitio iurispatronatus (191). Cum gubernium hungaricum ab a. 1893. multas publicaret leges iuribus Ecclesiae summopere contrarias (192), denuo a. 1897. consilium captum est de introducenda autonomia catholicorum. Quosnam salutare effectus illa autonomia nunc auspicata productura sit, nondum exploratum est.

(189) *Convent. Leon. XIII. p. 23. sq.*, ubi reperitur conventio 8. Iunii 1881. de erectione hierarchiae in *Bosnia*.

(190) *Cfr. auctores allegatos in not. 185. h. tit.*

(191) *Vering l. c. § 37. i. f. ; Arch. f. k. K. t. 19. sq. t. 25. p. 218. sq. 254. sq.*

(192) *Arch. f. k. K. t. 71. p. 135. sq. t. 72. p. 277. sq. t. 73. p. 368.*

III. Apud populos slavicos et orientales:

a) *Russiae* (193) Imperator Alexander I. pro suo studio promovendi principia christiana videbatur etiam promptus catholicis concedere libertatem solemnibus pactis promissam. Quae spes penitus frustrata est, cum Nicolaus I. fratri suo in imperio succederet. Is enim post devictam Polonorum rebellionem (a. 1830.) ad immanem persecutionem Ecclesiae catholicae in Russia et *Polonia* progressus est. Neque ullius practici momenti vel pro ipsis catholicis latinis fuit concordatum 3. Aug. 1847. cum Sede Apostolica initum; catholici vero ritus graeci, in quorum favorem in laudato concordato nihil fuerat statutum (194), crudelissimae persecutioni vel verius excidio manserunt subiecti. Quae persecutio sub Alexandro II. eiusque successore non cessavit neque negotiationibus longis, quae saepe omni effectu carebant, vere interrupta dici potuit. Spem ex novis (195) conventionibus a. 1882. cum Sede Apost. initis aliisque ex causis conceptam fore, ut inter Ecclesiam catholicam et Russiam ex aequitatis et iustitiae legibus pax stabiliretur, subsequenti eventus fefellerunt, saevit enim iterum persecutio et oppressio Ecclesiae eo periculosior, quo magis subdola.

b) In regionibus orientalibus Europae imperium *Turcarum* nostro saeculo ad angustiores limites redactum est, in quo christianis speciali edicto Imperatoris 3. Nov. 1839. libertas cultus *promissa* est. Quae *promissio* in lege 18. Febr. 1856. et in art. 62. congressus Berolinensis a. 1878. fuit repetita. Illud in imperio *Turcarum* est ius singulare, quod usque ad nostram aetatem Patriarchae diversorum rituum in suos fideles etiam iurisdictionem quandam civilem consequantur (196).

c) Reliquae civitates peninsulae Balcanicae, i. e. *Rumania*, *Bulgaria*, *Serbia*, *Montenegro*, *Graecia* (197), quae praecedenti saeculo plenam independentiam a iugo *Turcarum* obtinuerant, paucos habent incolas catholicos. Cum illi catholici ex articulis congressus Berolinensis a. 1878. aut etiam ex constitutione proprii principatus fruantur libertate cultus, facile

(193) *Nussi* l. c. et append. p. 19. sq.; *Brueck* l. c. § 227.; *Vering* l. c. § 52.

(194) *Nussi* l. c. in appendice.

(195) *Conventiones Leonis XIII.* p. 26. sq.; *Scherer* l. c. t. I. p. 70. sq.

(196) *Vering* l. c. §§ 63. 164. 166.

(197) *Scherer* l. c. p. 71. sq.

intelligitur, quae relatio inter Ecclesiam catholicam et potestatem civilem in singulis illis principatibus per se et theoretice intercedat (198).

41. In America: I. Ex constitutione 17. Sept. 1787. et 15. Dec. 1791. Statuum foederatorum *Americae septentrionalis* (199) viget separatio Status a determinata societate religiosa, quae sese habeat ad instar religionis Status vel saltem religionis dominantis; praeterea plena libertas cultus est concessa. Quod systema relationis inter Ecclesiam catholicam et potestatem civilem, licet theoria absolute vera et perfecta non sit atque etiam in praxi non levia habeat incommoda, tamen hucusque non impedit, quominus Ecclesia catholica in Statibus illis foederatis mirum in modum cresceret atque propagaretur. Quare catholici Americani sua libertate viribusque propriis confisi atque tutela iuris communis contenti ad illam " *protectionem* „ Status, quae in Europa haud raro est potius oppressio Ecclesiae, minime adspirant.

II. *Americae latinae* civitates (200) post excussam dominationem Hispaniae et Lusitaniae habitudinem ad Ecclesiam catholicam Sedemque Apostolicam ordinarunt partim ex legibus et moribus antiqui imperii hispanici et lusitani, cum omnibus suis abusibus, partim ex novis concordatis ut plurimum a guberniis non servatis. Sane pleraeque civitates Americae latinae in legibus fundamentalibus aut etiam in primo articulo concordatorum solemniter declararunt Ecclesiam catholicam maiori minorive rigore religionem Status sive reipublicae, quae cum omnibus iuribus et praerogativis, quibus ex Dei ordinatione et sacris canonibus frui deberet, sarta tectaue esset servanda (201). Cui solemnii declarationi vel promissioni mirum in modum contradixerunt usurpationes bonorum ecclesiasticorum et violationes omnigenae libertatis et independentiae Ecclesiae atque adeo violentae et cruentae persecutiones (202).

(198) Convent. Leon. XIII. p. 71. sq., ubi legitur conventio Sedis Apostolicae cum principe Montis nigri 18. Aug. 1886. inita; *Missiones catholicae ritus lat.* p. 89. sq.

(199) *Missiones catholicae* p. 348. sq.; *Scherer* l. c. § 15. i f.; *Vering* l. c. § 53.; *Kirchenlex.* v. America.

(200) *Nussi* l. c. p. 1. sq.; Convent. Leonis XIII. p. 1. sq. 75. sq.; *Scherer* l. c.

(201) *Nussi* l. c.; constit. reipubl. Mexicanae 4. Febr. 1857., reipublicae Argent. 6. Iun. 1880., Columbiae 8. Maii 1863., imperii Brasiliani 12. Maii 1840.

(202) *Arch. f. k. K.* t. 40. p. 321. Cfr. eit. convent. Leon. XIII. p. 75. sq.,

In republica *Mexicana* nunc vi legis civilis 14. Dec. 1874. viget aliqua separatio inter Ecclesiam et Statum, atque in *Brasilia* post destructam monarchiam idem systema separationis inter utramque potestatem a gubernatoribus novae reipublicae proclamatum est.

42. *Asiae* (203) vastissimae regiones magna ex parte subsunt dominationi guberniorum Europae, ideoque in istis coloniis dependentibus eadem viget relatio inter Ecclesiam et Statum atque in imperio principali v. g. in Sibiria, India orientali, insulis Philippinis nunc subiectis dominationi Statuum foederatorum Americae septentr.

I. In imperio *Iaponiae* cum extincto fere nomine christiano ex medio saeculo decimo septimo omnis aditus missionariis catholicis interclusus esset, a. 1868. antiqua regiminis forma sublata est, atque Mikado denuo verum imperium exercere coepit. Novum Iaponiae gubernium post brevem religionis christianae persecutionem (a. 1870.–1873.) tandem a. 1876. omnia edicta contra christianos abrogavit et concessit cultus libertatem. Imo Leo XIII. a. 1886. per suum Delegatum ad Imperatorem Iaponiae litteras dedit, quibus ille respondit se christianis parem cum aliis subditis protectionem esse concessurum (204).

II. In imperium *Sinense* missionarii catholici inde a saeculo decimo sexto aegre penetrantes tantum inter multas vicissitudines et persecutiones religionem christianam propagarunt. Ultimo saeculo Imperatores Sinenses post clades inflictas iterum iterumque coacti sunt, ut solemnibus pactis v. g. 1844., 1848., 1858., 1860. concederent missionariis libertatem. At in praxi illa promissa libertas praesertim in partibus interioribus imperii haud raro ad nihilum est reducta. Cum protectio illa ab una alterave natione missionariis christianis impertita non levia quoque detrimenta afferre videretur, quippe quae Sinensibus religionem christianam redderet odiosam, post mutuum commercium litterarum inter Leonem XIII. et imperatorem a. 1885. inchoatum tandem a. 1886. consilium discussum est in civitate principali imperii Sinensis stabilem erigendi Nuntiaturam Apostolicam. Cuius consilii executio ob difficultates ex protectoratu Galliae ortas in me-

ubi respublica Columbiae per novas illas conventiones a. 1887. et 1892. dat laudabile exemplum.

(203) *Missiones cath.* p. 145. sq.

(204) *Staatslex.* v. *Iapan.* t. III. p. 355. sq.

litora tempora dilata est (205). Quam spem Ecclesiae offerat eversio antiqui regiminis, quae nostris diebus consummatur, incertum est.

III. Complures reges *Siam* nostra aetate christianis libertatem concesserunt et cum Vicariis Apostolicis ipsisque Romanis Pontificibus amice agere coeperunt (206).

43. **Africa** (207), cuius regiones a mari dissitae ultimo saeculo magis exploratae sunt, pauca habet regna independentia atque vix unam alteramve civitatem cultui et humanitati vere deditam. Quare conditio Ecclesiae catholicae in provinciis dominio directo vel protectioni Europaeorum subiectis eadem fere est atque in civitatibus dominantibus; valde precaria autem dicenda est apud tribus aliquo modo independentes, quae a crudelibus persecutionibus non refugiunt. *Abessinia*, *Marocco* etc. catholicis modicam securitatem et libertatem concedunt. In “republica meridionalis Africae” sive *Transvaal* et in Statu libero *Orange* sive *Oranje*, cum nunc vigeat libertas cultuum et dominatio Angliae, etiam catholici ab iniustis vexationibus Calvinistarum liberati sunt.

44. **Australia** (208) fere universa i. e. Australia continens et insularis, quae etiam Oceania insularis vocatur, dominio *anglico* subiacet praeter paucas insulas gubernio Galliae vel Germaniae vel indigenarum subditas. Quare Ecclesia catholica generatim in istis regionibus post sublatas difficultates ex antiquo regimine anglico ortas eadem gaudet libertate, qua aliae quoque coloniae anglicae iam ex longo tempore fruuntur, aut catholici in Gallia etc. praediti sunt.

TITULUS II.

DE PRAENOTIONIBUS GENERALIBUS IURIS ECCLESIASTICI.

§ 1. DE IURE ECCLESIASTICO UNIVERSIM SPECTATO.

I. De notione iuris ecclesiastici.

45. Ius (1), quod graece vocatur *δικη* vel *τὸ δίκαιον* vel melius *ὁ νόμος* vel *τὸ νόμιμον* apud Romanos dicebatur id, quod a po-

(205) Staatslex. v. China t. I. p. 1342.

(206) Missiones cathol. p. 209. sq.

(207) Missiones cathol. p. 299. sq.

(208) Missiones catholicae p. 469. sq.

(1) De iure in genere agunt etiam legistae sive civilistae (cfr. *Arndts-*

pulo *iussum* (2) fuerat. Ex compluribus autem significacionibus, quas nomen latinum iuris nactum est, pro re nostra duae (3) tantum commemorandae sunt. Significat enim haec vox:

I. *Facultatem* moralem aliquid possidendi aut agendi vel exigendi vel omittendi inviolabilem (*ius dominativum*). Quam facultatem non pauci recentiores iuristae vocant *ius subiectivum* (4).

II. *Legem* (*ius praeceptivum*) vel potius integrum quendam complexum legum, quibus societas aliqua ordinatur v. g. ius Romanum. Huiusmodi complexus legum a iuristis saepe dicitur *ius obiectivum*, atque haec est principalis quaedam iuris (5) significatio. Nam lex est iusti regula normaue iustitiae et fons sive fundamentum illius facultatis sive iuris subiectivi in creaturis.

Serafini, Lehrb. d. Pand. § 21.; *Scherer* l. e. § 1.), atque mirum est, quantopere sese torqueant, saepe haud felici eum successu, in definitione iuris. Qui labor iuristis catholicis multum imminueretur, si derelictis acatholicis fontibus apud philosophos atque theologos catholicos genuinas haurirent iuris notiones. Cfr. *Lugo*, De iust. et iur. disp. 1. n. 5. sq.; *Cavagnis* l. e. P. I. p. 1. sq.; *Costa-Rosetti*, Synopsis philosoph. moralis n. 225. sq. *Schiffini*, Disp. phil. moral. n. 181. sq. 309. sq. 399. sq.; *Cathrein*, Moralphilosophie t. I. p. 446. sq.

(2) Cfr. de ethymologia verbi iuris: *Forcellini*, Lexicon tot. lat. v. Ius; *Georges*, Lat.-D. Handw. v. Ius et praesertim *Krieg* in Liter. Rundsch. (1887.) p. 221.; *Laemmer*, Inst. d. k. K. § 1. not. 1. Veteres auctores in ethymologiis huius vocis proponendis interdum minus felices exstiterunt. Cfr. *Suarez*, De leg. l. I. cap. 2.; *Schmalzgr.*, Ius eccles., dissert. prooem. n. 1. sq.

(3) Cap. 2. de const. l. 2. in Sext.; L. 1. pr. L. 11. D. de iust. et iur. l. 1.; *Schmalzgr.*, Ius ecclesiast. univers., dissert. prooemial. n. 3. sq. 16. sq.; *Suarez*, De leg. l. II. cap. 14. n. 16. 17. cap. 17. n. 2. l. IX. cap. 1. n. 2. In linguis quoque vivis verba *diritto*, *droit*, *diraile*, *derecho*, *Recht* eandem duplicem significacionem habent atque nomen iuris in lingua latina. Quae duplex significatio apud recentiores quosdam canonistas fuit causa non levis confusionis, quoniam ex notione *iuris* nimis limitata argumenta deduxerunt ad perperam excludenda non pauca obiecta a scientia iuris canonici i. e. a scientia *canonum* sive *legum ecclesiasticarum*. Cfr. *Schulte*, Die Lehre v. d. Quellen. etc. p. 10. 11. 12.; *Scherer* l. e. § 4. not. 4. Quorum auctorum opinionem solido fundamento carere iam demonstravit *Suarez*, De leg. l. I. e. 2. l. III. e. 12. l. IV. e. 11. Cfr. quoque *Haring*, Der Rechts-u. Gesetzesbegriff in d. k. Ethik u. modern. Jurisprud.

(4) *Schiffini* l. e. n. 182. sq.; *Cathrein* l. e. p. 454. sq.; *Cavagnis* l. e. P. I. p. 1. sq.

(5) *S. Thom.*, Summa theol. IIa. IIae. q. 57. a. 1.; *Meyer*, Inst. iur. nat. t. I. p. 352. sq., ubi doctrinam *S. Thomae* bene exponit et contra modernos scriptores protestantios solide defendit.; *Cathrein* l. e. t. I. p. 332. sq. 406. sq. 452. sq.; *Schiffini* l. e. n. 105. sq. 181.

46. Utraque significatio iuris ad ius quoque ecclesiasticum (6) applicari potest. Hinc ius ecclesiasticum si *obiective* spectatur, est *complexus legum sive a Deo sive ab ecclesiastica auctoritate latarum, quibus Ecclesia catholica ordinatur*; si vero *subiective* consideratur, est *complexus omnium facultatum moralium et inviolabilium Ecclesiae catholicae tam in Praelatis quam in subditis aliquid possidendi, agendi vel exigendi vel omittendi sive ex ordinatione divina sive ex lege ab auctoritate ecclesiastica lata* (7).

At cum ius subiectivum etiam Ecclesiae reducatur ad ius obiectivum (8), et praeterea theologia *theoretica* non spectet

(6) *Tarquini*, Inst. iur. eec. publ. p. I.; *Aichner*, Compend. iur. eecles. §§ 1. 2. 3.; *Scherer* l. e. p. 112. sq. At qui perperam doent Statum esse omnium iurium originem et fontem (cfr. Syllab. Pii IX. prop. 39.) vel negant Ecclesiam esse societatem perfectam (cfr. eit. Syllab. prop. 19. 24.), tandem etiam duplicem illam speciem iuris ecclesiastici a iure civili vere distincti et independentem negare debent, vel cum *Thudichum*, Deutsches Kirehenr. t. I. p. 6. eoguntur reducere universum ius ecclesiasticum ad umbram i. e. ad mera plaeta (* *Beliebungen* *). Quodsi *Sohn*, Kirehenr. t. I. p. 1. sq. unice admittit organizationem eharismaticam vel caritativam, mirum non est, quod negata potestate legifera Ecclesiae etiam perveniat ad negationem veri iuris ecclesiastici, imo notionem stricti iuris ecclesiastici ipsi naturae Ecclesiae putet esse contrariam. Quae opiniones omnino absonae et falsae istorum canonistarum aeatholicorum Germaniae alibi feliciter parum notae statim a viris doctis catholicis in Germania solide refutatae sunt. Cfr. *Bendix*, Kirehe u. Kirehenr.; *Hollweck*, D. k. Strafg. p. IX. sq.; *Saegmueller* l. e. p. 5. sq. et in *Arch. f. k. K.* t. 68. p. 445. sq. In Gallia quoque *Taine* religionem Statui subiectam esse doct, ideoque ex ipsius principiis verum ius ecclesiasticum existere nequit. Cfr. *Billot*, De Ecclesia Christi t. II. p. 124. sq.

(7) Huiusmodi iura subiectiva Praelatorum vel institutorum ecclesiasticorum interdum etiam originem ducunt ex legibus *civilibus*, v. g. si cum sede episcopali officium senatoris est coniunctum. Porro * *ius ecclesiasticum* » vel * *ius Ecclesiae* » ab antiquis Conciliis vocatur ius illud subiectivum Ecclesiae in *bona sua temporalia*. Cfr. e. 22. Cone. Aurel. III. (a. 538.); e. 26. Cone. Aurel. IV. (a. 541.); e. 1. 2. Cone. Hispal. (a. 590.); *Schmalzgr.* l. e. n. 20. sq.

(8) *Cavagnis* l. e. p. 3. sq. Ius obiectivum sive canones vel leges Ecclesiae multiplici ratione distingui possunt. Alii distinguunt canones *dogmaticos* et *disciplinaves*, alii canones *fidei*, canones *morum*, canones *disciplinae*. Ex his divisionibus secunda faeile ad primam reducitur. Nam dogma, quod canone quodam enuntiat, potest esse *theoreticum* aut *practicum*; lex autem disciplinariae continet non tantum ius ab Ecclesia propositum, sed etiam constitutum et conditum. Cfr. *Franzeliu*, De Ecclesia Christi p. 54. not. 1.

Praeterea *canones dogmatici* in quatuor species dividi possunt scilicet 1) in *canones fidei*, qui continent veritates *theoreticas* et per eminentiam dicuntur dogmatici canones; 2) in *canones morum*, qui proponunt leges deaealogi a Deo stabilitas sive veritates practicas vel morales; 3) in *canones*

ad ius ecclesiasticum, neque theologia practica (9), quatenus agit de actibus mere internis aut de actibus quidem externis, sed nulli legi disciplinari vel sanctioni ecclesiasticae in foro externo subiectis solique foro poenitentiali reservatis (10), universum ius ecclesiasticum ita definiri (11) potest: *Complexus legum sive a Deo sive ab ecclesiastica potestate latorum, quibus constitutio atque regimen et disciplina (12) Ecclesiae catholicae ordinatur.*

liturgicos, qui enuntiant leges a Christo latas de substantialibus in cultu et sacramentis novi testamenti; 4) in *canones politicos* (hierarchicos, qui continent leges divinas de politia sive de constitutione (hierarchia) et regimine Ecclesiae conditas. Quae divisio analogica est illi, qua in vetere testamento distinguuntur leges fidei, leges morales decalogi, leges caeremoniales, leges iudiciales. Cfr. *Suarez*, De legib. l. IX. cap. 4. 5. l. X. cap. 2.; *Pesch*, Praelect. dogm. t. V. n. 550. sq.; *Kleutgen*, Instit. theol. t. I. p. 22.; at *Kihn*, Encyklop. p. 384. sq. divisionem theologiae theoreticae et practicae alio sensu explicat, qui apud doctores scholasticos non fuit receptus et merito etiam nunc antiquae significationi magis logicae et scientificae postponitur. Cfr. *Pesch*, Praelect. dogm. t. I. n. 20 sq.

Canones disciplinares sive iuris humani pariter referuntur 1) ad *fidem*; quatenus illam promovent, conservant, tuentur v. g. per ordinationes de professione fidei vel de libris imprimendis; 2) ad *mores*, in quantum accuratius determinant, quod iure divino tantum generali quadam ratione est prohibitum vel praescriptum v. g. de sanctificatione diei dominicae, aut quatenus Ecclesia leges divinas prohibentes vel praescribentes sua quoque auctoritate et sanctione munit v. g. de simonia; 3) ad *liturgiam* Ecclesiae; nam Christus Dominus tantum in substantialibus determinavit cultum divinum et ritus sacros sacramentorum; hinc legibus Ecclesiae disciplinariis multa in sacra liturgia sunt ordinanda; 4) ad *politiam* sive hierarchiam et constitutionem et regimen Ecclesiae, de quibus iure divino non omnia sunt definita, ideoque multa canonibus disciplinariis v. g. de Metropolitibus et Conciliis provincialibus, de ordine iudiciario, de usu potestatis coercitivae fuerunt determinanda. Cfr. Concil. Vatic. Sess. IV. Const. « *Pastor aeternus* » cap. 3.; *Card. Soglia*, Inst. iur. publ. eccles. t. I. §§ 8. sq.; *Zallinger*, Instit. iur. eccl. vol. II. § 389. vol. III. § 86.

(9) Clementis Papae VIII. Decretales ed. *Senlis* p. XII. XXVIII. sq. Qui auctor l. c. p. XVI. scribit: « *In canonum... collectionibus non dogmata, sed iura desiderantur* » ideoque *Pinelli* consilium reprehendit indiscriminatim recipiendi canones dogmaticos in collectionem Clementis VIII. Id sane verum est atque fatente ipso *Pinello* l. c. p. XXVIII. sq. praxi antiquarum collectionum comprobatur, si de canonibus agatur ad *theoreticam* theologiam spectantibus; at nequaquam a collectionibus et tractatibus *canonicis* omnia dogmata sunt arcenda; multa enim *iura* sunt *vera dogmata*.

(10) *De Angelis*, Praelect. iur. can. lib. V. tit. 1. p. 8. sq. de notione delicti; *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 1.; *Scherer* l. c. p. 19. rite explicatis minus accuratis exemplis et assertionibus de foro interno et externo.

(11) *Soglia* l. c. § 2.; *Bouix*, De principiis iur. canon. p. 61.; *Scherer* l. c. 112; *Bargittal* l. c. n. 5. sq.

(12) Concil. Vatican. l. c.; *Cavagnis* l. c. P. I. p. 12; *Zallinger* l. c. vol. III. §§ 49. 74. sq.

47. Corollarium. Ergo in sola Ecclesia catholica existit *verum* ius ecclesiasticum, atque ius obiectivum et subiectivum, quod in aliis societatis religiosis sive infidelium sive hebraeorum sive haereticorum sive schismaticorum interdum vocatur "*ecclesiasticum* „, est nonnisi *putativum* (13). Hinc facile quoque deducitur nequaquam approbandam esse illam methodum (14) uno eodemque libro exhibendi *ius ecclesiasticum catholicorum, schismaticorum* orientalium (15), *protestantium*, nisi speciales circumstantiae talem commixtionem excusent.

48. Scholion. Communi usu loquendi atque adeo iure canonico et civili haud raro *ius* distinguitur *ab aequo*, et *iustitia* opponitur *aequitati*, tum si ius sumatur pro iusto sive iure subiectivo, tum pro lege sive iure obiectivo (16). Duplex enim distinguitur *iustum*; unum est *naturale*, quod est rectum secundum naturalem rationem et nunquam deficit, si ratio non erret; alterum est *iustum legale*, quod lege humana constituitur et in particulari deficere potest, licet in universali iustum sit. Neque propterea lex dicitur iniusta; haec enim necessario debet esse universalis, defectus autem aliunde provenit.

Similiter duplex existit aequum scilicet *aequum naturale* et *legale*. Aequum naturale idem plane est atque iustum naturale. Quo sensu vel ipsa iura civilia saepe loquuntur de aequitate naturali: "*Neque enim inaudita causa quemquam damnari aequitatis ratio patitur* „ (17). Aequitas hoc modo intellecta non est emendatio iuris, sed potius regula ipsius

(13) L. 57. D. pro socio XVII. 2: "*Si maleficii societas coita sit, constat nullam esse societatem. Generaliter enim traditur, rerum inhonestarum nullam esse societatem* „; Meyer, Inst. iur. natur. t. I. p. 296. sq. Sicut sola doctrina vera de Deo sibi optimo iure vindicat nomen *theologiae* (cfr. S. August., De civit. Dei I. VI. cap. 5.; Scheeben I. c. p. 1.), ita solius verae Ecclesiae proprium est verum *ius ecclesiasticum*. Cfr. ad rem Seherer I. c. t. I. §§ 6. 18. 36. t. II. p. 260. not. 12.: "*Das deu akatholischeu Religionsgesellschaften eigenthuemliche Recht existirt fuer die Kirche nicht* „; Kuhn I. c. p. 29.

(14) Schulte, Die Lehre etc. p. 32. sq.

(15) Apte Vering, Lehrb. d. k. Kirchenr. disputationi de iure Ecclesiae occidentalis coniungit tractatum de iure Ecclesiae orientalis cum Sede Apostolica unitae.

(16) Cap. 13. X. de off. et pot. iud. del. I. 29.; cap. 11. X. de transact. I. 36.; Suarez, De leg. I. I. cap. 2. n. 9.; Schulte I. c. p. 195.

(17) L. 1. pr. D. de requir. XLVIII. 17.

iuxta L. 90. D. de R. I. L. 17.: “ *In omnibus quidem, maxime tamen in iure aequitas spectanda est* „.

Aequum vero *legale* dicitur prudens moderatio legis scriptae (18) praeter rigorem verborum illius atque ita opponitur *stricto iuri*. Huiusmodi emendatio iusti legalis sive aequitas exercetur *per epikeiam* (19). Ad virtutem enim epikeiae spectat contra verba legis *humanae* agere in particulari, quando illius observatio esset illicita et contra naturalem aequitatem *aut* saltem nimis gravis et difficilis (20). Quo in casu iudex dicitur agere non *iure* i. e. materialiter spectato, et ut *verba* sonant, sed *aequo* et *bono*, et ius ipsum iuxta *intentionem legislatoris* servatur, dum contrario agendi modo ius potius violatur iuxta R. I. 88. in Sext.: “ *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem* „.

II. De variis nominibus iuris ecclesiastici.

49. Ius ecclesiasticum (21) dicitur: I. Ius *sacrum*, a *personis*, quae illud condunt, et a *materia*, de qua disponit, et a *fine*, ad quem ordinatur.

II. Ius *divinum* (22), et sensu stricto quidem, si ab ipso

(18) L. 2. § 5. D. de aqua XXXIX. 3.

(19) Scherer l. c. t. I. § 40. communem sententiam, quae epikeiam admittit inefficacibus rationibus impugnat. Cfr. Suarez l. c. l. VI. cap. 6. 7. 8.; Nilles in Act. theol. Oenipont. t. X. p. 273.; aliter Saegmueller l. c. p. 97.

(20) Suarez l. c. cap. 7. n. 8. sq.; Cathrein in Act. theol. Oenip. t. XXV. p. 645. sq.; Pesch, Praelect. dogm. t. IX. n. 291.

(21) Cardin. Soglia l. c. § 1. Primis saeculis illud verbum *iuris ecclesiastici* ad designandum complexum legum ecclesiasticarum non occurrit, sed norma quaedam obiectiva, cui actio fuit conformanda, in foro ecclesiastico dicebatur *δρος* c. 19. 23. (Conc. Ancyr. a. 314.) vel *κανὼν ἐκκλησιαστικὸς, κανονικὸς νόμος* (c. 24. Concil. Ancyr. a. 314.); c. 15. Concil. Neocaes. (a. 314.-325.); c. 1. 2. 5. 6. 10. 13. Conc. Nicaen. (a. 325.). Prima vice a Siricio in ep. ad Himer. cap. 7. (a. 385.) *leges publicae* et *iura ecclesiastica* distinguuntur et opponuntur. Cfr. quoque c. 10. Conc. Aurel. IV. (a. 541.); c. 3. Conc. German. (a. 742.); c. 4. Conc. Suess. (a. 744.). Inde a saeculo 12. *ius canonicum* vel *ius ecclesiasticum* promiscue adhibentur ad designandum universum complexum legum ecclesiasticarum. Cfr. Scherer l. c. p. 111.; Schulle, Geschichte d. Quell. u. L. d. c. R. t. I. p. 29. sq. 255.

(22) Cap. 10. X. de testam. III. 26.; cap. 2. de privil. V. 6. in Sext.; “ *Ibidem* (i. c. apud Sed. Ap.) *de cetero regalur et vigeat studium iuris divini et humani, canonici videlicet et civilis* „. Imo iam Rufinus circa a. 1164. et Stephan. Tornac. († a. 1203.) et Ioann. Faventinus († a. 1190.) ius ecclesiasticum appellant *divinum*. Cfr. Schulle l. c. p. 30. 245. 252.; Laynez, Disp. Trid. cd. Grisar. t. I. p. 2. sq.

Deo immediate est *constitutum* aut ex institutione quadam divina *necessario deducitur*; sensu vero latiori, quatenus ab ecclesiastica potestate *divinitus* instituta ipso Spiritu Sancto cooperante conditur (23), praesertim secundum aliquam praeformationem vel *exemplum* quoddam veteris testamenti, vel ad perfectiorem determinationem alicuius iuris a Deo solummodo quoad *substantiam* et in genere, non quoad specialem quendam modum definiti v. g. lex de decimis.

III. Ius *pontificium* sive ius *Decretalium*, partim ut opponatur iuri *caesareo*, partim quia omnes leges Ecclesiae aut *ab ipso* Romano Pontifice conduntur aut saltem vi iurisdictionis ab ipso *derivatae* feruntur (24) aut non raro sine positiva quadam Romani Pontificis *approbatione* vel confirmatione vim obligandi non obtinent aut certe ipso *contradicente* omni valore destituuntur.

IV. Ius *canonicum*; nam ex usu antiquissimo iam saeculo quarto vigente *κανών* (regula) designat legem ecclesiasticam, ut vel ipso nomine differentia a lege *civiti* atque suavior et modestior imperandi modus Ecclesiae insinuetur (25).

V. Ius *ecclesiasticum* (26) tum ratione *originis*, quia infallibilibus Ecclesiae definitionibus est *declaratum* v. g. ius di-

(23) Aet. Apost. XV. 28.; e. 5. (S. Leo a. 446.?) C. XXV. q. 2.; *Zallinger* l. e. vol. II. p. 207.

(24) *Layne* l. e. p. 9. sq.

(25) Cfr. e. 2. 5. 6. 9. 10. 13. 15. 16. 18. Cone. Nicaen. (a. 325.); Novell. 137. praef.; D. 3. diet. Gratiani ante e. 1. et post e. 2. Cfr. de terminologia nunc vigente: *Benedict. XIV.*, De Synod. dioec. l. I. cap. 3. n. 3.; *Schulte* l. e. p. 30., ex qua *canonis* nomine solae illae Constitutiones denotantur, quae sive a R. Pontifice sive a Concilio oecumenico (non ab inferiore Praelato) latae universam obstringunt Ecclesiam. Imo Concilium Tridentinum regulariter (non semper, ut patet ex proem. ad primum cap. de reform. Sess. XIV., ubi *decreta disciplinaria* reformationis appellantur « *canones* ») *haeresum damnationes* per *canones* proposuit. Concilium Vaticanum secutum est eandem consuetudinem. At nihil profecto obstat, quominus denuo redeatur ad praxim antiquam, qua leges quoque disciplinares Ecclesiae vocabantur *canones*. Qua ratione v. g. in futuro eodie iuris ecclesiastici singulae leges iterum insigniri possent nomine *canonum*, ut distinguerentur ab *articulis* vel *paragraphis* modernorum eodieum *civilium*.

(26) In Coneil. Nicaeno (a. 325.) e. 18. *κανών* distinguitur a *συνήθεια* (consuetudine). Ita etiam ius *canonicum* a iure *ecclesiastico*, quod latius patet, distingui potest; at communiter haec verba promiscue adhibentur. Cfr. *Phillips*, *Kirchenrecht* t. I. § 3. Denique *nunc* inter ius *canonicum* et ius *ecclesiasticum* non ea *differentia* est admittenda, quasi ius *canonicum* restringatur ad ius *medii aevi* cum suis dispositionibus iuris *privati* (etiam nunc a iure *ecclesiastico* non alieni) aut *excludat* recentiores leges Ecclesiae (pariter in iure *canonico* comprehensas). Aliter *Saegmueller* l. e. p. 7. sq.

vinum primatus Rom. Pontificis, aut ab Ecclesia est etiam *constitutum* v. g. aetas ad suscipiendum ordinem sacrum, tum ratione *materiae*, quoniam disponit de personis et rebus, quae spectant ad solum forum ecclesiasticum.

III. De divisione iuris ecclesiastici.

50. Ius ecclesiasticum dividitur: I. Ratione *originis* sive fontis in ius *divinum* sive naturale sive positivum, quod Deum habet auctorem (27) et in *humanum* ab auctoritate Ecclesiae constitutum.

II. Ratione *materiae* sive *obiecti* in *publicum* (28) et *privatum* (29). Quae verba diversas significationes habent.

(27) *Layne* l. c. in ed. cit. p. 2. sq. 7. sq. Quae *Schulte* l. c. p. 30. contra interpretationem iuris divini a Gratiano datam profert, solidis rationibus non commendantur.

(28) Cfr. c. 11. D. 1. « *Ius publicum est in sacris et sacerdotibus et magistratibus* » ex L. 1. § 2. D. de iust. l. 1., ubi legitur: « *Huius studii duae sunt positiones, publicum et privatum. Publicum ius est, quod ad statum rei Romanae spectat, privatum, quod ad singulorum utilitatem; sunt enim quaedam publicae utilia, quaedam privata. Publicum ius in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit. Privatum est tripertitum; collectum etenim est ex naturalibus praeceptis aut gentium aut civilibus* » (Ulpianus).

(29) *Phillips* l. c. t. I. § 3.; *Scherer* l. c. t. I. p. 112. sq.; *Saegmueller* l. c. p. 8. alique v. g. *Vering* hanc divisionem iuris ecclesiastici putant non esse fundatam, imo eidem contrariam. Quae opinio nullo solido argumento nititur, si *genuinae* iuris publici et privati significationes attendantur, nec solummodo *spuriae* quaedam acceptationes illorum vocabulorum impugnantur, ut non raro videtur esse laudabilis intentio allegatorum scriptorum catholicorum. (Cfr. *Soglia* l. c. Praef. et § 6.; *Cavagnis* l. c. P. I. p. 4. sq. 10. sq.; *Tarquini*, Inst. iur. eccl. publ. p. 1. n. 2.; *Mueller*, De placito regio p. 127.; *Nilles* in Act. theol. Oenip. t. I. p. 394. sq. Nam si adversarii inde arguant, quod *universum* ius ecclesiasticum sit *publicum*, aut proficiscuntur ab assertionem omnino falsa aut eam adoptant significationem iuris publici, quae sane aliquid veri continet, sed alias magisque fundatas interpretationes vocabuli *iuris* (i. e. legum) *publici* non excludit. Etenim in iure ecclesiastico quamplurimae reperiuntur leges, quae evidenter referuntur ad ius *privatum* v. g. de matrimonio contrahendo, de separatione a thoro et cohabitatione, de contractibus et testamentis clericorum. Cfr. *Wolf von Glanwell*, Studien aus dem canonistischen *Privatrecht* (i. e. de contractibus et ultimis voluntatibus). Quodsi iidem adversarii ius ecclesiasticum appellant *publicum*, quatenus est ius *cogens*, imprimis ipsi admittere debent nequaquam *universum* ius ecclesiasticum esse *cogens* i. e. in sua applicatione arbitrio subditorum subductum; suis enim assertionibus subiungunt *limitationem*, « *nisi leges ecclesiae expresse tale arbitrium permittant* ». Cfr. *Saegmueller* l. c. iunct. *Nilles* l. c. p. 396. sq.

Praeterea nemo profecto prohibetur, quominus ius ecclesiasticum vero

a) Dicitur enim ius publicum a *causa efficiente*, eo quod a *publica* auctoritate Ecclesiae constitutum est, eique opponitur ius privatum, quod a *pactis* sive conventionibus hominum *privatorum* originem ducit. Cfr. L. 38. D. de pact. II. 14. “*Ius publicum privatorum pactis mutari non potest* „.

b) Praeterea ius publicum vocatur illud, quod est *commune* omnibus atque universos subditos fideles concernit.

sensu dicat publicum, utpote non *pactis privatis*, sed *publica auctoritate* Ecclesiae conditum, quod constituat proprium systema iuris saeri perfectae societatis religiosae distinctum ab altero systemate iuris civilis. Cfr. infra h. tit. n. 52. At manifeste liquet ita totam controversiam reduci ad litem de voce; nam istud verbum iuris publici Ecclesiae sumitur sensu *omnino lato*, neque satis attenditur hoc loco agi de divisione *intra ipsum systema* iuris ecclesiastici eum *propria strietaque* verborum significatione.

Porro patroni contrariae sententiae etiam sibi fingere videntur notionem *iuris privati*, quae non est ad rem. Nam si hic etiam ius ecclesiasticum dividitur in *privatum*, proxime non intelliguntur *subiectiva* iura privata, sed *obiectiva* i. e. ille complexus *legum ecclesiasticarum*, quibus immediate et principaliter bonum privatum singulorum fidelium promovetur. Huiusmodi leges ecclesiasticae indubitanter existunt. Insuper ista notio iuris privati ab adversariis allata sub alio quoque respectu est nimis limitata. Nequaquam enim *solummodo* ea iura subiectiva et privata dici possunt, de quibus quis pro *suo arbitrio* disponere valet; sunt enim *alia* quoque iura subiectiva et privata, quae *arbitrio* privato fidelium non sunt permissa.

Multo minus probant aliae rationes adversariorum. Nam exinde divisio quaedam nequit capri, quod ex iure Romano sit deprompta; secus multae aliae divisiones in iure canonico essent delendae. Deinde ista *terminologia* iuris Romani in se est optima et in natura societatis perfectae sive civilis sive ecclesiasticae solidum habet fundamentum. Penitus seponenda est altera ratio, quod ius *privatum* sit subordinatum *potestati civili*. Id enim verissimum est de *privato* iure *civili*, non de *ecclesiastico*, quod subest soli potestati Ecclesiae tanquam verae societatis perfectae. Quare haec difficultas solummodo contra illos v. g. *Schulte* aliosque moveri potest, qui a *falsa* notione iuris privati Ecclesiae proficiscentes illam revera v. g. in bonis temporalibus acquirendis etiam *de iure* subiectam esse legibus civilibus existimant. Denique tertia difficultas exinde repetitur, quod ius publicum dicatur spectare ad generalem oeconomiam societatis perfectae ut societatis, privatum vero referri ad bonum singulorum. Quae explicatio si reprobetur, aut perperam reiiicitur divisio in se verissima supra ex Ulpiano relata (cfr. quoque *Cavagnis* l. c. p. 15.; *Nilles* l. c. p. 394. sq.), aut non satis attenditur divisionem strieti iuris publici et privati ab *obiecto*, non a *subiecto* esse depromptam.

At concedendum est patronos huius divisionis in *definitionibus* iuris ecclesiastici publici et privati non leviter inter se discrepare multoque magis in diversas abire sententias, si hanc divisionem applicent *partitioni et tractationi systematicae* universi iuris canonici. Cfr. *Soglia* l. c.; *Cavagnis* l. c.; *Nilles* l. c.; *Schulte*, Syst. d. k. K. p. 89. sq.; *Laemmer*, Inst. d. k. K. p. 51. sq. 339. sq.; *Lega*, De iudiciis eccl. t. I. p. 11. sq.

Quo sensu praesertim distinguitur a *privilegio*, quod non pertinet ad omnes; sed ad singulos atque *lex privata* dicitur. Cfr. R. I. 116. § 1. D. L. 17.

c) Deinde ius publicum sensu proprio et ordinario appellatur, quod ad bonum commune sive *utilitatem publicam directe et principaliter* ordinatur v. g. de constitutione Ecclesiae, de ordinatione tribunalium ecclesiasticorum, et tantum *remote* et *indeterminate* et consequenter ad bonum singulorum. Contra ius privatum, quod huic iuri publico opponitur, *directe et principaliter singulorum respicit utilitatem* v. g. de pactis privatorum hominum atque solummodo *remote* et consequenter bonum *commune*. Cfr. § 4. Inst. de iust. I. 1.; L. 1. § 2. D. de iust. I. 1. (30).

d) Tandem sensu specifico ius publicum dicitur systema sive complexus legum *divinarum*, quibus *constitutio* (i. e. potestas eiusque subiectum) Ecclesiae ut societatis perfectae ordinatur; ius vero *privatum* audit systema vel complexus (omnium reliquarum) legum ab Ecclesia propositarum vel latarum, quibus *regimen* (directio, gubernatio, administratio per leges, iudicia, coercionem omnium membrorum) Ecclesiae ordinatur (31).

III. Ratione *ambitus* a) in *universale* (32), quod in universo orbe catholico viget; b) in *particulare*, quod tantum in aliquo territorio limitato vim habet; c) in *generale*, quo omnes

(30) *Schmalzgr.* l. c. n. 149.; *Cavagnis* l. c. p. 8. sq.; *Cathrein*, *Moralphil.* t. 1. p. 535.

(31) Si variae notiones publici iuris ecclesiastici praesertim sub c.) datae inter se comparentur, facile patet ius publicum haud raro *latius* sumi quam sub d.) definitum est, ubi ius publicum legibus quoque *humanis* constitutum non continetur. Cfr. *Cavagnis* l. c. p. 12., ubi publicum ius ecclesiasticum definitur: *Systema legum divinarum determinantium iura et officia Ecclesiae tanquam societatis perfectae. Quae definitio adeo larga est, ut dempto vocabulo « divinarum » citra difficultatem etiam completatur saltem maximam partem iuris privati sub d.) descripti sel. de regimine plebis christianae.*

Hinc liquet cur vocabulum iuris privati ibidem definiti melius alio videatur esse commutandum, ut fatetur etiam *Cavagnis* l. c. p. 17. Nam *universa* materia illius partis nequit subsumi sub specie iuris *privati*, nisi ius privatum sumatur sensu valde lato atque adeo improprio. Neque multum proficitur, si loco iuris *privati* dicatur ius *canonicum*. Quod verbum est *genericum* et etiam comprehendit ius *publicum* neque clare designat materiam secundae parti assignatam. Quare claritati et perspicuitati videatur consultum, si simpliciter distinguatur *ius constitutionis* et *ius regiminis* Ecclesiae.

(32) *Vering*, *Lehrb. d. k. K.* § 10.

fideles ligantur, et in *singulare*, cui certae tantum personae v. g. clerici, religiosi, pupilli subiiciuntur; *d)* in *commune* (33), quod regulam ordinarie servandam constituit atque generale vel *singulare* esse potest v. g. ius commune regularium; *e)* in *speciale*, quod exceptionem a regula ordinaria continet sive *favorabilem* sive *odiosam*. Quodsi exceptio illa v. g. sit *favorabilis*, dicitur *privilegium*.

IV. Ratione *formae* in *scriptum* et non *scriptum*. Illud ab ipso legislatore expresse conditum, tabulis consignatum, promulgatum est; alterum comprehendit tum *ius traditum* tum *ius consuetudinarium*, quod ab ipso legislatore saltem *scripto* datum et promulgatum non est.

V. Ratione *temporis* in *ius antiquum* inde a fundatione Ecclesiae usque ad Decretum Gratiani conditum; in *ius novum* sive melius *medii aevi*, quod a Decreto Gratiani usque ad Concilium Tridentinum constitutum est; in *ius novissimum* vel melius *novum*, quo inde a Concilio Tridentino usque ad Concilium Vaticanum nostramque aetatem utimur.

VI. Ratione *effectus* in *favorabile* et *odiosum*, quatenus specialis quidam favor conceditur, aut speciale quoddam onus imponitur (34). Quodsi effectus iuris attendantur, huc quoque revocari potest divisio *a)* in *ius cogens* et *dispositivum*; illud *absolute* obligat, hoc tantum *conditionate*, scilicet si negotium pactis privatis non fuerit ordinatum; *b)* in *ius permissivum*, *praeceptivum*, *prohibitivum*, *irritans*, *poenale*; *c)* in *ius perfectum*, cui tamquam sanctio addita est *nullitas actus* in contrarium gesti (35); in *ius minus quam perfectum*, cuius transgressio actum non reddit nullum, sed alia quadam poena obnoxium; in *ius plus quam perfectum*, quod actum contra ius gestum irritat et praeterea speciali poenae subiicit; in *ius imperfectum*, cui sanctio specialis de executione expresse

(33) Cap. 7. X. de procur. l. 38.; cap. 51. X. de appell. ll. 28.

(34) Suarez, De leg. l. V. cap. 2.

(35) At in foro ecclesiastico non *absolute* recepta est R. l. 64. in Sext., prout sonat: " *Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi* ", sed potius attendendum est principium Innoc. III. cap. 16. X. de regular. III. 31.: " *Multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem* ", scilicet si desit expressa clausula irritans. Cfr. L. 5. C. de leg. l. 14.; Gregor. M. (a. 598.) in c. 13. C. XXV. 2.; c. 2. C. XXXV. q. 6. iunct. part. dec. cap. 3. X. qui matr. IV. 8. (Coelest. III. a. 1191.-1198.?) de rigidiore sententia; Gasparri, De matrim. n. 246.; Scherer l. c. t. II. p. 259. not. 6.

non est addita, sed poena infligenda prudenti arbitrio magistratus relinquitur (36).

VII. Ratione *relatiouis* ad *extraueas* societates vel personas religiosas et civiles ius ecclesiasticum dicitur *externum* ad instar iuris internationalis sive publici sive privati, cum ius *interuum* vocetur, quo Ecclesia in se constituitur et regitur quoad proprios suos subditos (37).

VIII. Ratione *rituum* distinguitur ius Ecclesiae *occidentalis* et ius Ecclesiae *orientalis* (38).

51. **Scholion.** Haud abs re etiam nostra aetate commemoratur ius ecclesiasticum *pseudouaturale* et *pseudohistoricum*. Et profecto quae v. g. *Hinschius* et *Schulie* post suam a fide catholica defectionem aliique saepe sub specie quadam eruditionis historicae proferunt, non sunt solidae disquisitiones historicae, sed iura ecclesiastica pseudohistorica secundum praeiudicatas ipsorum opiniones ex monumentis historicis collecta (39).

IV. De relatione iuris ecclesiastici ad alia iuris systemata.

52. *Ius ecclesiasticum* nequit esse pars iuris *privati* (40) in genere multoque minus iuris *civilis* privati. Nam Ecclesia est societas *religiosa* et *perfecta* (sovrana), non corporatio quaedam *privata iu Statu* (41). Neque iuri *publico* adscribi potest, si ius publicum intelligatur, quod iuristae vulgo appellant ius *civitatis* sive *Status*. Etenim quamvis veteres Romani suo iuri publico ius quoque sacerdotum et sacrorum adnumeraverint (42), tamen id naturae Ecclesiae ut religiosae societatis universalis et perfectae manifeste repugnat (43).

(36) *Arndts*, Iurist. Encyklop. § 22.; *Vering*, Gesch. u. Pandekt. § 11.; *Scherer* l. e. t. I. p. 11.

(37) *Mueller*, De placito reg. p. 127.; *Phil. Hergenroether*, Lehrb. d. k. K. p. 11. sq.

(38) *Collect. lae. t. II.*; *Synod. Seiarf. Syror.* (a. 1888.).

(39) *Vering*, Lehrb. d. k. K. §§ 3. 4.; *Ph. Hergenroether*, Lehrb. d. k. K. p. 6. sq.; *Zallinger* l. e. vol. II. p. 352. sq. 362. sq.

(40) Ita revera existimavit *Falk* in encyclop. iurist. Cfr. *Phillips* l. e. § 3. not. 11.

(41) *Pius IX.* in Syllab. prop. 19. sq.; *Leo XIII.* in Encycl. "Immortale" 1. Nov. 1885. *Hammerstein*, De Ecclesia et Statu p. 211. sq. contra falsam theoriam *Hinschius*; *Bendix*, Kirche u. Kirchenrecht; *Cavagnis* l. e. P. I. p. 115. sq., ubi falsas notiones Ecclesiae a *Mamiani*, *Minghetti*, *Cadorna*, *Castagnola* in Italia traditas solide refutat.

(42) L. 1. § 2. D. de iust. et iur. l. 1.; c. 11. D. 1.; *Vering*, Geschichte u. Pand. § 8.

(43) *Zallinger* l. e.; *Arndts*, Iurist. Encyklop. p. 33. sq.

Neque ius ecclesiasticum *coordinari* potest ut *tertia* quaedam species iuri publico vel *Status* et iuri *internationali* (44). Nam ius internationale, quo et lege naturae et pactis positivis determinantur relationes inter societates *aequales* eiusdem ordinis *civilis*, ut pars sive *species* sub universo *genere* iuris *saecularis* continetur. At ius ecclesiasticum, cum sit societas *religiosa* plane *singularis*, *perfecta* et ab omnibus et singulis civitatibus independens illisque omnino superior, est ius quoddam sui *generis*, plane *singulare* et *proprium* et ab universo ordine civili independens; ergo iuri publico et internationali ut *tertia* species *coordinata* non accedit. Quodsi ius publicum vocetur ius *cuiusvis societatis perfectae* proprium, sane ius ecclesiasticum sub hac generica notione ut species continetur, ideoque *duo* tantum systemata iuris distingui possunt scilicet ius *ecclesiasticum* sive *sacrum* atque ius *saeculare* sive *civile*. Quae divisio *utriusque iuris* cum nitatur intrinseca rerum natura, non tantum *medio aevo* fuit propria, sed reiectis opinionibus modernis (45) etiam nostra aetate est unice vera.

§ 2. DE SCIENTIA IURIS ECCLESIASTICI.

I. De definitione et partitione scientiae iuris ecclesiastici.

53. Ius ecclesiasticum, ut est pars scientiae theologicae (46), definiri potest: *Scientia legum sive a Deo sive ab ecclesiastica potestate latarum, quibus constitutio atque regimen et disciplina Ecclesiae catholicae ordinantur*. Cum autem scientia sit cogni-

(44) Cfr. contra huiusmodi theorias recentiorum Protestantium velut *Richter*, *Savigny*, *Puchta*, *Stahl*, *Bluntsehli* aliorumque: *Schulte*, D. Lehre etc. p. 18. et *Buss*, Methodol. d. K. p. 80. et praesertim *Bendix* l. c.

(45) *Hinschius* in Eneyklop. d. Rechtswissensch., quam ed. *Holtzendorff* P. I. p. 820., ubi *species* iuris publici hae serie enumerantur: Processus civilis, *ius ecclesiasticum*, ius poenale, processus poenalis, ius constitutionis germanicum, ius administrationis, ius internationale Europ.! Cfr. quoque *Hammerstein* l. c.; *Kihn* l. c. p. 513.; *Cathrein*, Moralphilos. t. I. p. 535. sq.

(46) Quamvis ius ecclesiasticum *distinguendum* sit a theologia theoretica vel dogmatica aliisque particularibus disciplinis theologis, tamen nequaquam ut disciplina quaedam mere *iridica* ab universo theologiae systemate est *separanda* et disputationibus iuristarum tanquam scientia quaedam neutra relinquenda. Nam ius canonicum cum theologia morali constituit partem principalem *theologiae practicae*. Cfr. *Scheeben* l. c. p. 2. sq.; *Wernz* in Act. theol. Oenipont. t. XI. p. 333. sq.; *Lehmkulth*, Theol. moral. vol. I. proleg. § 1.; *Kihn* l. c. p. 6. sq. 20. sq. 512. sq.

tio rerum per *causas* sive *systema* conclusionum *demonstrarum* in eadem facultate sive disciplina, facile innotescit, quae sit natura *scientiae* iuris ecclesiastici.

54. *Partitio* legitima universae materiae canonicae non levis est momenti. Requiritur enim a vera ratione scientiae, atque singula doctrinae canonicae capita melius intelliguntur, si apto ordine sunt colligata et suo loco convenienti in *systemate* collocata. At etiamsi quis plena utatur libertate in partitione iuris ecclesiastici nec certo ordini magis minusve sit adstrictus, is omne videtur tulisse punctum, qui non solum partitionem *vere logicam* et naturae scientiae canonicae *accommodatam* (47) proponat, sed etiam rationem habeat, quantum fieri potest, connexionis cum *ordine fontium* atque partitionis a *viris doctis* saltem quoad substantiam *communi* quodam consensu et stabili *traditione* retentae neque negligat *practicam* utilitatem et sana principia *paedagogica*.

55. Veteres auctores (48) in explicando iure ecclesiastico ordinem librorum et titulorum atque non raro etiam capitum collectionis Gregorii IX. secuti (49) universum ius ecclesiasticum in quinque libros diviserunt secundum vulgatum versiculum: Iudex, iudicium, clerus, sponsalia, crimen (50).

Inde a saeculo decimo sexto secundum *analogiam* Institutionum Imperatoris Iustiniani ius quoque canonicum di-

(47) Quare nequaquam divisio quaedam ex iure *civili* repetita indiseriminatim est applicanda iuri *eccelesiastico*, quod, quamvis in non paucis eum iure *civili* conveniat, tamen indolem habet propriam et singularem et saepe a iure *civili* diversam.

(48) *Goffredus de Trano* († a. 1245.) unus ex primis eanonistis fuit, qui ordine legali librorum et titulorum retento sub singulis rubricis universam doctrinam eanonieam ordine quodam systematiceo in sua *Summa* exposuit. Cfr. *Seherer* l. e. p. 262.; *Schulte*, *Gesehiehte* etc. t. II. p. 89. sq. Quem morem plerique commentatores iuris Deeretaliu a saeculo 13. v. g. *Hostiensis* († a. 1271.) (*Schulte* l. e. p. 123. sq.) usque ad nostrum saeculum seuti sunt v. g. *De Angetis*, *Santi*, *Grandctaude*. *Théphany*.

(49) *Innoentius IV.* († a. 125.), *Commentaria*.... in quinque Deeretaliu libros. Cfr. *Schulte* l. e. p. 91. sq.

(50) Qui ordo minime, ut fit ab Eybel, eum eontemptu tanquam plane ineptus est reiiiciendus (efr. *Nilles* in *Aet. theol. Oenip.* t. I. p. 399.), neque per ineongruas hyperbolas, ut placet *Devoti*, lus eanonie. universum publ. et priv. praefat. t. II. p. VII. VIII., summis laudibus est eelebrandus; suos enim habet defeetus suasque lacunas. Neque omnes rationes ob quas *Zaltinger*, *Instit. iur. eecl. maxime privati* vol. III. p. 2. ordinem Deeretaliu sibi rigore retinendum esse eensuit, praesertim nostra aetate sunt eonvineentes. Cfr. prooem. huius introd.; *Phillips* l. e. § 8.; *Gasparri* *De matrim.* prooem. p. XI.

vidi coeptum est in tres vel quatuor libros, in quibus agebatur de personis, de rebus, de iudiciis, de criminibus atque poenis (51). Cuius divisionis speciem referunt institutiones iuris canonici a Lancelotto (52) a. 1563. conscriptae, quae reperiuntur in appendicibus multarum editionum corporis iuris canonici. At plurimi canonistae ordinem collectionis Gregorii IX. etiam saeculis sequentibus praesertim in prolioribus commentariis omnino retinebant.

Ultimis demum saeculis, *Neller* († a. 1783.) (53) professor in academia Trevirensi, *Ickstatt* († a. 1776.) (54), *Endres* († a. 1791.) (55) ordinem *Decretalium* plane derelinquendum esse rati divisionem iuris ecclesiastici in *publicum* et *privatum* summopere commendarunt. Quae partitio nova nequaquam a suis patronis unanimi consensu explicata multoque minus aequali ratione in praxim deducta est, neque multum arrisit sectatoribus antiquae scholae catholicae (56). Nam praeter exceptiones canonicas, quibus fuit obnoxia, certe ab indole primorum patronorum (cfr. *Barthel* († a. 1771.) apud *Schulte*, *Geschichte* etc. t. III. a. p. 183. sq. et alios tres supra citatos

(51) Quae partitio saltem *libros* in meliorem redigit ordinem atque nequaquam *serviliter* imitata est ordinem iuris *privati* Romanorum, sed iuris quoque *publici* et personarum publicarum sufficientem habuit rationem, ut maxime patet ex *Devoti*, *Inst. canon.*, quae usque ad nostram actatam tum propter ordinem tum ob *soliditatem* et *elegantiam* disputationis canonicae recte magni aestimantur. Cfr. prooem. h. introduct.; *Phillips* l. c.; *Schulte* l. c. t. III. b. p. 315. 320. sq. 326. sq. de tempore, quo propria cathedra *Iustit. canon.* paulatim etiam Romae aliisque in locis instituta est.

(52) Iam antea *Conradus Lagus* († a. 1546.), professor protestantic. (cfr. *Schulte* l. c. t. III. b. p. 319.) in suo libro: *Iuris utriusque traditio methodica*, meliorem ordinem systematicum iu tradendo iure canonico et eivili introducere tentavit. Cfr. quoque *Schulte* t. II. 397. 403. sq. de aliis antiquis scriptoribus compendiorum iuris ecclesiastici vel *Instit. canon.* Item mox post *Lancelottum* etiam *Cucchi*, prof. iur. canon. in univ. Papiensi, a. 1564. publicavit Institutiones iuris canonici meliori ordine digestas. Cfr. *Schulte* l. c. t. III. a. p. 450.

(53) Principia iur. publici eccl. (relat. in Indicem 9. Septembris 1750.). Cfr. *Schulte* l. c. p. 213. sq.

(54) De studio iuris ordine atque methodo scientifica instituendo, Ingolstad. 1747. Cfr. *Schulte* l. c. p. 206.; *Soglia*, *Instit. iur. publ. eccl.* t. I. praef.

(55) De necessario iurisprudentiae naturalis cum ecclesiastica nexu etc., Vireeburg. 1761. Cfr. *Schulte* l. c. p. 244.

(56) *Zech* († a. 1772.), *Præcognita iur. can.* § 47.; *Nilles* in *Act. theol. Oenip.* t. I. p. 398.

auctores) viris catholicis non fuit probata (57). At ut non raro fit, ad melius impugnandos adversarios vel ab ipsis adversariis depromuntur arma. Hinc paulatim etiam canonistae catholici hanc partitionem adoptarunt. Dubitari enim non potest, quin huic divisioni verus atque genuinus subsit sensus, et alias difficultates ex verbo parum apto iuris *privati* petitas patroni solvere solent per speciales explicationes aut mutatione nominis aut alia quadam distributione materiae (58).

56. Nostra aetate magna est partitionum diversitas, e quibus non paucae a consueto ordine multum recedunt, at minime semper acumine logico vel practica utilitate commendantur (59). Cum Romae (60) duplex schola Institutionum

(57) Primus, qui novis consiliis aures praebuisse videtur, fuit *Ph. Anton. Schmidt* († a. 1805.) in suo opere: *Instit. iur. eccl. a. 1771*. Quod exemplum *Zatlinger* († a. 1813.) non nisi aegre et reluctans secutus est (a. 1784. 1791.), ut patet ex ipsius *Instit. iur. eccl. maxime privati ordine Decretal. vol. III. §§ 75. sq.* Tandem vel ipse Leo XII. Const. « *Quod divina sapientia* » 28. Aug. 1824. n. 209. proprias cathedras iuris ecclesiastici publici in Statu pontificio instituit. Idem factum est a Leone XIII. in seminario Romano atque in nova universitate catholica Washingtonensi. Cfr. *Act. theol. Oenip. t. XV. p. 566*. Multae exinde prodierunt hoc saeculo *Institutiones iuris publici ecclesiastici* (cfr. *Cavagnis l. c. P. I. p. VIII. sq.*), quas, si quis attente examinet, facile in eam consentiet opinionem, causam *finium regundorum* inter professores philosophiae moralis, theologiae fundamentalis et dogmaticae, iuris publici ecclesiastici, iuris Decretalium, Institutionum canonicarum praesertim iuris privati nondum apta quadam ratione generaliter esse direptam. Cfr. supra h. tom. I. n. 16.

(58) Separata lite de vocibus ea partitio ceteris videtur esse melior, quae universum ius ecclesiasticum dividit in duas partes principales: I. *De constitutione Ecclesiae catholicae*. II. *De regimine Ecclesiae catholicae*. Cfr. *Zech l. c.*; *Tarquini l. c. p. 1. sq.*; *Cavagnis l. c., p. 8. sq.*; *Aichner, Compend. iur. eccl. § 7.*; *Scherer l. c. t. I. p. 114.*

(59) Ita v. g. partitiones, quas derelicto ordine antiquo adoptarunt *Watter, Vering* aliique, rigoroso ordine logico praec antiquioribus scriptoribus certe non excellunt. Imo partitio a *Schulte* proposita in cit. opere: *D. Lehre* etc. nititur falsis doctrinis de iure consuetudinario, de concordatis legibusque civilibus; divisio vero eiusdem auctoris in altero opere: *System* etc. pariter supponit plane falsam relationem Ecclesiae ad leges civiles. Felicior quoque non fuit *Hinschius* in illa partitione, quam exhibet apud *Holtzendorff, Encyklop. d. Rechtsw. p. 819. sq.*

(60) Leon XII. Const. cit. l. c. Cfr. de praxi antiqua: *Zech, Praecognita iur. can. §§ 3. sq.* atque de disciplina nova: Const. cit. universitatis Washingtonensis a Sede Apostolica approbatas, ubi haec leguntur: « *Quoad ius canonicum erigentur cathedrae institutionum ac textus necnon iuris publici ecclesiastici; totum vero studium tribus saltem annis absolvetur* ». Cfr. *Arch. f. k. K. t. 65. p. 44. 45.*

canonicarum et iuris Decretalium sive textus canonici existat meritoque retineatur, in priori systema Institutionum, in altera vero ordo legalis Decretalium Gregorii IX. quoad substantiam adoptatur (61).

Quare quoniam versamur in schola iuris Decretalium, cui tanquam praeparatio praecessit schola Institutionum canonicarum, attenta practica utilitate atque connexionem utriusque scholae simulque ratione habita ordinis legalis et logici (62) quinque libri Decretalium ita videntur posse apte dividi atque ordinari:

LIB. I. Ius (personarum sive hierarchiae vel) constitutionis Ecclesiae catholicae.

(Lib. I. Decretal. Gregor. IX. "*Iudex* „).

LIB. II. Ius (rerum sive gubernationis vel) administrationis Ecclesiae catholicae.

(Lib. III. Decretal. Gregor. IX. "*Clerus* „ et *res ipsius*).

LIB. III. Ius matrimoniale Ecclesiae catholicae.

(Lib. IV. Decretal. Gregor. IX. "*Sponsalia* „ – Continuatio lib. II. (III)).

LIB. IV. Ius iudiciorum (sive ordo iudiciarius) Ecclesiae catholicae.

(Lib. II. (V.) Decretal. Gregor. IX. "*iudicium* „).

LIB. V. Ius criminale Ecclesiae catholicae.

(Lib. V. Decretal. Greg. IX. "*Crimen* „).

Qua ratione ordo librorum Decretalium levi immutatione facta melius correspondet ordini Institutionum in se meliori magisque logico et auditoribus ex schola Institutionum canonicarum iam familiari probeque perspecto (63). Quodsi ordo

(61) Cfr. de ordine legali retinendo et convenienter adaptando: *Biederlack* in Act. theol. Oenip. t. IX. p. 353. sq. et eadem Act. t. XIII. p. 894. sq.; prooem. h. Introd. n. 4.

(62) Ordinem logicum sive vere systematicum non esse negligendum sapienter docet *Tarquini* l. c. prooem. auct. p. XI. sq. hisce verbis: "*Inde alia miti ars, ut ordinem logicum diligenter servarem, ita ut ordo ipse saepe pro demonstratioue esset, ex quo nimirum manifestum fieret, insequentibus propositionibus vera esse praecedentium corollaria* „.

(63) In illa divisione liber I. Decretalium exhibet universam doctrinam canonicam de hierarchia vel *constitutione* Ecclesiae catholicae etiam in *particularibus* determinationibus. Qui liber si apte subdividitur, comprehendit duplicem partem de statu clericali secundum duplicem hierarchiam ordinis et iurisdictionis. Reliqui quatuor libri continent ius constitutum de *regimine* Ecclesiae catholicae, quo universa *actio socialis* populi christiani ad finem Ecclesiae proprium dirigitur. Cfr. *Tarquini* l. c. p. 1.; *Cavaignis* l. c. p. 12.; *Zattinger* l. c. vol. III. § 49. Quod regimen fit per *guber-*

librorum in compilationibus authenticis emendationis est capax, id multo magis valet de ordine titulorum atque potissimum capitum, e quibus singula ordine tantum chronologico sunt connexa (64).

II. De relatione scientiae iuris ecclesiastici ad alias scientias.

57. Scientia iuris ecclesiastici maxime cohaeret cum *philosophia* et *theologia* et *iure civili*. Philosophiam enim universam *supponit* ut conditionem necessariam, praesertim *logicam* atque *philosophiam moralem* (65).

Praeterea in scientia canonica merito tanquam fundamentum *etiam supponuntur theologia fundamentalis* sive institutiones propaedeuticae de vera religione, Ecclesia Christi, locis theologicis. Nam in iure ecclesiastico excolendo iam versamur *intra* Ecclesiam catholicam invicte demonstratam. Quare probato infallibili Ecclesiae magisterio *definitiones dogmaticae* canonistis sunt principia cognoscendi, unde constat, quid *de se ipsa* declaraverit *Ecclesia*.

nationem sive administrationem, qua per *leges* ordo *normalis* sive *ius* in Ecclesia definitur (lib. II. et III.), per exercitationem potestatis *iudicialis* (lib. IV.) et *coercitivae* (lib. V.), qua ordo ille normalis, si turbetur vel violetur, denuo restituitur. Qui ordo *vere logicus* de exercitio potestatis legiferae, iudiciariae, coercitivae, si negligatur, facile res miscentur, quarum connexio difficulter intelligitur v. g. de processu canonico et iure poenali, de ordinibus religiosis, bonis temporalibus. Cfr. *Arndts*, Iurist. Eneykl. p. 81. sq. de ordine illo logico vel ipsa practica studendi methodo eomendato.

(64) Cfr. *Pirhing*, Ius can. prooem. § 6. optime hae de re disserentem; *Zeeh*, qui in fine vol. VI. p. 546. sq. utile quoddam exhibet schema, in quo ordo Decretalium et ordo Institutionum inter se comparantur. Sane v. g. libro I. apte inseri potest titulus de privilegiis ex libro V.; e contra tit. 16. de saera unetione melius remittitur ad librum III. Item ultimi tituli libri I., qui dicuntur praeliminares iudiciorum, non tantum secundum praxim, sed etiam pro meliori ordine logico et connexione rerum libro II. reservantur. Cfr. *Zeeh* in cit. schem. Neque abs re erit, si loco appendicum, quibus v. g. *De Angelis* laenas supplendas esse putat, pro more *ab ipso S. Raymuundo* in Summa recepto *novi tituli* cum novis rubricis inserantur.

(65) *Soglia* l. e. t. I. §§ 3. 4.; *Zallinger*, Instit. i. ecc. publ. et pr. liber subsidiar. vol. II. p. 208. sq.; *Cavagnis* l. e. p. 18. sq.; *Kihn* l. e. p. 6. sq. 20. sq. 30. sq. 84. sq.; ubi in opere suo egregio propter diversam a scholasticis acceptionem theologiae theoreticae et practicae tribuit *iuri ecclesiastico* *aliam* sedem in systemate theologico. Cfr. *Schiffini*, Disp. philosoph. mor. n. I.; *Pesch*, Prael. dogm. t. I. n. 6. sq. 20. sq.

Quodsi ratio habeatur *fontium* i. e. revelationis et *obiecti materialis* i. e. legum divinarum et ecclesiasticarum de constitutione et regimine Ecclesiae, ius ecclesiasticum est *pars* theologicae scientiae, sed *practicae*, non *theoreticae* vel mere speculativae.

Denique ius canonicum *differt* a theologia *dogmatica* et *moralis* ratione *obiecti formalis*. Theologiae enim dogmaticae est inquirere in omne *verum* demonstrabile ex fontibus revelationis, quatenus est obiectum *credendorum*; ius autem canonicum non sistit in *veritate* cognoscenda, sed in eadem obiecta v. g. in constitutionem Ecclesiae inquirat, quatenus sunt *leges* sive *regulae agendorum*, ut pax et recta gubernatio in Ecclesia habeatur.

Ab altera autem specie theologiae *practicae* i. e. theologia *moralis* ius canonicum distinguitur, quia agit de *actionibus fidelium*, quatenus referuntur ad ordinem *externum* et *socialem* Ecclesiae, et quae idcirco etiam in foro externo legibus ecclesiasticis praescriptae vel prohibitae sunt. Theologia vero *moralis* generatim inquirat in rectitudinem sive licitatem vel illicitatem *omnium* actionum humanarum in ordine ad finem ultimum atque internam sanctificationem hominum, etiamsi illae actiones ad ordinem *externum* et *socialem* Ecclesiae vel *civitalis* respectum non habeant et primario et directe in solo foro *interno* sint iudicandae neque in foro *externo* legibus ecclesiasticis praescribantur vel prohibeantur vel statuta quadam *sanctione* puniantur. Manifestum igitur est discrimen inter ius canonicum et theologiam moralem, sed aequae patet non paucas quaestiones iuris ecclesiastici a moralistis tractari posse v. g. de obligationibus parochorum, quae legibus ecclesiasticis nituntur. Hinc a practica quadam distributione materiarum pendet, in qua schola de certis quaestionibus theologiae practicae sit agendum (66).

Tandem ius canonicum non raro adoptavit sive, ut dicitur, *canonizabit* leges civiles. Praeterea in iure canonico excolendo multi canonistae ob similitudinem materiae usi sunt *methodo iuris civilis* praesertim Romani, sicuti theologi philosophiam Aristotelicam eiusque methodum in theologia scholastica applicarunt. Propter *fontem* quasi materialem istarum legum ecclesiasticarum canonizatarum, propter *similitudinem*

(66) Suarez, De legib., praef., ubi praeclare exponit, qua *diversa* ratione *theologi*, *philosophi*, *iuristae*, *canonistae* de legibus disputent.

materiae et methodi ius ecclesiasticum iuridica quoque appellatur disciplina, quae in multis universitatibus litterarum iuridicae facultati fuit incorporata (67). At sicuti theologia scholastica propter usum philosophiae Aristotelicae et methodum philosophicam non desinit esse pars theologiae neque fit disciplina quaedam *philosophica*, ita ius ecclesiasticum propter similes rationes ex albo disciplinarum theologiarum minime est expungendum neque soli scientiae iuridicae vindicandum (68).

III. De scientiis auxiliaribus iuris ecclesiastici.

58. Inter scientias auxiliares iuris ecclesiastici sine dubio primum locum occupant theologia dogmatica (69) tum positiva tum speculativa (70) atque theologia moralis et pasto-

(67) *Benedict. XIV.*, De Synod. dioec. l. IX. cap. 10. sq. l. XIII. cap. 10. n. 12.

(68) Hinc quae *Schulte*, *Gesch. d. Quell. u. Lit. d. c. R. t. III. b. p. 279. sq.* scribit, non semper aequo nituntur iudicio; at v. g. p. 321. sq. 324. sq. 326. sq. utiles iustasque inserit animadversiones.

(69) Quare illi iuristae, qui nonnisi obiter studiis *philosophicis et theologicis* imbuti iuri canonico operam dant, facile periculo graviter errandi sunt expositi, ut ipse *Schulte* proprio suo exemplo probavit. Neque lacuna scientiae philosophicae et theologiae eruditione quadam iuridica suppleri potest. Scientiae igitur canonicae parum consultum est, si iuristae solida cognitione dogmatum catholicorum destituti principales partes in iure canonico occupant. Desiderandum igitur est, ut praesertim *theologi* subsidio scientiae iuris *civilis* muniti iuri canonico theoretice et practice excolendo strenuam dent operam. Cfr. *Acta theol. Oenip. t. XI. p. 333. sq.*; *Zaltinger* l. e. vol. II. p. 209. sq.

(70) *S. Thom.*, *Summ. theolog.* De aliis theol. praeclarioribus medii aevi et recentioris aetatis optime disserit *Scheeben* l. e. t. I. p. 419. sq. Ex iis, qui theologias dogmaticas completas nostra aetate conscripserunt, utiliter a canonistis consuluntur: *Hurter*, *Compend. theol. dogm.*; (propter insignem eruditionem patristicam); *Katsehthaler*, *Theol. dogm. cath. spec.*, qui bene exponit historiam haeresum. Praesertim de Ecclesia, Roman. Pont., Concil. locis theolog. atque similibus quaestionibus consulendi sunt: *Turrecremala*, *Summa de Ecclesia* (antiquissimus et solidus de hac re tractatus); *Canus*, *De locis theologicis*; *Stapleton*, *Principior. fidei doctrinal. demonstratio*; *Belharminus*, *Disput. de controvers. christian. fidei*; *Kilber*, *De princ. theolog.*; *Franzelin*, *De trad. div.*, *De Eccl.*; *Murray*, *De Ecclesia Christi*; *Hellinger*, *Fundamentaltheolog.* aliique supra iam laudati. Praeterea tractatus singulares utiliter adhibentur v. g. *Suarez* et *Lugo*, *De fide*; *Suarez*, *De leg.*, *De virt. et stat. relig.*, *Defens. fidei cathol.*, *De censuris*; *Molina*, *Lessius*, *Lugo*, *De iustit. et iure*; *De Augustinis*, *Billot* aliique, *De re sacramentaria*, praesertim, *de sacramentis ordinis et matrimonii*. Cfr. *Kihn* l. e. p. 384. sq. 373. sq.

ralis (71). Quoniam sacra scriptura et traditio tum divina tum apostolica tum ecclesiastica sunt fontes, e quibus in iure quoque ecclesiastico argumenta depromi solent, ideo manifestum est exegesis sacrae scripturae (72), patrologiam (73) notitiam Conciliorum (74), historiam ecclesiasticam sensu latissimo acceptam (75) esse scientias auxiliares iuris ecclesiastici canonistae summopere utiles atque adeo necessarias.

Denique philosophia moralis sive ius naturae (76), ius hebraicum (77), Romanum (78), germanicum (79), ius internationale (80) ob multiplices connexiones cum iure canonico, item historia profana (81), cognitio linguarum tum antiquarum (82)

(71) *S. Alphonsus*, Theolog. moral.; *Scavini*, *Gury*, *Ballerini*, *Ferreres*, *Mueller*, *Lehmkühl*, *Marc*, *Bueceroni*, *Cardin. D'Annibale*, *Benger*, *Noldin*, *Goepfert*, *Amberger*, *Schuech*, *Pruner*, *Cornelisse*, *Génicot*, *Simar*, *Bouquillon*, *Berardi*, *Seindler*. Cfr. *Kihn* l. c. p. 435. sq. 463. sq.

(72) *Cornely*, *Cursus sacrae scripturae*; *Kihn* l. c. p. 103. sq. 218. sq.

(73) *Fessler-Iungmann*, *Instit. patrologiae*; *Bardentheuer*, *Patrolog.*, *Gesch. d. altk. Lit.*

(74) *Hefele*, *Conciliengeschichte*.

(75) *Baronius* cum suis continuatoribus; *Rohrbaeher (Darras)*; *Card. Hergenroether-Kirsch*; *Brueek*; *Funk*; *Iungmann*; *A. Weiss*. — *Martigny*, *Dictionnaire des antiquités chrétiennes*; *Krauss*, *Realencyklopaedie d. christl. Alterthuemers*; *Cabrol*, *Dictionn. d'archéolog. chrét. et de liturg.* Cfr. *Zallinger* l. c. vol. II. p. 371. sq. de historia et critica tanquam necessariis adminiculis iuris sacri; *Nirschil*, *Propaed. d. Kircheng.*

(76) *Ferretti*, *Inst. philosoph. moral.*; *Costa-Rosselli*, *Synopsis philosophiae moralis*; *Sehiffini*, *Disput. philosoph. moral.*; *Cathrein*, *Moralphilosophie vel eiusd. auctoris compendium: Philosophia moralis*.

(77) *Sehegg*, *Bibl. Archéolog.*; *Spencer*, *Selden*, *Michaelis*, *Saalsehuetz*, *Keil*.

(78) *Aleiatius* († a. 1550.); *Connanus* († a. 1551.); *Cuiacius* († a. 1590.); *Donnellus* († a. 1591.); *Brunnemann* († a. 1672.); *Gothofredus* († a. 1652.); *Vinnius* († a. 1657.); *Voëtius* († a. 1713.); *Pothier* († a. 1772.). Ex recentioribus scriptoribus utiliter consuli possunt: *Arndts-Scraffui*, *Vering*, *Aearias*, *Van Wetter*, *Waller*, *Willems*, *Ortolan*, *Padelletti*, *Heumann*, *Handlex. zu d. Quellen d. roem. R.* *Voigl. M. Röm. Rechtsgschte*, 1892., *Heilfron E. Röm. Rechtsgschte u. System d. röm. Rechts*, 1907.

(79) *Waller*, *Deutsche Rechtsgeschichte*; *Phillips*, *Deutsche Reichs u. Rechtsgesch.*; *Zoepfl*, *Deutsche Rechtsgesch.*; *Schulte*, *Lehrb. d. d. R. u. R.*; *Waller*, *System d. g. d. Privatrechts*; *Gerber*, *Grundzuege d. d. Staatsrechts et Syst. d. g. d. Privatrechts*; *Stobbe*, *Handb. d. d. Privatrechts*; *Schroeder*, *Lehrb. d. d. Rechtsg.*

(80) *Phillimore*, *Commentaries on international law*; *Casanova*, *Lezioni di diritto pubblico internazionale*; *Heffter*, *D. europ. Voelkerrecht*. Cfr. *Holtzendorff*, *Encyklopaedie d. Rechtswissenschaft P. I. p. 1189. sq.*

(81) *Mabillon* († a. 1707.), *De re diplomatica*; *Lupi*, *Manuale di palografia delle carte*; *Leisl*, *Urkundenlehre*; *Lersch*, *Einleitung in d. Chronol.*

(82) *Du Fresne*, *Du Cange*, *Glossar. ad scriptor. mediae et infim. grae-*

tum recentiorum (83) utilissima existunt subsidia scientiae canonicae.

IV. De methodo docendi atque discendi ius ecclesiasticum.

59. Cum finis scientiae iuris ecclesiastici sit *plena* atque *perfecta* cognitio canonum, quadruplex methodus adhibeatur necesse est.

I. Methodus *positiva* sive *exegetica*, quae imprimis in eo consistit, ut ipsae leges ecclesiasticae ex genuinis fontibus iuris canonici deductae, quibus ex *disciplina nunc vigenti* Ecclesia catholica regitur, per accuratam interpretationem perfecte et ordinate cognoscantur et exponantur. Quam methodum antiquissimi scriptores de iure canonico ita exclusive secuti sunt, ut omnia et singula *capita* secundum ordinem *chronologicum* et externum, quo in collectionibus iuris posita fuerunt, explicarent atque declararent. Methodus ista antiquorum Glossatorum (84) sua sane habet commoda, et postquam multa a viris doctis disputata fuerunt contra methodum exegeticam tandem etiam nostra aetate praxim interpretandi leges Romanas et capita iuris Decretalium Romae nunquam intermissam, in seminariis iuridicis universitatum litterarum maiore fervore denuo adoptarunt (85). At negari non potest methodum exegeticam unice usitatam in sese esse imperfectam et non paucis incommodis expositam. “*quia, ut recte docet Pirhing l. c. in prooem. § 6., capitula prouiscue et confuse ac sine ordine sunt posita in titulis, ita ut vix unum cum altero cohaereat, prout nemo negare poterit, qui non superficie tenus, sed paulo profuudius ipsa capitula inspexerit et intellexerit; ideo ad confusionem evitaudau necessarium esse existinavimus ea ad ordinatam uel methodum seu in*

citatis, Glossar. med. et inf. latinit.; Suicerus, Thesaurus ecclesiasticus. c. Patrib. graecis; Kihn l. c. p. 80. sq. 303. sq. 334. sq.

(83) Schulte l. c. t. III. b. p. 325., ubi morosum, at non semper iniustum agit censorem.

(84) Schulte l. c. t. I. p. 212. sq.; Seherer l. c. t. I. p. 254. sq. 258. sq.; Bonix, De prime. iur. can. p. 577. sq.

(85) Esmarch, Pandekten-Exegeticum p. III. sq.; Arch. f. k. K. t. 61. p. 3. sq. t. 31. p. 225.; Paulsen, D. d. Universit. p. 266. sq. At quamvis a methodo vere scholastica etiam in interpretatione capitum non sit refugiendum (cfr. Seherer l. c. p. 118.), tamen schemata antiqua et recentiora multoque magis formae absonae et antiquatae non sunt serviliter adhibenda.

ordinem doctrinae reducere, quia, ubi non est ordo, ibi necessario est confusio „.

II. Quare cum methodo exegetica necessario coniungenda est methodus *systematica* vel potius *scholastica*, quam qui a verbo scholasticae methodi sine causa abhorrent (86), aliis verbis vocant *iuridico-dogmaticam*. Ratio enim scientiae imprimis requirit, ut leges vigentes omissis obsoletis et antiquatis statutis canonicis in ordinatum quoddam *systema* sive corpus doctrinae redigantur. Deinde proficiscendum est more scholastico a legitimis *definitionibus* et *divisionibus*. Mox *conclusionibus* ex legibus deductis aptae et solidae subiungendae sunt *rationes* extrinsecae et intrinsecae ex fine et motivis legum petitae. Vindicandae quoque sunt leges ecclesiasticae contra *difficultates* et exceptiones. Denique nexus ipsarum cum aliis statutis canonicis atque supremis principiis et doctrinis theologicis et philosophicis et civilis iuris est explicandus, et consectaria particularia ex principiis stabilitatis deducantur necesse est (87). Hinc sicuti theologi scholastici primo loco ex *fontibus* positivis sua *dogmata* hauriunt et solide probant, deinde illa in ordinatum quoddam *systema* redigunt et profundiore *speculatione* explicare et defendere student, ita canonistarum est ex genuinis fontibus *sua iura* sive *dogmata* haurire, ordinare, probare, vindicare praecisione illa atque methodo vere *iuridica*, quae etiam in scientia iuris ecclesiastici merito requiritur (88).

III. Ad plenam perfectamque cognitionem iuris ecclesiastici habendam maxime nostra aetate accedat necesse est *methodus historica* (89). Nam disciplina vigens nequaquam perfecte intelligitur, nisi ipsius origo et occasio, vicissitudines et mutationes, cessatio et restauratio ob oculos habeantur (90). Praeterea nostra aetate canonistae acatholici (91) non iam obsoletis armis antiquorum theologorum protestantium utuntur, sed praesertim ex historia pro suo modo intellecta et

(86) Scherer l. e. 113. 118.

(87) Suarez, De leg. l. eap. 20. l. III. eap. 4. 8.

(88) Methodus *philosophica*, quatenus genuinam habet significationem, iam sub vera methodo scholastica continetur neque specialem meretur tractationem. Cfr. Phillips l. e. § 4.; Scherer l. e. p. 114.

(89) Phillips l. e.; Scherer l. e. p. 113.; Schulte l. e. t. III. b. p. 328. sq. p. 334. assertiones congerit contra viros catholicos solidis argumentis non probatas.

(90) Zech, Praecogn. iur. can. § 12.; Zallinger l. e. vol. II. p. 373. sq.

(91) V. g. Hinschius, System d. k. Kirchenr.

subsidiis modernis instructi doctrinam catholicam catholicorum impugnant. Quare catholici quoque canonistae, ut suo tempore iam monuit *Devoti* (92), non solis scutis et hastis *Panormitani* et *Anacleti* confidere atque neglecta eruditione historica ad iuris ecclesiastici explicationem accedere debent (93).

IV. Postquam quis scientia theoretica iuris ecclesiastici sufficienter imbutus est, *methodo practica*, qua generales leges ad causas particulares frequenter et rite applicantur, etiam *iurisprudentiam* acquirat necesse est, i. e. dexteritatem illam vel facilitatem, quae consistit in habitu quodam practico leges ecclesiasticas vere *interpretandi* et *facile* recteque ad *causas particulares* in praxi occurrentes *applicandi*. Id, quod fieri potest iam in ipsa schola textus canonici, si quis *finita parte systematica* (94) etiam capita singulorum titulorum attentè legat et accurate interpretetur atque studium causarum selectarum in SS. Congregationibus (95) et in S. Rota decisarum vel pendendum non negligat. Multa tamen hac in re relinquenda sunt illi tempori, quo quis apud SS. CC. (96) vel apud S. Rotae Auditores ex professo causis practicis operam dare potest, aut opportunitatem nanciscitur in officio quodam ecclesiastico propria longaque experientia sibi dexteritatem illam comparandi. Denique ut oratio humilis et assidua in studio theoretico est efficacissimum medium acquirendae scientiae canonicae, ita etiam in difficilioribus causis dirimendis lumen supernum firmissima spe est implorandum. Quod praeclarum medium quamvis a multis canonistis inter *subsidia litteraria* non recenseatur, tamen in schola vere catholica et in cubiculo studiorum canonistae catholici principem occupabit locum. Cfr. praefationes vel proem. antiquor. scriptorum v. g. *Tancred.*, *Ordo iudiciar. prooem.*

(92) Ius canonicum universum t. I. p. V. sq.

(93) Ex catholicis canonistis *methodo illa historica* sollerter usi sunt; *Thomassinus*, *Benedictus XIV.*, *Zaccaria*, *Muzzarelli*, *Devoti*, *Walter Phillips*, *Scherer*, *Saegmueller* aliique, item *Schutte* in operibus ante suam defectionem a fide catholica scriptis.

(94) *Maschat*, Institut. canon. vol. II. proleg. n. 33. ad 3.

(95) Act. S. Sed.; Thesaur. resolut. S. C. C.; Causae selectae S. C. C. ed. *Lingen* et *Reuss*.

(96) *Bangen*, Die Roemische Curie p. 170. sq., 449. sq., ubi refertur ordinatio pro clericis studii data 1. Ian. 1847.; *Lega*, De iudic. eccl. t. II. p. 187. sq. Illa schola practica *Studii* S. C. C. post novam ordinationem Curiae Rom. de facto fuit suppressa, cuius defectus nunc apte suppletur per studium practicum apud S. Rotae Auditores.

60. Quodsi quis inquirat in methodum magis determinatam docendi atque discendi ius ecclesiasticum, utilissimus sane est ille modus Romae usque ad nostram aetatem (97) retentus, quo universum studium iuris ecclesiastici duplici continetur et absolvitur schola scl. Institutionum canonicarum et Decretalium. Quod studium iuris ecclesiastici eo maiore cum fructu peragetur, si simul quis secundum ordinem Leonis XII. cum studio iuris canonici coniungat studium iuris civilis praesertim Romani, attentis tamen progressibus hoc saeculo factis et speciali ratione habita iuris civilis propriae patriae. Denique ut vero et solido profectui in scientia canonica consulatur, atque decretis Leonis XIII. debita praestetur obedientia, omnino requiritur accurata observatio temporis exclusive studio iuris Decretalium assignati.

61. **Scholion.** Quod Maldonatus († a. 1583.) celeberrimus quondam in civitate Parisiensi professor sacrae theologiae, suis auditoribus traditur consuluisse ad studium theologicum recte ordinandum, id attenta diversitate materiae optimo consilio etiam studio iuris Decretalium applicatur. Quae consilia Maldonati hisce verbis breviter enuntiari possunt: *Audire professorem, repetere, disputare, legere, scribere.* Item vel ipse *Schulte*, *Gesch. d. Quell. u. Lit. d. c. R. t. III. b. p. 323. sq., p. 325.* eundem usum conficiendi proprium quendam commentarium auditoribus praelectionum consulit, quem iam *S. Ignatius*, *Const. P. IV. cap. 6. n. 8. et declar. I. et n. 16. et declar. O. commendaverat (98).*

(97) Duplex illa schola praesertim ex saeculo 16. paulatim videtur fuisse introducta (cfr. *Schulte* l. c. t. III. b. p. 320. 326. sq.), atque in archigymnasio Romano Alexander VII. cathedram Institutionum canonicarum reliquis cathedris Decreti et Decretalium a. 1658. primus adiecit. Quam institutionem Benedictus XIV. 23. Maii 1748. et Leo XII. in eit. *Const. « Quod divina sapientia »* ratam habuerunt. Cfr. *Ios. Carafa*, *De gymnasio Romano et de eius professoribus ab urbe condita (sic!) usque ad haec tempora (i. e. a. 1751.) libri duo.*

(98) Cfr. quoque *Paulsen*, *D. d. Universit. p. 203. sq.*, ubi sepositis suis erroneis principiis non raro de studiis universitariis pariter suggerit complura practica et sana consilia; *Kihn* l. c. p. 67. 91. sq. 512. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. t. II. p. 784., ubi refert reprehensiones a Ioanne XXII. a. 1317. de methodo universitati Parisiensi datas.

V. De praestantia atque necessitate et utilitate scientiae iuris ecclesiastici.

62. Ius Ecclesiae *universalis* imprimis illa singulari instructum est praerogativa, quod sit *lex vera, iusta, sancta* (99). Quodsi constitutiones civitatum et leges humanae a principibus saecularibus conditae non raro supremis principiis veritatis et iustitiae repugnant, *constitutio fundamentalis* Ecclesiae ipsum Deum habet auctorem, et Ecclesia pro sua infallibilitate etiam in ferendis *universalibus legibus disciplinariis* nihil unquam statuit statuetque *fidei* atque *moribus contrarium* (100). Quare leges quoque disciplinares Ecclesiae universalis licet maiori *minorive* gradu *opportunae* esse possint, tamen mirum in modum cum doctrina revelata congruunt, ut nonnisi corollaria ex principiis dogmaticis deducta videantur. Cuius conformitatis cognitio magnam animis ingeret aestimationem et reverentiam legum ecclesiasticarum, quae non solum ad vitae *saucitatem* fideles informant, sed etiam *lunee* subministrant recte iudicandi.

Quantopere leges ecclesiasticae sapientia et prudentia praestent, etiam exinde efficitur, quod non solum a viris catholicis et acatholicis laudentur, sed non paucae ipsarum v. g. de processu civili in ipso foro *saeculari* fuerint receptae (101).

Quodsi iam *cuiilibet fidei* pro conditione sui status aliqua cognitio legum ecclesiasticarum est necessaria, perfectior quaedam cognitio iuris canonici requiritur *in magistratibus* politicis. Quae cognitio huiusmodi magistratibus non tantum convenit propter intrinsecum valorem iuris canonici, quo unicuique viro erudito et praesertim iuristae commendatur, sed nostra aetate tot agitantur quaestiones in foro civili et in comitiis publicis cum iure canonico connexae, ut magistratus civilis vel iurisperitus scientia canonica destitutus iisdem rite solvendis prorsus impar existat. Praeterea si praesente aetate haud raro *a laicis* in foro saeculari *libertas Ecclesiae* est vindicanda, aut de factis historicis a *cultoribus scientiarum historicarum* iudicia sunt proferenda, id fiat necesse

(99) *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 8.

(100) *Mazzella*, De vera relig. et Eccles. n. 814.; *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 472. sq.

(101) *Hinschius* in cit. Encyklop. d. Rechtsw. P. I. p. 182., demptis tamen compluribus falsis assertionibus.

est secundum *genuina principia canonica* ab Ecclesia probata, non secundum conficta quaedam libertatis et iuris simulacra. At imprimis clericis incumbit *necessitas*, quae rectius vocatur obligatio, sibi pro suis gradibus *completam* quandam et *solidam* comparandi cognitionem sacrorum canonum. Nam si magistratus, qui communibus reipublicae muneribus funguntur, ad recte administrandam provinciam sibi commissam legum civilium cognitione instructi sint necesse est, sine dubio sacerdotes, quibus gravissima negotia curae animarum et regiminis ecclesiastici sunt commissa, competenti canonum scientia praediti esse debent. Hinc iam Coelestinus Papa monet: “ *Nulli sacerdotum liceat canones ignorare* „ (102), atque Concilium Toletanum IV. (a. 633.) c. 25. statuit: “ *Sciant sacerdotes scripturas et canones* „. Nostra vero aetate Pius IX. (103) et Leo XIII. et Pius X. gravissimis verbis clero *solidam sacrorum canonum scientiam* commendarunt.

Neque ullum dubium existere potest, quin ex mente Ecclesiae et Rom. Pontificum summopere curandum sit, ut pro diversitate regionum semper existant *aliqui viri selecti*, qui profundioribus studiis in universitatibus litterarum peractis in scientia *etiam* utriusque iuris *vere emineant*.

VI. De bibliographia scientiae iuris ecclesiastici.

63. Quodsi litterarum cognitio in omni scientia est utilissima atque adeo necessaria, maxime ad excitanda et promovenda studia iuris ecclesiastici omnino requiritur, ut, qui scientiae canonicae dediti sunt, litterarum monumenta etiam recentiora plene cognoscant. Qua ratione fiet, ut legum ecclesiasticarum studiosi, quod publicae institutioni deest, eo maiori facilitate et utilitate privato studio supplere possint (104). At ne nimis longus atque inutilis contexatur catalogus librorum, omissis *obsoletis* atque *exiguae utilitatis* scriptoribus ut

(102) Cfr. c. 4. D. 38. (a. 429.); c. 1. (Gelasius a. 494.), c. 2. (Zosimus a. 418.) D. 36.

(103) Pii IX. Encycl. “ *Inter multiplices* „ 21. Mart. 1853. ad Episc. Gall. Leon. XIII. Encycl. v. g. ad Episc. Hungariae 22. August. 1886.

(104) *Zech*, Praecognita iur. can. § 440.; *Kihn* l. c. p. 520. sq.; *Paulsen* l. c. p. 403. sq. Ipso iam medio aevo fuit notissimum adagium: “ *Haurit aquam cribro, qui discere vult sine libro* „; at recte monet *Arndts*, iur. Encykl. p. 83., ut lectio librorum sit rationabilis, moderata, solida et praesertim sese extendat ad insignes monographias.

plurimum soli scriptores *catholici* iique principaliores atque probatae solidaeque doctrinae sunt allegandi. Scriptores quoque *acatholici*, quorum libri aliqua utilitate non carent et saltem placita et opiniones adversariorum insigniorum continent, non sunt omissi.

1. Introductiones.

64. *Epo* († a. 1599.), De iure sacro (vel principiorum iuris pontificii libri III.), Duaci 1588.; *Gibalinus S. I.* († a. 1671.), *Scientia canonica et hieropolitica*, Lugdun. 1670.; *Doujat* (Doviatius) († a. 1688.), *Praenotio. canonicar. libri quinque*, Paris. 1687.; *Plettenberg S. I.* († a. 1693.?), *Introductio ad ius canonic.* Hildesh. 1692.; *Zech S. I.* († a. 1772.), *Praecognita iuris canon.*, Ingolst. 1749.; *Zallinger S. I.* († a. 1813.), *Instit. iur. eccl.*, ubi in ed. Roman. a. 1832. vol. II. habetur liber subsidiarius, qui est isagogicus cum appendice; *Bouix* († a. 1870.), *De principiis iur. can.*, Paris. 1852.; *Cardin. Gousset* († a. 1866.) *Exposition des principes du droit canonique*, Paris 1859.; *Schulte*, D. *Lehre von den Quellen d. k. Kirchenrechts*, Gies-sen 1860.; *Romero P.* *Prodromus ad ius canonic. univ-ersum*, 1907.

2. Fontes.

65. *Corpus iuris canonici*, edit. Roman. 1582., ed. Petr. et Franc. *Pithou*, Paris. 1687., ed. *Boehmer*, Halae 1747., ed. *Frei-leben*, Colon. 1757., ed. *Richter*, Lipsiae 1839., ed. *Friedberg*, Lipsiae 1879.–1881. (105). *Collectiones Conciliorum*, quas curarunt: *Mansi C. M. D.* († a. 1769.). *Sacror. Concilior. nova et ampliss. collect.*, Florent. 1769.–1798.; *Harduin S. I.* († a. 1729.), *Collect. maxim. Concil. general. et provinc.*, Paris. 1715.; *Schneemann S. I.* († a. 1884.), *Act. et decr. Sacr. Concil. recen-tior. Collectio Lacensis*, Friburg. Brig. 1870.–1890. (106) *Decreta-les Romanor. Pontif. ab ann. Christi 67. ad ann. 440.*, Pa-ris. 1721.; *Thiel*, *Epistol. Rom. Pont. (a. S. Hilario usque ad S. Hornisd. a. 461.–523.)*, Brunsbergae 1868.; *Cherubini*, *Bulla*

(105) *Laurin*, *Introductio in corp. iur. can.* p. 221. sq. p. 230. sq.; *Schulte* l. c. t. III. a. p. 69. sq.

(106) *Salmon* († a. 1736.), *Traité de l'étude des conciles et de leurs col-lections*. Paris 1724.; *Hefele* († a. 1893.), *Conciliengesch.* p. 74. sq.; *Schulte* l. c. p. 92. sq.

rium (107) Roman. (108), Rom. 1586.–1617.; *Cocquelines*, Bullar. Rom. 1754.–1758., Mechlin. 1826. sq.; *Barbéri*, Bullarii Rom. continuatio (Clem. XIII. – Gregor. XVI.) Rom. 1835.–1857.; *Tomassetti*, Bullarium (inde a Leone M. usque ad an. 1740.), Aug. Taurin. 1857. sq. Desiderandum esset, ut continuatores vel novi editores Bullariorum severae, sed iustae censurae a *Grisar* (109) contra varias collectiones Decretalium Rom. Pontif. prolatae tandem aliquando rationem haberent. Concil. Trident., cuius edit. a *Richter* et *Schulte* curata praesertim canonistis est utilissima. Thesaurus resolution. S. C. C., Rom. 1718.–1907. (110); Decreta authentica Congreg. s. rit.... (collecta cura *Gardellini* († a. 1826, ?), Romae 1808. sq. 1898. sq. (111); Decreta authentica S. C. Ind. et Rel. 1668.–1882., Ratisbon. 1883. Authenticae collectiones decretorum aliarum Sacr. Cong. non existunt (112).

3. *Historia fontium et bibliographiae canonicae.*

66. *Donjat* l. c.; *Phillips*, Kirchenrecht t. IV.; *Schulte*, Geschichte d. Quellen u. Literatur d. canon. Rechts, Stuttgart 1875.–1880., quem librum post suam defectionem a fide cath. publici iuris fecit ideoque errores non leves eidem inseruit. Idem auctor cum adhuc catholicus esset, breviorum et vere

(107) Cfr. de Bullariis optimam dissertationem, quam in Act. theol. Bonensibus (Theol. Lit. Bl.) a. 1870. p. 503. sq. publicavit *Sentis*; *Ortolan*, in Diet. de Théolog. vol. II. col. 1243. sq.; item *Schulte* l. c. p. 65. sq. omissis assertionibus ad rem non pertinentibus.

(108) Inter Bullaria particularia facile principem locum occupat Bullarium pontificium S. C. de Prop. F., Rom. 1839. sq., cuius nunc nova prodiit editio: lus pontific. de Prop. F., Rom. 1888. sq. Cfr. quoque Collectanea S. C. de Prop. F., Rom. 1893., cuius collectionis nova editio prodiit a. 1907., ubi quamplurima decreta S. O. aliarumque Sacr. Congr. reperiuntur.

(109) *Grisar* in Act. theol. Oenip. t. XII. p. 487. sq.

(110) Cfr. de privatis collect. decisionum huius S. C.: *Scherer* l. c. p. 291.; *Schulte* l. c. p. 76. sq.

(111) *Bouix*, De Curia Rom. p. 355. sq.

(112) Multa documenta ecclesiastica utiliter collegerunt: *Roskoványi*, Episcop. Nitrens. († a. 1892.), Monumenta pro indep. potestatis eccl., Quinque eccl. 1847. sq., Pestin. 1850. sq., Nitriae 1875. sq. Qui auctor alias quoque collectiones publici iuris fecit; sed perfectior quaedam ars critica atque magis circumspecta selectio et editio in eo desideratur. — *Waller*, Fontes iur. ecclesiast. antiqui et hodierni, Bonnac 1861.; *Schneider*, Fontes iur. eccl. noviss., Ratisbon. 1895.

Fontes iuris Ecclesiae orientalis collegit *Cardin. Pitra* († a. 1889.), Iuris ecclesiastici Graecor. historia et monum., Rom. 1864.–1868.

utilem historiam litterariam iuris canonici publicavit in suis *Instit. iur. eccl.* (Lehrbuch d. k. Kirchenrecht §§ 4. sq. ed. sec. Giessen 1868); *Maassen*, Geschichte d. Quellen u. d. Literat. d. can. R. im Abendl. bis zum Ausgang d. Mittelalters, Graz 1870. tom. I. (et ut videtur ultimus) usque ad Pseudo-Isidor.; *Tardif*, Histoire des sources du droit canonique, Paris 1887.; *Laurin*, Introductio in corp. iur. can., Friburg. 1889.; *Hurter S. I.*, Nomenclator, literarius recentioris theolog. cath., Oenipont. 1892.-1895., Theologia catholica medii aevi ab a. 1109.-1563. ibid. 1899., cuius egregii operis nova prodiit edit. locupletior (aetas prima, media, recens) a. 1903.-1911. quinque vol. constans, cui sextus accedere debet; *Schneider Ph.* Die Lehre v. d. K. Rquellen, 1892.

4. *Historia constitutionis et disciplinae Eccl. catholicae.*

67. *Thomassinus Or. Gall.* († a. 1695.), *Vet. et nova Ecclesiae disciplina*, Paris. 1688. (113) (gallice, Lyon 1678.-1679.); *Du Mesnil S. I.* († a. 1727.). *Doctrina et disciplina Ecclesiae*, Colon. 1730.; *Ruprecht S. B. M. V.* († a. 1763.), *Notae historicae univers. iur. can.*, Pragae 1751.-1753.; *Pons S. I.* (a. 1816.), *De antiquitatib. iur. canon. secund. titulos Decretal.*, Spolet. 1807. *Biner S. I.* († a. 1768.), *Apparatus eruditionis ad iurisprudentiam praesertim ecclesiasticam*, Oenipont. 1745.; *Binterim* († a. 1855.). *D. Vorzuegl. Denkwuerd. d. christ.-kath. Kirche*, Mainz 1825.-1841. et *Pelliccia* († a. 1822.), *De christ. Ecclesiae primae, mediae, novissimae politia*, Neap. 1777.; *Card. Hergenroether* († a. 1890.) in sua *historia ecclesiastica* (*Handb. d. allgem. Kirchengesch.*, Freiburg 1876. sq. 1902. sq. ed. *Kirsch*) et *Kath. Kirche u. christl. Staat*, ibid. 1872.; item *Phillips* († a. 1872.) in opere maiore infra citando (*Kirchenrecht*) quaestiones historicas ad ius canonicum spectantes fusius exponunt (114). Inter acatolicos scriptores nostrae aetatis hanc

(113) *De Marca* († a. 1662.), *De concordia sacerdotii et imperii*, Paris. 1641. (in *Indic. relat.*, 7. Apr. 1642.), quod opus denuo ed. et complevit *Baluze* († a. 1718.), Paris. 1663. (in *Indic. rel.* 5. Nov. 1664.); *Dupin* († a. 1719.), *Dissert. hist. de antiq. Eccl. disciplina*, Paris. 1686. (in *Ind. rel.* 22. Ian. 1688.) secundum sua principia gallicana disputant de constitutione et disciplina Ecclesiae.

(114) *Probst*, *Kirchliche Disciplin in d. drei ersten christl. Jahrhunderten*, Tuebingen 1873. Qui liber quamvis theologiae pastoralis proxime sit destinatus, tamen etiam canonistis est utilissimus.

partem historicam iurisprudentiae canonicae magna cum eruditione et diligentia, at non sine multis praeiudicatis opinionibus et assertionibus solida probatione destitutis excoluit *Hinschius*, *System d. k. Kirchenrechts*, Berlin 1869. sq. (115); Cfr. quoque *Card. Segna Franc.* De Ecclesiae Christi constitutione ac regimine, Romae, 1900. una cum suo "Libellus retractationem", Romae, 1905. *Bianchi O. M.* († a. 1758.), Della potestà e della politia della chiesa, Romae 1745.-1751.

5. *Commentarii in fontes.*

68. Praeter antiquos Glossatores (116) scripserunt commentarios:

In Decretum Gratiani: Dartis († a. 1651.), In universum iuris canonici corpus commentarii; *Van Espen* († a. 1728. Iansenista et Gallicanus), Brevis commentarius ad Decretum Gratiani.

In Decretales Gregorii IX.: Gonzalez Tellez († a. 1649.), Commentaria perpetua in singul. textus quinque libror. *Decretal. Greg. IX.*, Lugd. 1673.

In Decretales Bonifacii VIII.: Passerinus O. Pr. († a. 1677.), Commentaria (in libr.) Sext. Decretalium, Rom. 1667.

In Const. Clementis V.: Altesserra (Hauteserre) († a. 1682.), In libros Clementinarum commentarii, Paris. 1680.; *Baldassini* († a. 1761.?), Clementis V. Constitutiones... notis locupletatae, auctae et illustratae, Rom. 1769.

In Concil. Trid.: Barbosa († a. 1649.), Collectanea eorum doctorum, qui in suis operibus Concil. Tridentini loca referentes illorum materiam incidenter tractar., Lugd. 1642.

Insuper consuli possunt: *Barbosa*, Collectanea doctorum tam veterum quam recentiorum in ius pontificium universum (i. e. Decret. Grat. et omnes collect. Decretal. in corp. iur. can.), Lugdun. 1647.; *Wagnereck S. I.* († a. 1664.), Commenta-

(115) Sinistro modo agit de historia iuris ecclesiastici: *Castellari*, Il diritto ecclesiastico nel suo svolgimento storico, Torino 1888. sq. Cfr. Arch. f. k. K. t. 63. p. 281. *Castellari* opus quoad partem iuridicam completur a *Seadulo*, Diritto ecclesiastico vigente in Italia, Napoli 1889. sq., qui desiderio flagrabat etiam in Italiam introducendi leges in Borussia post a. 1870. contra Ecclesiam latas.

(116) Cfr. de Glossatoribus et commentatoribus medii aevi: *Scherer* l. c. p. 254. sq.; *Laurin* l. c. p. 53. sq. 149. sq. 181. sq. 204.; *Zech*, Praecognita iur. can. § 440. sq., ubi § 443. auctoritatem Glossae ad iustos limites restringit; *Schulte* l. c. t. I. et II.

rius exegeticus ss. canonum (i. e. omn. collect. Decretal. in corp. iur. can.), Dilingae 1672.; *Giraldi O. Sch. P.* († a. 1775.), *Expositio iur. pont.*, Rom. 1769. et *Maschat O. Sch. P.* († a. 1747.), *Instit. canonicae*, ed. *Giraldi*, Ferrar. 1760., ubi ad meliorem cognitionem iuris Decretalium et disciplinae vigentis summaria cum aptis notis (117) et utiles elenchi exhibentur.

In Bullarium secundum edit. Angeli Cherubini scripsit *Card. Petra* († a. 1747.), *Commentaria ad Rom. Pontif. Constitutiones*, Rom. 1726.

6. *Scriptores de iure publico ecclesiastico.*

69. *Schmidt S. I.* († a. 1805.), *Instit. iur. eccles.*, Heidelbergae 1871.; *Ditterich* († a. 1811.), *Primae lineae iur. publ. eccles.*, Argentin. 1778.; *Zallinger S. I.* († a. 1813.), *Instit. iur. nat. et eccles. publ. libri 5.*, August. Vind. 1784., *Inst. iur. eccl. publ. et priv. l. I. subsid.*, qui est isagogicus., Aug. V. 1791.; *Salzano O. Pr.* († a. 1890.), *Lezioni di diritto canon. pubblico e priv.*, Napoli 1875. ed. XIII.; *Card. Soglia* († a. 1856.), *Inst. iur. publ. eccles.*, Laureti 1843.; *Card. Tarquini S. I.* († a. 1874.), *Iur. eccl. publ. Instit.*, Rom. 1860.; *Concha*, *Derech. publ. eccles.*, Santiago de Chile 1872.; *Cavagnis*, *Inst. iur. publ. eccl.* Rom. 1888., ubi P. I. p. VIII. sq. alii scriptores hanc materiam tractantes allegantur; *Perez*, *Inst. iur. publ. eccl.*, Tarrae. 1901. *Cappello*, *Inst. Iur. publ. eccl.* Taurini 1907., 1908., ubi etiam de iur. publ. status italici in relat. ad Eccl.

7. *Commentatores iuris Decretalium secundum ordinem legalem.*

70. *Bernard Papiens.* († a. 1213.), *Summa Decretalium* (scripta 1191.–1198.) ed. *Laspeyres*, Ratisbon. 1860.; *Goffredus de Trano* († a. 1245.), *Summa super rubricis Decretalium* (scripta circiter inter 1241.–1243.) ed. *Leonard. a Lege*, Venet. 1570.; *Hostiensis* († a. 1271.), *Summa super titulis Decretalium* (scri-

(117) Similia summaria et paratitla ad faciliorem fontium cognitionem alii quoque scriptores ediderunt, quorum catalogum composuit *Scherer* l. e. p. 123. Cfr. v. g. *Becker* († a. 1791.), *Compend. iur. Decretal. ex ipsis Decretal. collect.*, Monaster. 1772.; *Vallensis* (Delvaux) († a. 1636.), *Paratitla sive summaria et methodica explicatio Decretal. Gregorii P. IX.*, Lovan. 1628.

pta inter 1250.-1261.), Venet. 1574. (118); *Engel O. S. B.* († a. 1674.), Collegium universi iur. canon., Salisburg. 1671.-1674.; *Pirhing S. I.* († a. 1679.), Ius canonic., Diling. 1674.-1678. (119); *Reif- fenstuel O. S. Fr.* († a. 1703.), Ius canonic. univers., Frising. 1700.; *Krimer S. I.* († a. 1703.), Quaestiones canonicae in V. lib. De- cretal., August. 1702.-1709.; *Wiestner S. I.* († a. 1709.), Instit. canonicae sive ius eccl. ad Decretal. etc., Monachii 1705.-1706.; *Schmalzgrueber S. I.* († a. 1735.), Ius ecclesiastic., Ingolst. (1712.-1718.), 1717.-27.; *Schmier O. S. B.* († a. 1728.), Iurispru- dentia canonico-civilis, Salisburg. 1716.; *Leuren. S. I.* († a. 1723.), Forum ecclesiasticum, Mogunt. 1717.-1729.; *Pichler S. I.* († a. 1736.), Summa iurispr. sacr., August. 1723.; *Boeckhn O. S. B.* († a. 1752.), Commentarius in ius canonicum universum, Salisburg. 1735.-1739.; *Maschat* l. c. supra n. 33.; *Zallinger S. I.* († a. 1813.), Instit. iuris eccl. maxime privati ordine De- cretal., August. Vind. 1792.-1793.; *Devoti* († a. 1820.), Ius ca- nonicum universum publicum et privatum, Rom. 1803. 1804. 1815. (120). Quod opus tantum complectitur prolegomena (t. I.) et comment. lib. I. et II. Decretal. (t. II. III.); *De Angelis*, Praelectiones iur. can., Rom. 1877.-1891.; *Grandclande*, Ius canonicum, Paris. 1882. 1883.; *Santi*, Praelect. iur. canon., Ratisbon. 1886., ed. *Leitner* 1898. sq.; *Sebastianelli*, Prael. iur. can., Rom. 1896. sq.; *Lega*, Prael. de iudiciis eccl., Rom. 1896. sq.; *Téphany*, Exposition du droit can., Paris. 1898.

8. Institutiones canonicae.

71. *Lancellottus* († a. 1590.), Institutiones iuris canonici, Perus. 1563.; *Augustinus* († a. 1586.), Epitome iuris pontificii veteris, Tarracon. 1587. et Rom. 1611.; *Canisius* († a. 1610.),

(118) *Schulte* l. c. t. I. p. 175. sq. t. II. p. 88. sq. 123. sq. 477.

(119) Ex saeculo decimo septimo huc referri potest *Fagnanus* († a. 1678.), Commentaria in quinque libros Decretalium, Rom. 1661., qui licet nonnisi selecta capita interpretetur, tamen est scriptor magnae auctoritatis et utili- tatis praesertim ad cognoscendam praxim et disciplinam post Concilium Trid. in Curia Romana probatam.

(120) Ex numero antiquorum illorum scriptorum assumuntur saepis- sime canonistae, quorum doctrina in Curia Romana magni habetur, velut *Gonzalez*, *Barbosa*, *De Luca*, *Fagnanus*, *De Petra*, *Schmalzgrueber*, *Reif- fenstuel*, *Pirhing*, *Givaldi*, *Benedictus XIV.*, *Pignatellus*, *Pitonius*, *Sanehez*, *Coscius*, *Garcias* aliique. Cfr. *Bangen* l. c. p. 171. Quae sit vis et auctoritas communis sententiae canonistarum, optime exponunt: *Benedictus XIV.* in Epist. « *Redditae* » 5. Dec. 1744. § 8.; *Melch. Canus*, De locis theol. l. VIII. cap. 7.; *Zech*, Praecognita i. c. §§ 454. sq.

Summa iur. canon., Ingolst. 1594. (121); *Strein S. I.* († a. 1663.), Summa iuris canon., Colon. 1658.–1659.; *Febeo S. I.* († a. 1705.), Institutionum iuris can. sive primor. totius sac. iurispr. element. libri quat., Rom. 1698.; *Chiavetta S. I.*, Institutiones iur. can., Panorm. 1711.–1713.; *Clericatus* (Chiericato) Congr. Orat., Patav. († a. 1717.), Via lact. s. Inst. iur. can. Venet. 1713. (?); *Zech S. I.* († a. 1772.) inde ab a. 1749.–1766. sex voluminib. sub propriis titulis optimas Institut. canonicas publicavit; *Gagliardi* († a. 1778.), Instit. iur. can. com. et Neapol., Neap. 1766.–1767.); *Devoti* († a. 1820.), Instit. canonicae, Rom. 1758.; *Ferrante* († a. 1803.), Elementa iur. canonic. (ed. ab ips. discipul.), Rom. 1854. 1880.; *Card. Soglia* († a. 1856.), Institut. iur. priv. et publ. eccles., Paris. 1859.; *Ferrari* † a. 1876.), Summa instit. canonicar., Genuae 1847., Paris. 1866.; *Sanguineti S. I.* († a. 1893.), Iuris ecclesiastici (privati) Instit., Rom. 1884. 1890. *Mocchegiani*, Iurisprud. eccl. ad Claras Aquas 1904. sq. Quibus auctoribus Institutionum non pauci alii *in Italia* sunt addendi velut Scavini, Vecchiotti, De Camillis, Nardi, Luise, Cercià, Lombardi, Nasoni, De Luca aliique.

Ex Gallia (122) nostra aetate commemorandi sunt: *R. de M.*, Inst. iur. can. publ. et priv., Paris. 1853.; *Maupied* († a. 1878. ?), Iuris canonici... compendium, Paris. 1861.; *Craisson* († a. 1881.), Manuale totius iur. can., Pictav. (1861.) 1872. 1877.; *Icard.*, *Sulp.* († a. 1893.), Praelect. iur. can., Paris. 1859. 1875.; *Bouix* († a. 1871.), Institutiones iuris canonici in varios tractatus divisae v. g. De princip. iur. can., De Capitulis, Paris.; *Bargilliat*, Praelect. iur. can., Paris. 1895. 1903. sq.; *Duballet*, Cours complet de droit canonique, Paris. 1895. sq.; *Hnguenin*, Expos. method. iur. canon., Paris. 1887.

Ex Belgio: *Brabandère*, Iur. can... compend., Brug. 1881. 1898. sq.

Ex Germania: *Walter* († a. 1879.), Lehrbuch d. Kirchenr. aller chr. Conf. Bonn (1822.) 1825. ed. 14. 1871.; *Phillips* († a. 1872.), Kirchenrecht, Regensb. 1845. sq.; Lehrbuch d. Kirchenr. ibid. 1859.–1862. 1871., Compend. iur. eccl. Ratisbon. 1875.; *Schulte* (ante suam defectionem a fide cath.), System

(121) *Ambitum* Institutionum longe excedit: *Barbosa*, Iuris ecclesiast. universi libri tres, Lugd. 1633.

(122) Ad instar modernorum codicum civilium conscripserunt Institutiones canonicas: *Pillet*, Ius canonicum generale, Paris. 1890.; *Colomiatti*, Codex iuris pontificii, Taurin. 1888. sq.; *Pezzani*, *Deshayes*, qui eandem methodum redigendi ius canonicum in *codicem* secuti sunt.

d. allg. kath. Kirchenrechts, Giessen, 1856., D. Lehre v. d. Quellen d. k. K. ibid. 1860., Lehrb., d. k. K., ibid. 1863. 1868.; *Vering*, Lehrbuch d. kath., orient. u. prot. Kirchenrechts, Freiburg 1874, 1893.; *Phil. Hergenroether*, Lehrbuch d. k. K., Freiburg 1888. 2. ed. Hollweck 1905. (123); *Heiner*, Kath. Kirchenr., Paderborn 1905.; *Laemmer*, Instit. d. k. K., Freiburg 1892.; *Laurentius*, Inst. iur. eccl., Friburg. 1903.; *Prümmer*, Manuale iur. can. Friburgi, 1907. 1909.

Ex Austria-Hungaria: *Aichner*, Compendium iur. eccl., Brixin. 1862. 1900.; *Scherer*, Handbuch des Kirchenrechts, Graz 1885. sq. (incompl.); *Gross*, Lehrb. d. k. K., Wien 1896. 1900.; *Denkò*, Ius ecclesiastic. pecul. resp. habit. ad Hungar., Agriae 1888.; *Haring*, Grundzüge d. k. KR. Graz., 1906. sq. (124).

Ex Polouia: *Slotwinski* († a. 1863.), Instit. iur. eccles., Cracov. 1839. sq.; *Krasicki* (Ep. Wiln. a. 1862. in exil. puls.), Prawo kanoniczne krótko zebrane, Wiln. 1863., *Rittner*, Prawo kościelne katolickie, Leop. 1878.-1879.

Ex Hispania: *De la Fuente*, Disciplinae ecclesiasticae lectiones, Matrit. 1894.; *Manjon*, Derecho eclesiastico, Granada 1884.; *Gomez Salazar* (Episcop. Legion.), Instituciones de derecho canonico, Matrit. 1877.; *López Pelaéz* Estudios canonicos; *Aguilar*, Scientiae iurid. compendium.

Ex America: *Smith*, Compend. iur. canon., Neo-Eboraci 1890. (125); *Villela de Castro-Taveres*, Compendio de direito ecclesiastico, Recife (in Brasil.) 1855.; *Donoso-Silva*, Instituciones de derecho canon., Friburgo, 1909.

9. *Collectiones dissertationum et tractatum.*

72. Tractatus ex universis iuris interpretibus collecti, Lugduni 1549.; Tractatus universi iuris, Venet. 1584.-1585.; *Rocaberti O. Pr.* († a. 1699.), Bibliotheca maxima pontificia, Rom.

(123) *Pro Helvetia* consuli potest: *Winkler*, Lehrbuch d. Kirchenr., Luzern 1862. 1878.

(124) Optimum compendium pro catholicis rituum orientalium praesertim in Austria et Hungaria publici iuris fecit *Papp-Szilágyi*, Enchiridion iuris Ecclesiae orient. eath., Magno-Varadini 1862. 1880. Cfr. *Card. Hergenroether* de hoc libro in Arch. f. k. K. t. 9. p. 160. atque de universo iure Eccl. orient. eathol. l. c. t. 7. 8. 9.; *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 10. VI. 5.

(125) *Zitelli*, Apparatus iuris ecclesiastici, Romae 1886. ex intentione auctoris maxime iis regionibus videtur inservire, quae S. C. de Prop. Fide subsunt.

1695. sq.; *Schmidt S. I.* († a. 1905.), *Thesaur. iur. eccl.*, Heidelberg. 1772.-1779.; *Card. De Luca* († a. 1683.), *Theatrum veritatis et iustitiae*, Rom. 1671. sq.

10. *Repertoria et lexica.*

73. *Barbosa*, *Repertorium iur. civ. et canon.*, Lugd. 1675.; *De appellativa verbor. utr. iur. signific.*, *De diction. etc.* (*Tractatus varii* 1651.); *Begnudelli Basso* († a. 1713.) *Bibliotheca iuris canonico-civilis practica*, Frising. 1712., Mutin. 1757.-1758. *Ferraris O. M.* († a. 1760. ?). *Prompta bibliotheca canonica*, Bonon. 1746. Monte-Cassin. 1844.-1855., Paris. ed. Migne 1852.-1857., Rom. 1883.-1899.; *Alberici de Rosate* († a. 1354.), *Dictionarium iuris tam civilis quam canonici*, Venet. 1573.; *Ioan. Calvini*, *Magnum lexicon iuridicum*, Colon. Allobr. 1725.; *Phitippi Vicat* († a. 1770.), *Vocabularium iuris utriusque*, Neap. 1760.; *Moroni* († a. 1883.), *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica*, Venezia 1840.-1879. Similia lexica existunt etiam in aliis regionibus v. g. *André*, *Cours alphabétique et méthodique du droit canon.*, Paris 1852.-53.; *André*, *Diccionario del derecho canonico*, Madrid 1847.-48.; (*Card. Hergenroether*) *Kaulen*, *Kirchenlexikon*, Freiburg 1882. sq.; *Vacant-Mangenot*, *Dictionn. de Théolog. cathol.* 1903. sq.; *Herbermann etc.*; *The Cath. Encyclop.* 1907. sq.; *Oietti*, *Synopsis rerum moral. et iuris pontificii*, Rom. 1909. sq.

11. *Libri casuistici et practici* (126).

74. *Pichler S. I.*, *Ius canonic. practice explicatum etc.*, Ingolst. (1724.) 1728. 1735. 1746., denuo ed. *Zaccaria*, Pisauri 1758.; *Holzmann O. M.* († a. 1748.), *Ius canonicum... casibus... illustratum*, Campid. 1749. 1762.; *Pignatelli* († a. 1675. ?), *Consultationes canonicae*, Rom. 1675., *Novissimae consultat.* 1711.; *Pitonius* († a. 1729.), *De controversiis patronorum et disceptationes ecclesiasticae*, Romae 1716. 1723.; *Schmalzgr.*, *Consilia seu responsa iuris*, Ingolstad. 1722.; *Prosper Lambertini* sive *Benedictus XIV.* († a. 1758.) *Institutiones ecclesiasticae* (italice Bologn. 1731., latine Rom. 1747.), *Quaestiones canonicae sive*

(126) Inter libros *casuisticos* sane principem locum occupant collectiones eausarum, quae authentice a supremis tribunalibus Ecclesiae scilicet a SS. Congr. Card. vel a S. Rota deeisae sunt.

relat., cum Secretar. S. C. C. esset, ab. ann. 1718.–1728. Cfr. The-saur. resol. S. C. C. vol. 1.–4., Urbin. 1739., Rom. 1740. aut *Bened. XIV.*, Opera omnia, De Synod. dioec. edit. 1. (8. libr.) Rom. 1748., ed. 2. (13. lib.) Rom. 1755., ubi de universa fere praxi et disciplina ecclesiastica cum insigni eruditione historica et canonica disseritur; *Monacelli* († a. 1714.?), Formularium le-gale practicum fori ecclesiastici, Venet. 1706.–1715., Rom. 1844. (127). *Card. Gennari*, Consultazioni morali, canon. liturg. Rom. 1902.–04; Quistioni teologico–moralis, Rom. 1907.; Quistioni canon. Romae 1908.; Quistioni liturg. Rom. 1908. Cfr. *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 10. VIII.

Libris practicis etiam adnumerandae sunt illae lucubra-tiones, quibus colliguntur, ordinantur, explicantur leges a potestate civili de facto per fas et nefas de rebus ecclesiasticis latae (128). Cfr. *Scherer* l. c. § 62.

12. *Folia periodica.*

75. Analecta iuris pontificii, Recueil des dissertations de droit canonique, Romae 1853. sq., Paris 1869.–1890.; eiusdem folii quasi continuatio sunt Analecta eccles. Rom. 1893.–1911., Act. S. Sed., Rom. 1865.–1909.; Archiv f. k. Kirchenr., Innsbruck 1857. sq., Mainz 1861. sq.; Le canoniste contemporain, Paris 1878. sq.; Journal du droit canon. et de la jurisprudence ca-

(127) Alios scriptores practicos et casuisticos recensent *Zech*, Praeog. § 452. et *Scherer* l. c. p. 128., e quibus canonistis quoque utiles sunt *Card. Lugo* (a. 1660.), Responsor. moralium libri sex, Lugdun. 1651. et *Clericalus*, Discordiae forenses, Venet. 1708. sq., Decisiones sacramentales Venet. 1730.

(128) Cfr. v. g. *Lopez Pelaez*, El derecho espanol, Madrid 1902.; *Pellier*, Derecho civil, procesal, penal y administrativo, Zaragoza, 1908. *Grassi*, Manuale della legislazione e giurisprudenza italiana, Firenze 1878. aliosque auctores apud *Cavagnis* l. c. P. 1. p. 16.; *Campion*, Manuel pratique de droit civil ecclesiastique, Paris 1876.; *Cappello*, Inst. iur. publ. ecel.; *Calchi-Novati*, Il diritto ecel. dello Stato Italiano, Milano 1903.; *Geigel*, D. franz. u. reichslaend. Staatskirchenr., Strassburg 1884.; idem auctor etiam singulari praedilectione et non minore diligentia atque acumine scripsit de iure regni Italiae in reb. ecclesiasticis; D. ital. Staatskirchenr., Mainz 1886., de quo longe aliter disserunt duo iuristae liberalium scholae addicti scil. *Schiappoli*, Diritto ecclesiastico vigente in Francia, Torino 1892.–1893. et *Seaduto*, Diritto ecclesiastico vigente in Italia, Firenze 1891., Torino 1894. Cfr. *Friedberg-Ruffini*, Trattato del diritto ecclesiastico cattolico ed evan., Torino 1893. p. 9. sq.; *Milas*, D. Kirchenr. d. morgenlaend. Kirche, Czernovitz 1897.

nonique, Paris 1881. sq.; Nuntius Romanus, Rom. 1882. sq.; Consultore giuridico civile ed ecclesiastico, Firenze 1877. sq. Cfr. Arch. f. k. K. tom. 61. p. 366. sq. Non pauca, quae studio iuris canonici uilia sunt adminicula et subsidia, continentur in foliis periodicis theologiae, iurisprudentiae, historiae ecclesiasticae et profanae v. g. in *Monitore ecclesiastico*; *Nouvelle Revue Théologique*. *Razón y Fe*; *De Religiosis et Missionariis Periodica*.

PARS PRIMA

DE FONTIBUS EXISTENDI IURIS ECCLESIASTICI

SIVE

DE LEGISLATORIBUS ET LEGIBUS

IN ECCLESIA CATHOLICA (1).

Praenotiones.

76. Postquam secundum methodum vere rationalem et apologeticam ex genuinis *fontibus historicis* demonstratum est Ecclesiam catholicam esse infallibilem magistram religionis christianae, eadem sancta Ecclesia nos infallibiliter docet in canone *librorum divinitus inspiratorum* atque in *traditionibus divinis* universam contineri doctrinam a Deo hominibus revelatam. Hinc theologi *post* (2) disputationes apologeticas de Ecclesia recte agunt (3) de sacra scriptura et traditione divina tanquam de duobus *fontibus* vel *principiis* vel *locis scientiae theologicae*.

77. Similiter canonistae circulum vitiosum non committunt (4), si demonstrata in theologia fundamentali ex fontibus *historicis* constitutione divina Ecclesiae catholicae ab eadem Ecclesia catholica, *infallibili magistra* et *rectrice* fidelium baptizatorum, edocentur, quid *ipsa de se doceat* atque *statuat* (5) et ad quosnam fontes sui iuris cultores sacrae iurisprudentiae remittat. Imo huiusmodi procedendi ratio canonistis summopere est propria. Illi enim optimo iure tractatum *apologeticum* de Ecclesia *supponunt* et iam *intra* Ecclesiam versantes non denuo per dubium methodicum Ecclesiam quae-

(1) Cfr. scriptores supra h. tom. I. n. 64. sq. allegatos.

(2) *Bellarmin.*, De controvers. christ. fidei t. I. l. III. cap. 3. (de iudice controvers.); *Kilber* (theol. Wireeb.), De princip. theol. aliique diversum videntur sequi ordinem.

(3) *Pesch*, Praelett. dogm. t. I. n. 560. sq.

(4) *Scherer* l. c. § 21.; *Zallinger* l. c. vol. II. p. 263. sq., ubi recte circulum vitiosum negat; *Palmieri*, De Roman. Pont. p. 238. sq.

(5) Cfr. v. g. Syllab. *Pii IX.* prop. 19. sq.; *Leon. XIII.* Encyclie. eit. v. g. « *Immortale Dei* », « *Sapientiae* »; *Bargilliat*, Prael. iur. ean. n. 19. sq.

runt, sed potius suas disquisitiones canonicas ad instar *partis practicae* tractatus de Ecclesia cum disputationibus theologicis coniungunt.

Ius autem ecclesiasticum cum formaliter sit scientia *legum* de constitutione et regimine atque disciplina Ecclesiae catholicae latarum, non *veritatum* mere *theoreticarum*, primo loco inquirat necesse est in *causas efficientes* (6), sive ut alii dicunt, in principia vel *fontes* existendi (7), unde *leges* in Ecclesia vigentes dimanant. Quae inquisitio canonistis eo magis est necessaria, quod *nova* quidem *dogmata* non iam *condantur*, sed tantum *desuivantur*, *novae* autem *leges* in Ecclesia *condi* possint et de facto *condantur*. Quare imprimis ab Ecclesia catholica descendum est, quatenus sint *verae causas efficientes legum*, quibus Ecclesia ordinatur et regitur. Porro cum causa efficiens legum sit *potestas legifera*, quae in aliquo *subiecto* existit, universa quaestio reducit ad illam, quinam in Ecclesia catholica sint *competentes legislatores*. Nequaquam vero huic rei soli est insistendum, sed disquisitio ad *generalem theoriam* de legibus in Ecclesia constitutis est extendenda (8).

Qua quaestione principali resoluta altera iam est enucleanda, scilicet *ubi* sive quibusnam in monumentis vel promptuariis vel *collectionibus* leges illae a competentibus legislatoribus in Ecclesia catholica latae reperiantur, unde tanquam ex *medio obiectivo* cognoscantur. Quae *collectiones* dicuntur *fontes cognoscendi iuris ecclesiastici*.

78. Quibus *notionibus* praemissis facile iam patet *divisio fontium existendi* iuris ecclesiastici:

I. In fontes iuris *divini* sive naturalis sive positivi et iuris *humani* (9). *Causa efficiens* iuris *divini* est *voluntas Dei legifera* sive necessario pro rerum natura per lumen rationis sive libere per positivam revelationem hominibus manifestata. Inde distinctio iuris *divini* in *naturale* et *positivum* originem ducit. Causae vero efficientes iuris *humani* in Ecclesia sunt omnia *subiecta activa* perfectae iurisdictionis ecclesiasticae, ex quibus diversae appellationes v. g. iuris pontificii vel iuris consuetudinarii ortae sunt.

(6) Suarez, De leg. l. IV. pr. cap. 11. n. 1. l. IX. cap. 2. l. X. cap. 1.

(7) Bouix, De princ. iur. can. p. 137. sq.; Zallinger l. c. vol. II. p. 216. sq.

(8) Suarez l. c. l. IV. cap. 1. sq.

(9) Suarez l. c. l. I. cap. 3.; Bargilliat l. c. n. 2.

II. In fontes *primarios* et *derivatos* (10). Fons primarius omnis iuris etiam in foro ecclesiastico sensu absoluto est *solus Deus*; omnes autem legislatores humani in Ecclesia derivatam habent potestatem legiferam, quae tandem aliquando nititur concessione Christi. At Romanus Pontifex *relative* potest dici fons primarius iuris ecclesiastici. Nam ipse in ordine suo est supremus legislator, qui solus a Deo, non ab ullo Superiore humano accipit potestatem legiferam. Reliqui legislatores ecclesiastici a Romano Pontifice tanquam ex fonte primario et proximo suam *derivant* iurisdictionem ad condendas leges ecclesiasticas (11) ideoque etiam in ordine ad Romanum Pontificem fontibus derivatis sunt adscribendi. Cfr. Pii VI. Const. „*Auctorem fidei* „ 28. Aug. 1794. prop. 6. 8.

III. In fontes iuris *scripti* et *non scripti*, iuris *universalis* et *particularis*, quatenus legislator divinus et humanus in legibus ferendis forma scripta utitur aut ab illa abstinet, vel omnibus suis subditis in toto orbe terrarum vel tantum parti subditorum in certo territorio leges condit. Et revera vel ipse legislator divinus suas leges *positivas* ad populum particularem restringere potest, ut patet ex multis legibus soli populo Israelitico datis.

TITULUS III.

DE DEO LEGISLATORE ET LEGIBUS DIVINIS

(*Lib. I. tit. 1. de sum. Trinit.*)

Praenotiones.

79. Fontes : Deeret. Grat. Dist. 1.-9. (1) — Compil. I. 1. I. tit. 1. de const. (cap. 3. 5.); epl. IV. 1. I. de fide cath. — Deeret. Greg. IX., *Bonif. VIII.*, Constit. *Clem. V.* 1. I. tit. 1. d. s. Trin. etc. — Coneil. Trid. Sess. VI. can. 18.-21., Sess. XXIV. can. 3. de sacram. matrim. — Syllab.

(10) Quae verba non ab omnibus eodem sensu accipiuntur. Cfr. *Scherer* I. c. §§ 4. 21.; *Suarez*, De leg. I. IV. cap. 6. n. 11. sq. Certe fons derivatus iuris non est confundendus cum *lege*, quae ntique tanquam *effectus* productus a causa efficiente potestatis legiferae „ *derivata* „ dici potest, at sensu stricto fons existendi iuris non est.

(11) *Suarez* I. c. I. IV. cap. 4. 5.; *Nilles* in Act. theolog. Oenip. t. I. p. 287. sq.

(1) Cod. Iust. I. 1. de sum. Tr. etc.; Cod. *Theodos. XVI.* 1. de fide catholica, 11. de religione.

Pii IX. prop. 56. sq. prop. 67.; *Leon. XIII.* Encycl. « *Quod apostolici* » 28. Dec. 1878. « *Inmortalis Dei* » 1. Nov. 1885. (Fontes alii, qui potius de professione fidei quam de Deo legislatore et legibus divinis agunt, hoc loco non videntur accurate enumerandi. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. cap. 12., Sess. XXV. de ref. cap. 2.).

Scriptores: Commentatores iur. Decretal. in h. t. et potiss. in proleg. v. g. *Schmalzgrueber* l. e. Dissert. prooem. §§ 2. 3. — Auctores Instit. canon. v. g. *Zech*, Praeognit. §§ 57. sq. §§ 69. sq.; *Devoti*, Instit. canon. proleg. §§ 27. sq.; *Soglia*, Inst. iur. publ. eccl. §§ 14. 20. §§ 39. 40. — Auct. tractat. sing. sive monograph. v. g. *Suarez*, De leg. l. I. II. IX. X.; *Bouix*, De principiis iur. can. p. 8. sq. 18. sq.; *Deville*, Le droit canon. et le droit naturel; Act. theol. Oenip. t. 1. p. 281. sq. 404. sq. t. XI. p. 378. sq.; *Hammerstein*, De Ecclesia et Statu p. 26. sq.

80. Quemadmodum Imperator *Iustinianus* Codicem exorditur a rubrica: « *De summa Trinitate et fide catholica, et ut nemo de ea publice contendere audeat* », ita Gregorius IX. suae compilationis libri I. titulum 1. inscribit: « *De Summa Trinitate et fide catholica* ». Cuius rei sane plures atque aptae possunt reddi rationes (2); at fatendum quoque videtur huius rubricae aptitudinem non raro ab antiquioribus canonistis exaggerari (3). Etenim in omnibus quinque compilationibus antiquis etiam certo authenticis (3. 5.) iste primus titulus non reperitur, nisi excipias compilationem quartam, cui prima rubrica: « *De fide catholica* », est praefixa. Praeterea in his rubricis potissimum habetur imitatio quaedam partim Codicis Theodosiani partim Codicis Iustiniani (4). Denique disputatio de fidei catholicae professione tam parum spectat ad hunc titulum, ut antiquissimi commentatores velut *Goffredus de Trano*, *Hostiensis* aliique sub hac rubrica nihil habeant de fidei catholicae professione. Quare haec materia, quae ex sese potius aliis locis in systemate iuris ecclesiastici est explicanda (5), non nisi extrinseca quadam ratione huic titulo est subiuncta (6). Multo minus canonistarum est mysterium

(2) *Zech*, Praeogn. §§ 57. sq.; *Schmalzgr.* l. e. h. t. pr. Cfr. Regolamento penale Gregoriano artic. 73., ubi delicta contra *Deum* primo loco castigantur, non delicta contra *principem* vel Statum.

(3) *Zallinger* l. e. vol. II. p. 218. sq.

(4) Cod. Theod. XVI. 1. de fide catholica; Cod. (Iustiniani) l. e.

(5) *Wernz*, Ius Decret. tom. III. tit. 1. sq. (de administratione *magisterii* ecclesiastici); *Scherer* l. e. t. II. p. 28. sq.; *Aichner* Compend. iur. eccl. §§ 148. sq.

(6) *Reiffenstuel* l. e. h. t. n. 151. sq. Cfr. quoque recentiora Concilia provincialia, quae non tantum a professione, sed non raro etiam ab expositione fidei catholicae inchoantur.

SS. Trinitatis et articulos fidei catholicae (7) omnium symbolorum et definitionum dogmaticarum vere explicare, nisi quis evidenter provinciam theologis scholasticis propriam occupare velit aut mere compendiarium vel catecheticae suppeditare expositionem (8). Hinc si non littera, sed mens et intentio legislatoris atque connexio materiae attendantur, sub hac rubrica videtur esse agendum *de Deo legislatore et legibus divinis*. Nam ita legislatio etiam canonica *a Deo uno et trino* tanquam a supremo iuris principio proficiscitur atque ex Deo ultimo iuris fonte leges suas repetit (9). Quae agendi ratio si unicuique legislationi vere christianae conformis est, singulari plane modo ab Ecclesia est adoptanda. Neque illud negari potest, antequam in titulis subsequenter de legislatoribus et legibus humanis Ecclesiae disseratur, ex natura rei praemittendam esse disputationem de fundamento divino, quo innituntur. Cum *quid* sit fons existendi iuris divini in Ecclesia, et quatenam sint illius divisiones, satis pateat ex praenotionibus generalibus, illico singulae species fontium iuris divini sunt explicandae.

§ 1. DE DEO LEGISLATORE ET LEGE NATURALI.

81. Cum philosophi atque theologi catholici ex professo probent Deum verae legis naturalis verique iuris naturalis esse auctorem (10), hoc loco unice inquirendum restat, utrum

(7) Verba huius rubricae: « *Et fide catholica* » non denotant *actum vel habitum subiectivum* fidei, sed fidem catholicam *obiective* spectatam i. e. post enuntiatum disertis verbis: « *De Summa Trinitate* » supremum mysterium nostrae religionis, verba sequentia « *et fide eath.* » denotant *collectionem summariam omnium articulorum fidei*, qui in symbolis vel definitionibus ecclesiasticis huius tituli recensentur.

(8) Cfr. v. g. ieiunas expositiones *Goffredi di Trano, Hostiensis*, imo ipsius *Reiffenstuel* aliorumque h. t.

(9) Rom. XIII. 1. *Non est enim potestas, nisi a Deo*; Matth. XXVIII. 18. 19. 20.; Syllab. Pii IX. prop. 39. 56. sq.; Suarez l. c. l. II. cap. 1. sq. l. X. cap. 1.; *Hammerstein* l. c. p. 26. sq.; *Bouix* l. c. p. 3. sq.; *Aichner* l. c. § 1.; *Cathrein*, *Moralphilosophie* t. I. p. 322. sq. 515. sq. Cfr. *Inst. Iustin. proem.*: « *In nomine Domini Nostri Iesu Christi* »; *Digest. pr.*: « *In nomine Domini et Dei Nostri Iesu Christi* »; L. 2. D. de leg. l. 3.: « *Omnis lex inventum et munus Dei est* »; L. 1. C. de vetere iure l. 17.: « *Deo auctore nostrum gubernantes imperium, quod nobis a coelesti maiestate traditum est* ».

(10) *Cathrein*, *Moralphil.* t. I. p. 332. sq. p. 485. sq., *Philosoph. moral.* n. 156. sq. n. 237. sq.; *Ferretti*, *Instit. philosoph. mor.* t. I. n. 100. sq.; *Suarez* l. c. l. I. cap. 3. l. II. cap. 5. sq.; *Schwaizgr.* l. c. *Dissert. proem.* § 2.

Deus ut auctor naturae et veri iuris naturalis *etiam inter fontes iuris canonici* sit recensendus, necne. Cfr. quoque Catech. Rom. P. III. cap. 1. q. 3. 4. 11.

Non defuerunt canonistae etiam catholici, qui unice positivam voluntatem Christi atque potestatem legislativam Ecclesiae tanquam fontem iuris ecclesiastici admitterent, omisso aut etiam disertis verbis reprobato iure naturali ut fonte iuris praesertim canonici (11).

At perperam voluntas Dei legifera nobis per ius naturale manifestata ex numero fontium iuris canonici expungitur (12). Nam *Ecclesia universa* tum docens et regens, tum audiens et obediens vere et proprie *inri naturali* est *subiecta*; v. g. *pacta non sunt violanda; salvus conductus haereticis promissus est servandus*. At complexus legum, cui universa quaedam societas est subiecta, certe fontibus iuris illius societatis est adnumerandus. Porro universum ius positivum etiam canonicum atque divinum omni solido fundamento vel praevia conditione necessaria caret, nisi admittatur ius naturae, quo Deus tanquam auctor naturae suam nobis promulgat voluntatem: *Deo revelanti atque legitima auctoritati praecipienti est obsecrandum*. Huiusmodi voluntas sane a primariis fontibus iuris canonici non est excludenda.

Praeterea non paucae sunt materiae iuri canonico omnino *propriae* velut *iupediuenta* quaedam *matrimonii*, quae directe iure naturae atque nequaquam solis positivis legibus Dei vel Ecclesiae sunt ordinatae (13). Quae res maximi momenti est cum de *dispensatione* super lege agitur; nam leges divinae dispensationi humanae non sunt obnoxiae. Denique supposita et *positive probata* existentia certarum institutionum ecclesiasticarum sanctiones iuris naturalis illico sunt applicandae, et non pauca ex natura rei deducuntur (14); v. g. *Papa dubius*

(11) Cfr. v. g. *Schulte*, D. Lehre v. d. Quell. p. 43. sq.; *Scherer* l. c. p. 9. 10. 129. 130., atque eodem modo de iure naturae non recte philosophatur protestantius canonista *Hinschius* l. c. t. III. p. 769. sq.

(12) Act. theol. Oenip. t. XI. p. 378. sq.; *Schiffini* l. c. n. 158.; *Billot*, De Eecl. Christi t. II. p. 150. sq.

(13) Cap. 11. X. de consuet. I. 4.; Syllab. Pii IX. prop. 67.; Leon. XIII. Eneyel. " *Quod apostolici* " 29. Dec. 1878.

(14) Quam rem *Lugo*, De virt. fid. div. disp. 19. n. 43. innet. *Suarez*, Defens. fid. cath. l. IV. cap. 4. n. 5. ita explieat dicendo v. g. *ius* Ecclesiae praedicandi evangelium sine molestatione principum saecularium *in radice* quidem esse *positivum*, *formaliter* tamen et proxime esse *naturale*. Cfr. quoque Syllab. prop. 32.

est Papa nullus. Ita ex iure naturae sane probari non potest existere in Ecclesia potestatem iudicalem. At postquam illa potestas directe ex fontibus positivis vel per deductionem ex potestate legislativa iam probata solide est demonstrata, illico etiam in foro ecclesiastico *ex natura rei* valent sanctiones iuris naturalis; v. g. *reo accusato legitima defensio non est neganda: reus accusatus est legitime citandus.* Quare v. g. veteres canonistae inquirere solent, utrum citatio rei in iudicio nitatur iure naturali, an tantum humano. Huiusmodi investigationes nullum haberent sensum, nisi ius naturale esset fons iuris canonici. Inde tamen nequaquam sequitur *spurium* quoddam ius naturale a Rousseau (15) aliisque pseudophilosophis confictum inter fontes iuris positivi esse recensendum, Neque ex conficto quodam iure naturali iura Ecclesiae *positiva* concessione Christi data definiri vel potius impugnari possunt (16). Quare optimo consilio in universitate Lovaniensi publice propugnata est thesis: “ *Omnino contradicendum est Hugoni Grotio affirmanti principium, Ecclesiae constitutionem a iure naturae et gentium esse repetendam* „ (17).

Recte igitur scribit Card. Soglia l. c. § 40.: “ *Duo in usu iuris naturalis errores vitandi sunt: alter eorum, qui argumenta iuris uaturalis ab ecclesiastica iurisprudentia ita remouent, ac si utraque disciplina sibi esset aduersa; alter eorum, qui plus aequo rationi tribuunt, dum omnia iudiscriminatum ex naturali iure definiunt* „.

§ 2. DE DEO LEGISLATORE ET LEGE VETERE.

82. Deus *ante* Moysen nequaquam factus est auctor legis cuiusdam *positivae, complexum* praeceptorum divinorum continentis, per quam universum genus humanum vel aliqua hominum congregatio in *unam* rempublicam religiosam coadunarentur (18), ut postea accidit in institutione Synagogae atque Ecclesiae Christi. Imo ne leges quidem speciales eo tempore a Deo positive datae absolute et in perpetuum uni-

(15) *Zallinger* l. c. vol. II. p. 330. sq.; *Cathrein*, *Moralphilos.* t. I. p. 503. sq.

(16) *Suarez*, *De leg.* l. X. cap. 1. 2. praesertim n. 16.; *Act. theol. Onip.* l. c. p. 383 et t. I. p. 281. sq. 399. sq.; *Billot* l. c. p. 150. §

(17) *Henry*, *De residentia benef.* i. f. thes. 3.

(18) *Suarez* l. c. l. IX. cap. 1. iunct. l. IV. cap. 2.; *Franzelin*, *De Eccles. Christi* p. 8. sq.; *Wilmers*, *De relig. revel.* p. 187. sq.

versum genus humanum etiam *post* Christi adventum ligarunt, nisi quatenus nituntur iure naturali et iterum a Christo confirmatae sunt (19) veluti lex in paradiso data de unitate et indissolubilitate matrimonii (20).

83. Deus quamvis in universa lege Mosaica danda usus sit ministerio Angelorum atque Moyse tanquam suo *praecone* et proximo promulgatore, tamen *ipse* eiusdem legis est *principalis* et *proximus auctor* (21). Quare nequaquam cum Salmerone vel potius Laynez teneri potest Deum solius decalogi fuisse immediatum auctorem, legum vero caeremonialium et iudicialium Moysen vi potestatis divinitus acceptae vere fuisse auctorem, non tantum promulgatorem. Imo ne unius quidem praecepti particularis legis Mosaicae proprie dictae (22). Moyses fuit verus auctor, sed in omnibus et singulis praeceptis munus tantum ministri et promulgatoris sustinuit.

84. Universum ius veteris testamenti reducitur ad ius *credendorum* et *ius agendorum* sive ad *dogmata* et *praecepta*. Porro *dogmata* alia veteri testamento *communia* v. g. dogma de unitate Dei, alia ipsi soli sunt *propria* et *particularia* v. g. de exspectatione Messiae, cum dogmata de sacrificio eucharistico vel constitutione Ecclesiae unice spectent ad novum testamentum. Quae dogmata ut veritates revelatae sine dubio ab omnibus et singulis firmissima fide admittantur necesse est. Veruntamen theologia *dogmatica* veteris testamenti non spectat ad canonistas novae legis. Cfr. *Wilmers*, De Christi Eccl. p. 74. sq. 193. sq.

Praecepta vero veteris testamenti reducuntur ad *praecepta moralia*, *caeremonialia*, *iudicialia*. Neque supervacanea est inquisitio, qua ratione triplex illa species legum Mosaicarum etiam nunc *valeat* in Ecclesia Christi fontemque iuris ecclesiastici constituat (23). Et profecto leges *caeremoniales* et *iudi-*

(19) *Suarez* l. c. l. IX. cap. 1. n. 5. sq.; *Zech*, Praecog. §§ 82. sq.; *Wilmers* l. c. p. 191. sq.

(20) *Wernz*, lus. Deeret. t. IV. n. 30.

(21) *Suarez* l. c. cap. 2.: *Wilmers* l. c. p. 176. sq. 688. sq.; *Pesch*, Praelect. dogm. t. V. n. 454. sq.

(22) *Suarez* l. c. l. IV. cap. 2. n. 6. sq. et *Palmieri*, De R. P. p. 207. sq. et *Wilmers*, de Christi Eccl. p. 111. 137. sq. de potestate gubernandi et docendi in Summo Sacerdote veteris testamenti. Cfr. *Laynez*, Disput. Trident. ed *Grisar* t. I. p. 21. sq. 53. sq., ubi *Grisar* solide probat tractatum ab *editore* operibus *Salmeronis* insertum non esse nisi deformatam disputationem *Laynesii*.

(23) *Innocentius III.* in responso dato a. 1198. Archiepiscopo *Armaehano*

ciales veteris testamenti inde a momento mortis Christi, quo velum templi scissum est, cessarunt et *mortuae* sunt, imo paulatim *mortiferae* sunt effectae. Nam omnes illae leges ad Christum futurum erant ordinatae et uni populo Israelitico, non universo generi humano accommodatae et promulgatae.

Leges autem *morales* antiqui testamenti quamvis *in vim promulgationis Mosaicae* non iam ligent, tamen ut leges in ipsa hominis natura fundatae rationisque lumine promulgatae atque a Christo Domino sublatis dispensationibus veteris testamenti datae plenam vim etiam in novo testamento retinent (24). Quare si aliquae leges caeremoniales vel iudiciales inter canones ecclesiasticos receptae sunt, vim obligandi ex *potestate legifera* Ecclesiae, non immediate ex voluntate Dei obtinuerunt ideoque iuri *humano*, non divino nunc adscribendae sunt. Cfr. cap. 1. 3. X. de homic. V. 12.; cap. 1. X. de furt. V. 18.; cap. 1. sq. X. de iniur. V. 36.; cap. 1. 2. X. de adult. V. 16.

§ 3. DE CHRISTO LEGISLATORE ET LEGE NOVA.

85. Christus Dominus, verus Deus et homo, non tantum a Deo hominibus datus fuit ut redemptor, cui fidant, sed etiam ut *legislator, cui obediant*. Cfr. Concil. Trid. Sess. VI. can. 21. (25). Quae veritas a pseudoreformatoribus in dubium

et postea cap. unic. X. de purif. post part. III. 47. debuit declarare mulieres post partum purificationi lege Mosaica praescriptae non esse subiectas. Praeterea propter errores Graecorum tum in Concilio Florentino (a. 1439.-1445.) tum postea in professione fidei Orientalibus ab Urbano VIII. et Bened. XIV. praescripta ex professio doctrina catholica fuit declaranda. Cfr. *Denzinger-Bannwart*. l. c. n. 712. sq. Idem Concil. Trid. Sess. XXIV. d. saeram. matrim. can. 3. contra pseudoreformatores male assertam obligationem legis Mosaicae reprobavit; Benediet. XIV. Const. " *Ex quo* " l. Mart. 1756. §§ 61. sq. fuse exponit Archiep., Episc. aliisque viris eccles. ritus graeci, qua ratione leges veteris testamenti sint abrogatae iunct. *Boeckenhoff*, D. apostolische Speisegesetz; *Pesch* l. c. t. V. n. 536. (de vi *transitoria* et *locali* legis apostolicae de abstinentia ab idolatrytis, sanguine, suffocato). S. C. Inq. 20. Iun. 1866. provocans ad decretum oecumenici Concilii Florentini ritum circumeisionis apud Gallas usitatum denuo proseripsit. Cfr. Collect. S. C. de Prop. F. n. 1663.; *Wilmers*, De relig. revel. p. 493. sq.; *Franzelin* l. c. p. 34. sq.; *Pesch* l. c. n. 489. sq. 506. sq.

(24) *Suarez* l. c. l. X. cap. 2.; *Zech*, Praeogn. iur. can. § 80.; *Pesch* l. c. 511. sq.

(25) *Suarez* l. c. l. X. cap. 1.; *Schmalzgr.* l. c. Dissert. prooem. n. 99. sq.; *Phillips* l. c. t. l. §§ 9. 10.; *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 96. sq. 102. sq.; *Pesch* l. c. V. n. 537. sq.

vocata nostra aetate eo maioris est momenti, cum sit fundamentum alterius veritatis, Ecclesiam Christi vera potestate legislativa esse instructam, qua fideles non tantum doceat et moneat ut praeco, sed veris praeceptis et legibus etiam invitos liget.

Et revera Christus Dominus in scripturis verus perfectusque dicitur *rex spiritualis* (26); at verus et perfectus rex est necessario verus legislator. Porro qui absolute *supremus* est *index*, is etiam verus et supremus est legislator; sed Christus Iesus est absolute supremus iudex, qui etiam condonare potest; ergo etiam verus est legislator (27). Denique Christus, qui suis miraculis et prophetiis verum infallibilemque legatum divinum luculenter sese probaverat, etiam de facto usus est potestate legislativa (28); ergo revera illam potestatem habet, cum legatus divinus et infallibilis iura sibi concessa eorumque limites ignorare non possit.

86. Imo Christus Dominus non solum fuit verus legislator sive *auctor* vel conditor *legis*, sed etiam suam legem nequamquam tantum per angelos vel praecones humanos promulgavit, sed proprio ore *personaliter* et *per se* suae legis pro omnibus hominibus omnium temporum et locorum datae exstitit verus et primus *promulgator* (29). Nihilominus ipse Christus omnibus hominibus legem a se latam et promulgatam non annuntiavit. Nam personalis illius legatio quasi a latere Patris aeterni ad *solum territorium et populum Israeliticum* fuit limitata; quare Apostolos suos legem a se conditam omni creaturae praedicare iussit.

Quin imo neque ab Apostolis omnia et singula praecepta legis novae ipsius Christi ore accepta fuerunt, sed alia ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante primum visibiliter et sufficienter et vere promulgata sunt. Quo discrimine primi visibilis promulgatoris in legem novam non inducitur diversitas auctoritatis (universa enim lex nova est manetque divina), sed distinctio quaedam *accidentalis* oritur, unde repetendum

(26) Psalm. 2. v. 6.; Luc. 30. sq.; Ioann. XVIII. 33. sq.

(27) Iacob. IV. 12.

(28) Matth. V. 1. sq. (sermo in monte) XXVIII. 18. 19. 20. * *Data est mihi om. potestas.... euntes ergo* *; Luc. XXII. 19. * *Hoc facite in meam com.* *; Ioann. III. 3. * *Nisi quis reuatus* * VI. 54. * *Nisi manducaveritis carn.* * XIII. 34. * *Mandatum nov. do vob.* * XX. 23. * *Quorum remisistis peccata* *; I. Corinth. VII. 10. 12. * *Praecipio non ego, sed Dom.* *

(29) Suarez l. c. I. X. cap. 8. n. 11.; Pesch l. c. n. 542. sq.

est fundamentum divisionis traditionum in traditiones *dominicas* et traditiones *divino-apostolicas* (30).

87. Lex nova imprimis constat *lege fidei*, qua Christus plura mysteria supernaturalia quam in vetere testamento hominibus credenda proposuit. Accedunt leges *morales* (31). At quamvis Christus moralia praecepta, quae nituntur iure naturali, etiam positiva sua confirmatione munierit, tamen iisdem moralibus praeceptis legis naturalis nova praecepta moralia positiva non addidit (32), sed abrogatis dispensationibus veteris testamenti de pluralitate uxorum et libello repudii legem moralem in suo regno ad perfectam puritatem reduxit. Porro leges *caeremoniales* in nova lege a Christo datae sunt solummodo de substantia sacrificii et sacramentorum (33).

Denique Christus Dominus cum regnum vel iudicium temporale sibi non assumpserit, neque rempublicam temporalem, sed unice *Ecclesiam* tanquam regnum spirituale fundarit, etiam in nova lege divina leges *iudiciales* proprie dictas non condidit. Cfr. *Bellarmin.* De Roman. Pontif. l. V. cap. 4.; *Pesch*, Praelect. dogm. t. IV. n. 559. sq. 566. sq.

Quodsi ultra legem naturalem et caeremonialem ad promotionem disciplinae, cultus divini, ordinis et regiminis ecclesiastici aliae ordinationes sint necessariae, Christus Ecclesiae sapienter providit per amplissimam iurisdictionem imprimis Vicario suo in terris concessam (34).

(30) Conc. Trid. Sess. IV. decret. de canon. script.; *Franzelin*, De div. tradit. p. 13.

(31) *Suarez* l. c. cap. 2.; *Schmalzgr.* l. c. n. 105. sq.; *Zallinger* l. c. vol. II. p. 262. sq.; *Pesch*, Praelect. dogm. t. V. n. 550. sq.; *Schiffini* l. c. n. 373. not. 1.

(32) At Christus in materia morali diversa addidit *consilia*. Cfr. *Schmalzgrueber* l. c. n. 106.

(33) In his legibus caeremonialibus *iuslolutio*, *obligatio*, *inilium* et *causa* obligationis sedulo sunt distinguenda. Cfr. *Suarez* l. c. cap. 2. n. 16. 17. cap. 4. n. 4.

(34) *Suarez* l. c. cap. 2. n. 2.; *Schmalzgr.* l. c. n. 100.; *Billoi*, De Eccles. Chr. t. II. p. 122. sq. 148. sq.

TITULUS IV.

DE LEGIBUS ECCLESIAE CATHOLICAE

(*Lib. 1. tit. 2. de constit.*) (1).

Praenotiones.

88. Fontes: Decret. Grat. Dist. 1.-21. 29. 38. 96. — Compil. I. II. III. V, l. 1. tit. 1. de const. — Decretal. Greg. IX. et Bonif. VIII. l. 1. tit. 2. de const. — Cone. Trid. Sess. XXV. cap. 2. 18. de ref. — Decretal. Clem. VIII. ed. cit. p. 2. sq. — Const. Pii X. « *Promulgandi* » 3. Kal. Oct. 1908.

Scriptores: Comm. iur. Decretal. in h. t. — *Zech*, Praecog. §§ 97. sq.; *Ferrari*, Summa inst. can. l. 1. tit. 4. de legib. ecclesiast.; *Scherer* l. c. t. I. §§ 4. 21. sq.; *Bargilliat* l. c. n. 54. sq.; *Suarez*, De legib. l. IV.; *Schulte*, D. Lehre v. d. Quellen d. k. Kirchenr.; *Haring I.* Der Rechts. u. Gesetzesbegriff in d. Kath. Ethik u. mod. Jurisprudenz, 1890. — *Hiuschius* l. c. t. III. p. 668. sq. pro suis principiis protestanticis disserit de historia et disciplina vigente legislationis ecclesiasticae. — Utiliter consuluntur disputationes iuristarum (2) et philosophorum et theologorum catholicorum de legib. hum. universim spectatis atque speciatim de legibus civilibus. Cfr. *Suarez* l. c. I. l. et III.; *Cavagnis* l. c. P. I. p. 60. sq.; *Cathrein*, Moralphilosophie t. I. p. 332. sq. 406. sq. 533. sq.; *Schiffini*, Disp. phil. mor. n. 104. sq.; *Ballerini-Palmieri*, Opus theolog. t. I. p. 258. sq.; *D'Auubale*, Summula theol. mor. P. I. n. 160. sq. 198. sq.

89. I. Connexio materiae. Explicato primario fonte universi iuris ecclesiastici, qui est Deus legislator ut auctor iuris divini in Ecclesia, recensendi sunt *fontes* iuris *humani* in Ecclesia catholica constituti. Qua in re, ut ordini consulatur, praemittendus videtur titulus de legibus vel canonibus Ecclesiae catholicae. Is enim sese habet ad alios titulos sequentes tanquam pars *generalis* de legislatoribus et legibus ecclesiasticis universim spectatis (3). Denique ante consuetudinem et ius non scriptum de legibus *scripto* et expressis verbis a legislatore datis est disputandum (4).

(1) Instit. l. 1. de iust. et iur., 2. de iur. nat. gent. civ.; Dig. l. 1. de iust. et iur., 2. de orig. iur., 3. de leg. senatusq. cons., 4. de constit. principum; Cod. l. 14. de leg. et const. princip. et edict., 15 de mandatis princ., 16. de senatuscons., 17. de vetere iur. enuel. et de auct. iur. prudentium; Novell. 66. ut novae const. post al. duos menses, quam insinuae fuerint, valeant; cod. civ. Ital. art. 1. sq.

(2) *Aecarias*, Précis de droit romain, t. I. n. 8. sq.; *Arudts-Serafini*, Lehrb. d. Pandekt. §§ 2. sq.; *Vering*, Geschichte u. Pand. §§ 4. sq.

(3) *Zech* l. c. § 97.

(4) *Pirhing*, *Reiffestuel*, *Schmalzgr.* h. t.; *Pirhing* h. t. prooem.

II. **Definitio.** Lex in genere, cum sit ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui communitatis perfectae curam (cum auctoritate publica) habet promulgata (S. Thomas), sive commune praeceptum iustum ac stabile sufficienter promulgatum (Suarez) (5), facile patet, quid sit canon sive lex ecclesiastica (6) sel. ordinatio rationis ad bonum *commune* ab eo, qui *communitatis* ecclesiasticae curam habet *promulgata*. Qua definitione facile patet *discrimen*, quod intercedit inter veram legem ecclesiasticam atque inter merum *consilium* vel *praeceptum* Superioris ecclesiastici (7). Similiter *leges* ecclesiasticae, quae tantum condi possunt a vero Superiore ecclesiastico i. e. persona physica vel morali perfecta *iurisdictione* spirituali instructa, distinguuntur a statutis *conventione* sociorum aut vi alicuius potestatis *dominativae*, non *iurisdictionis* spiritualis datis. Quare solutio quaestionis, utrum persona vel corporatio vel congregatio quaedam ecclesiastica veras leges ecclesiasticas condere possit, necne, ab illa quaestione praeiudiciali pendet, num praedita sit illa perfecta sive completa *iurisdictione* spirituali, quae etiam potestatem *legiferam* comprehendat. Qua norma rite applicata haud difficulter iustum verumque iudicium proferri poterit de moderna illa triplici divisione “ *fontium derivatorum* „ in consuetudinem, legislationem, autonomiam (8).

III. **Divisio.** Leges ecclesiasticae dividuntur:

a) Ratione *subiecti* in leges *Romanorum Pontificum, Conciliorum, Legatorum, Episcoporum* etc.;

b) Ratione *obiecti* in leges *affirmativas* et *negativas*;

c) Ratione *formae* in *scriptas* et *non scriptas*;

d) Ratione *effectus* in *praescribentes, prohibentes, permit- tentes, poenales, irritantes, odiosas, favorabiles* (9);

(5) Suarez De leg. l. I. cap. 12. 1. sq.

(6) Bened. XIV., De Synod. dioece. l. I. cap. 3.; Scherer l. c. t. I. p. 111.; Hinschius l. c. t. III. p. 781. Legi quoque ecclesiasticae qualitates convenient necesse est, quae omni legi positivae et humanae essentiales sunt. Cfr. Suarez l. c. l. I. cap. 5. sq. 9. sq.; Callrein l. c. t. I. p. 332. sq. At universam istam materiam de *legibus humanis in genere*, utpote a canonicis supponendam, non fuisse explicandam, philosophis et theologis relinquimus.

(7) L. 1. 8. D. de leg. l. 3.; Suarez, De leg. l. I. cap. 6. n. 1. sq. 16. sq. cap. 7. n. 1. sq. 6. sq. cap. 8. n. 1. sq. 8. sq.; Reiffesstuel h. t. n. 43. sq.; De Angelis h. t. n. 1.; Lehmkuhl, Theolog. mor. t. I. n. 72.; D'Annibale l. c. n. 248. sq.

(8) Suarez l. c. l. I. cap. 7. 8.; Scherer l. c. §§ 4. 21.; Ballerini-Palmieri l. c. t. I. p. 259. sq.

(9) Suarez l. c. l. I. cap. 13. sq.

e) Ratione *ambitus* in *territoriales* et *personales*, in *universales* et *particulares*, in *generales* et *singulares* et *speciales*:

f) Ratione *sanctionis* in *imperfectas*, *perfectas*, *minus quam perfectas*, *plus quam perfectas*.

IV. **Notae historicae.** Cum de legibus ecclesiasticis sit agendum, vel ipsa ratio temporis exigit, ut nequaquam primo loco tractetur de *consuetudine*. Nam ut in iure divino novi testamenti ius disertis et expressis verbis a Christo Domino datum et deinde traditione transmissum *tempore* prius est quam ius divinum scriptum in sacris libris (10), ita etiam ius humanum *expressis verbis* ab Apostolis constitutum *tempore* omnino praecedit vero iuri *consuetudinario*. Nam dubium existere non potest, quin Apostoli statim ab initio religionis christianae veras et expressas leges etiam ex parte scriptas tulerint, neque primis temporibus universam disciplinam ecclesiasticam mera quadam consuetudine atque observantia fundatam esse solide demonstratur (11).

Recentiores Protestantes autem textus *sacrae scripturae*, quibus catholici iam pro aetate apostolica potestatem legislativam probant, *silentio* premunt, aut *inefficacibus* argumentis impugnant, aut ex evolutione *historica* pro suo arbitrio sibi fingunt constitutionem quandam Ecclesiae primorum saeculorum. Ita v. g. *Hinschius* l. c. l. III. p. 668., eique accensendi sunt Harnack, Hatch, Sohm, Koestlin, Ritschl. Cfr. *Haumerstein* l. c. p. 33. sq. 64.; *Pesch*, Praelect. dogm. t. I. n. 310.

§ 1. DE POTESTATE LEGISLATIVA ECCLESIAE CATHOLICAE.

90. Christus Dominus supremus et perfectus legislator novi testamenti (12) etiam Ecclesiam suam (13) vera atque proprietate, spiritali et supernaturali potestate legislativa instru-

(10) *Franzelin* l. c. p. 221. sq.; *Devoti*, Ius canonic. univer. t. I. cap. 13. 16.; *Pesch*, Prael. dogm. t. V. n. 555. sq.

(11) *Phillips* l. c. t. IV. p. 3. sq. aliique nimis urgent *consuetudine* prima Ecclesiae aetate nec a *traditione* satis distinguunt.

(12) Cfr. supra h. tom. tit. III. § 3.

(13) Cfr. de erroribus contra hanc doctrinam catholicam *de fide* tenendam: *Suarez* l. c. l. IV. cap. 1. n. 1. 2. 9. 10. 11.; *Tarquini* l. c. p. 86. sq.; *Vering*, Lehrb. d. k. K. §§ 67. 68. 69.; *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 38. sq. innet. p. 1. sq. 13. sq. 96. sq. 109. sq.; *Billot*, De Eccles. Christ. t. II. p. 122. sq.

xit (14). Ipse enim Ecclesiam suam ita fundavit, ut esset verum quoddam regnum (15) spirituale et supernaturale; sed perfecta gubernatio communitatis vel regni fieri non potest, nisi per leges. Hinc Ecclesiae, cui Christus pro sua sapientia sane sufficienter providit, potestas legislativa fini et mediis proportionata est concessa (16). Praeterea sicut Christus missus est a Patre, ita ipse misit Apostolos (17). At divinus salvator non tantum fuit doctor, sed verus legislator; ergo etiam cum Apostolis potestatem legislativam communicavit. Et revera potestas legislativa in hoc consistit, quod quis obligatorio modo ea statuere possit, quae ad societatis finem assequendum sunt necessaria; sive aliis verbis potestas legislativa est potestas directiva et coactiva de se perpetua super aliquam communitatem perfectam. Iam vero Christus Dominus verbis illis: “ *Pasce oves* „ etc. (Ioan. XXI. 15. 16. 17.) promissum primatum iurisdictionis (Matth. XVI. 19.) S. Petro commisit atque Apostolis potestatem ligandi et solvendi absolute et indeterminatae promissam (Matth. XVIII. 18.) pariter suo tempore concessit (Matth. XXVIII. 19.). Quibus verbis veram potestatem legislativam comprehensam esse manifestum est, nisi quis ex praeiudicatis opinionibus textus illos explicare velit.

Porro Apostoli, qui a Christo *infallibiles magistri* religionis christianae constituti fuerunt, mox post promulgatam legem evangelicam in Concilia congregati potestate legislativa usi sunt per promulgationem authenticae interpretationis legis divinae atque verae legis disciplinaris. Cfr. Act. Apost. IV. 21. sq. Neque alia desunt exempla, quibus Apostoli potestatem legiferam exercuerunt v. g. de bigamis non ordinandis, de neophytis non promovendis. Cfr. I. Timoth. III. 2. 6. Quare potestas legislativa a Christo fuit vere concessa; secus Apostoli in gravissima quaestione de ambitu potestatis sibi datae turpiter errassent (18).

Quibus rationibus non solum definitiones dogmaticae et

(14) *Suarez* l. c. n. 3. sq. 7. 8.; *Devoti* l. c. cap. 2. 8. 11.; *Wilmers* l. c. p. 96. sq.

(15) *Palmieri*, De R. Pont. p. 25. sq.

(16) Dist. 15. 96.; cap. 3. 7. 10. X. h. t.; cap. 6. X. de maior. et ob. l. 33.

(17) Ioann. XX. 21.

(18) *Boeckenhoff*, D. apostol. Speisegesetz; *Pesch* l. c. t. V. n. 536.

constans traditio Ecclesiae catholicae (19), sed ipse quoque consensus Ecclesiae orientalis schismaticae (20) accedunt.

Corollarium. Ergo Christus Dominus Ecclesiae suae dedit potestatem legiferam a potestate civili plane distinctam et independentem (21).

§ 2. DE SUBJECTO ACTIVO POTESTATIS LEGISLATIVAE
IN ECCLESIA CATHOLICA
SIVE DE LEGISLATORIBUS ECCLESIASTICIS.

91. *Legislatores singulares*, qui ius *universale* constituunt in Ecclesia sunt:

I. *S. Petrus* eiusque in Sede Romana legitimi successores i. e. *Romani Pontifices* (22). Quae potestas legislativa ipsis immediate et singulari modo a Christo est concessa atque a consensu Synodi etiam oecumenicae vel collegii Cardinalium est omnino independens. Quinimo Romanus Pontifex vel ipsum consilium Cardinalium in legibus ecclesiasticis ferendis non ex stricta iuris necessitate, sed ex sola prudentia et aequitate ordinarie postulat.

II. *Apostoli* quoque etiam ut personae *singulares extraordinarie* tanquam Legati a latere Christi *immediate* a divino fundatore Ecclesiae potestatem *quandam* universalem condendi leges in tota Ecclesia obtinuerant, attamen *extensione* et *intensitate minore* potestate legifera S. Petri eique omnino *subordinatam*.

Nam Christus Dominus omnibus Apostolis immediate contulit dignitatem et *munus Apostolatus*, ut praedicarent evangelium in *universo mundo*, fundarent et ordinarent ecclesias atque praeciperent omnia, quae essent necessaria; sed ad exercendum huiusmodi munus Apostolatus potestas *legifera* ipsis fuit omnino necessaria, non tantum *collective* sive per

(19) Cone. Trid. Sess. VII. can. 8.; Cone. Vatie. Sess. IV. cap. 3.; *Peltavius*, De eel. hierarchia l. III. cap. 9. sq.; *Pesch*, Praeleet. dogm. t. I. n. 272. sq. 296.

(20) *Vering* l. e.; *Milas*, D. Kirehenr. d. m. K. 42. sq.

(21) Syllab. *Pii IX.* prop. 19. 20. 41. 42; Cone. Vatie. l. e. Cfr. infra § 4. h. tit. de placito regio; *Wilmers* l. e. p. 112. sq. 133. sq.

(22) Dist. 19. 20.; cap. 3. X. h. t.; cap. 1. h. t. in Sext.; cap. 1. de maior. ed obed. l. 8. in Extrav. eom.; Syllab. prop. 23. 34.; Cone. Vatie. l. e. cap. 1. sq.; *Suarez* l. e. l. IV. cap. 3.; *Devoti*, lus can. univers. t. I. cap. 3. 5.; *Phillips* l. e. t. I. §§ 11. sq. 21. t. III. § 152.; *Schmalzgr.* h. t. n. 8. 9.; *Cavagnis* l. e. P. I. p. 424. sq.; *Pesch* l. e. n. 285. sq.

modum *collegii*, sed etiam *divisim* sive *personaliter*. Nam Apostoli *vi sui muneris* separandi erant et dispergendi per totum orbem; ergo etiam necessarium fuit, ut *singuli* irent cum potestate legifera ad fundandas et ordinandas ecclesias (23). At singulis Apostolis ex solo munere Apostolatus tanta potestas non est data, " *ut possent singuli universalem Ecclesiae ordinem praescribere aut leges condere, quae totam obligarent: namque si hoc possent singuli, magna confusio oriretur* „ (24).

III. Multo minus post aetatem apostolicam praeter successores S. Petri in Ecclesia ulla persona *singularis* unquam habuit aut habere potuit potestatem legiferam *absolute universalem*. Quare si lex inferioris cuiusdam legislatoris ecclesiastici v. g. Patriarchae etiam *oecumenici* in Ecclesia orientali, qui sibi *relativam*, non *absolutam* universalitatem vindicare poterant, vel Legati in universa Ecclesia obligaret, id inde effectum esset, quod Romanus Pontifex aut Concilium oecumenicum illam legem in forma *specifica* tacite vel expresse confirmasset et in universam *extendisset* Ecclesiam. Id, quod

(23) Ioann. XX. 21.; Marc. XVI. 15. sq.; Matth. XXVIII. 18. sq.; Galat. I. 1.; Suarez, De leg. I. IV. cap. 3. n. 4.-9., De fide disp. 10. sect. 1. n. 1. 3. 4. 11. 12. 25. 28.; *Devoti* I. c. cap. 4. 6.; *Phillips* I. c. t. I. §§ 18. 19.; *Palmieri* I. c. p. 307. sq. 194. sq.; *Cavagnis*, I. c. p. 426. sq.; *Wilners*, De Christi Eccl. p. 40. sq. 115. sq. 239. sq. 285. sq.; *Peseh* I. c. n. 435. sq. 272. sq.; aliter atque Suarez et Bellarminus de potestate Apostolorum disserit: *Billot* I. c. t. II. p. 72. sq.

(24) Suarez, De fide disp. 10. sect. 1. n. 25., De leg. I. IV. cap. 3. n. 9., ubi tamen verba: " *Licet singuli Apostoli haberent potestatem ad ferendas leges obligantes universalem Ecclesiam* „, ex contextu et munere Apostolatus accipiunt magis restrictivam interpretationem de iis provinciis, in quibus praedicabant, ita ut postea non nisi consentiente Petro ad totam Ecclesiam dimanarent; *Cavagnis*, I. c. p. 426.; *Lugo*, De sacram. eucharist. disp. XIV. sect. 4. n. 74.; " *Si non Christi, sed Pauli praeceptum fuisset* (i. e. praemittendi confessionem communioni), *non satis apparet, quomodo ex illo obligatio universalis potuisset colligi, cum Paulus praeceptum illud ad solos Corinthios dirigeret, quos solos deberet obligare, non alios, ad quos nec Paulus scripsit nec legitime transmisit illud praeceptum. Omitto autem, quod licet Paulus apostolicam auctoritatem et potestatem haberet atque ideo in **singulis provinciis** posset praedicare, absolvere, excommunicare, Episcopos constituere et similia, non est tamen certum, quod posset universalem Ecclesiae ordinem praescribere aut leges condere, quae possent totam Ecclesiam obligare, imo id de Apostolis omnibus praeter unum Petrum negat Suarez disp. 10. de fide sect. 1. n. 25. Unde praeceptum illud Pauli non induceret obligationem in universa Ecclesia „. Cfr. de particularibus legibus Apostolorum: Suarez, De leg. I. IV. cap. 3. n. 6. 9.; *Boeckenhoff* I. c.; *Hefele* I. c. t. I. p. 89. 93. sq. 320. sq. (de celebrando festo paschatis).*

multo magis valet de lege ab aliquo principe civili in causis ecclesiasticis lata. Cfr. Friderici II. Imper. Romanor. const. 22. Nov. 1220., quae ab Honorio III. eodem die confirmata est, in compil. V. cap. 2. de const. I. 1. et cap. unic. de haeret. V. 4.

92. *Personae morales* sive congregationes, quibus potestas condendi leges *universales* competit, sunt:

I. *Collegium Apostolorum* S. Petro coadunatum et subordinatum. Cfr. Act. Apost. XV. 6. sq.; *Suarez*, De leg. lib. IV. cap. 3. n. 6.; *Devoti*, l. c. t. I. cap. 4. 6.; *Phillips* l. c. t. I. §§ 18. 19.; *Palnieri*, De R. P. p. 314. sq.; *Cavagnis* l. c. P. I. p. 427. 437.

II. *Concilia oecumenica* legitime convocata et celebrata et a Romano Pontifice confirmata. Cfr. cap. 4. X. de elect. l. 6.; Conc. Trid. Sess. XXV. cap. 21. de ref.; *Suarez* l. c. l. IV. cap. 6.; De fide disp. 11.; *Devoti* l. c. t. I. cap. 6. § 11.; *Phillips* l. c. t. II. §§ 83. 85. At *Hinschius* l. c. t. III. p. 764. sq. vera et falsa miscet et praesertim non attendit Concilium oecumenicum et Romanum Pontificem etiam post Concilii Vaticani definitionem esse *duplex subiectum* supremae potestatis ecclesiasticae, *non adaequate, sed inadaequate* distinctum. Quae inadaequata distinctio sane illud efficit, ut nequaquam dici possit *unicum* esse subiectum supremae potestatis tum in Concilio oecumenico tum extra illud. Cfr. quoque *Nilles* in Act. theol. Oenip. t. I. p. 287. sq.; *Pesch* l. c. t. I, n. 459.

III. *Aliae congregationes* in Ecclesia vera et absoluta potestate legislativa in universam Ecclesiam carent, et si quae unquam conderent vel condidissent decreta, illa vim legum universalium non haberent, nisi aut praecederet aut sequeretur *confirmatio specialis* supremae auctoritatis ecclesiasticae cum extensione ad universam Ecclesiam.

Quare vel ipsum *collegium Cardinalium* tempore Sedis Apostolicae vacantis leges universales condere non valet, cum nihil potestatis vel iurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis, nisi quatenus in Const. Gregorii X. (cap. 3. de elect. l. 6. in Sext.) permittitur, licite et valide exercere possit. Cfr. cap. 2. de elect. l. 3. in Clem.; *Suarez* l. c. l. IV. cap. 6. n. 5. 6. 7.; *Scherer* l. c. t. I. p. 145.

Similiter vel ipsum *Concilium oecumenicum sine Papa* v. g. tempore schismatis occidentalis leges universales et perpetuas in Ecclesia ferre nequit. Cfr. *Suarez* l. c. n. 34.

Item *Congregationibus Romanis absoluta* potestas legifera vere *universalis* pro *supremo* gradu et in *omnibus* materiis de facto non est concessa neque de iure delegari potest. Recte

enim scribit Suarez l. c. l. IV. cap. 6. n. 1. 22. " *At vero quoad absolutam legislationem, per quam lex accipiat vim obligandi totam Ecclesiam absque speciali approbatione R. Pontificis, non videtur posse tatis potestas delegari, imo nec ulli alteri committi: ratio est, quia leges canonicae obligantes totam Ecclesiam proficisci debent a potestate, quae in rebus ad mores pertinentibus errare non possit: haec autem potestas, cum pendeat a speciali directione Spiritus Sancti Pontifici promissa, delegabilis non est, sicut nec potestas definiendi, ut ex propria materia suppono, et ideo nec potestas legislativa pro tota Ecclesia est illo modo delegabilis vel certe saltem non est illo modo deleganda, ne tota Ecclesia periculo alicuius erroris in re tam gravi exponatur.* „ Hinc sicuti generalibus decretis doctrinalibus v. g. S. Congr. Inq. submitto debetur, at non eadem, quae sive Concilii oecumenici sive. R. Pontificis definitionibus infallibilibus, sed inferior et earum auctoritati congrua, ita etiam generalia decreta *disciplinaria* quarundam Congregationum v. g. Indicis vel Concilii, si prodeunt absque confirmatione R. Pontificis data in forma *specifica* vel ad summum in forma *communi*, imo forte *absque* ulla confirmatione pontificia ex mera auctoritate *propria* v. g. S. R. C., profecto canonibus et decretis generalibus R. Pontificis vel Concilii oecumenici tanquam *tertia* quaedam species *aequiparari* vel *coordinari* nequeunt, licet etiam ipsis *obedientia* earum auctoritati congrua debeatur. Quibus in decretis condendis SS. CC. maxime attendant necesse est limites mandati sui, v. g. num apposita fuerit clausula: " *Nobis consultis* „ vel non (25). At *consultatio* R. Pontificis in forma *communi* ex sese decretum

(25) Cfr. const. " *Sapienti consilio* „ ubi generatim statuitur: " *in omnibus autem et singulis, superius recensitis Congr. Tribun., Offic. hoc imprimis solemne sit, ut nihil grave et extraordinarium agatur, nisi a Moderatoribus eorundem Nobis Nostrisque pro tempore Successoribus fuerit ante significatum* „. Quare Scherer l. c. t. I. p. 145. non videtur accurate scribere, esse doctrinam maximae partis canonistarum, Romanum Pontificem posse haece Congregationibus non tantum limitate, sed *plene* apostolicam suam potestatem et consequenter etiam *plenam* potestatem legislativam delegare. Quae doctrina, praesertim si usque ad infallibilitatis delegationem extenderetur, utique esset " *compluribus dubitationibus obnoxia alque merito derelinquenda* „; at ne *Bouix* quidem infallibilitatem a R. Pontifice delegari posse sustinet. Cfr. *Bouix*, De princ. iur. canon. p. 334. sq.; *D' Annibale*, Summula theol. mor. t. I. n. 184. not. 5.; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor. t. I. p. 272. sq.; *Lega*, De iud. eccles. t. II. p. 346. seq.

S. C. non transformat in decretum *pontificium*, uti fit per confirmationem in forma *specifica*. Cfr. *Franzelin* l. c. p. 117. sq.; *De Angelis* l. c. l. I. tit. 31. n. 10. i. f.; *Billot* l. c. t. II. p. 151. sq.; *Wilmers* l. c. p. 469. sq. 442. sq. 449. sq.; *Grisar*, Galileistudien p. 152. sq. 171. sq. 357. sq. et Act. theol. Oenip. t. II. p. 673. sq.; *Weruz* h. tom. I. n. 100. 127. sq. 143. sq. (26).

93. Ius *particulare* tanquam *legislatores singulares* condere possunt:

I. *Legati Romani Pontificis*, quorum statuta etiam sine consensu Conciliorum particularium edita in provinciis sibi commissis ex sese durant tanquam perpetua, licet easdem provincias postmodum sint egressi, donec a R. Pontifice vel ab alio, qui eandem habet auctoritatem atque Legatus, legitime fuerint revocata. Cfr. cap. 10. X. de offic. legat. I. 30.; cap. 2. eod. I. 15. in Sext.; Concil. Trid. Sess. XXIV. cap. 20. de ref.; *Schmalzgr.* h. t. n. 10.; *Pirhing* l. c. l. I. tit. 30. n. 8. 9.; *Bonix*, De Curia Rom. p. 580. sq.; *Scherer* l. c. t. I. p. 233. 524. sq.; *Hinschius* l. c. t. III. p. 829. sq.

II. *Patriarchae, Primates, Metropolitae* (27) per se solos et *sine consensu* Conciliorum provinciis ecclesiasticis, quibus praepositi sunt. leges dare saltem ordinarie non possunt. Quare si *Devoti* l. c. h. t. § 2. asserit: "*Particulare ius a Patriarcha in suo Patriarchatu, a Metropolita in sua provincia, a Primate in natione, cui praeest..., constituitur* „, sententiam tenet minus accuratam parumque fundatam. Cfr. c. 1. 2. sq. C. IX. q. 3.; cap. 9. X. de off. iud. ord. l. 31.; cap. 25. X. de accus. V. 1.; Collect. Lac. t. II. col. 334. de Patriarcha Maronitarum; *Schmalzgr.* h. t. n. 10.; *Bonix*, De Episcopis t. I. p. 451. sq.; *Hinschius* l. c. t. II. p. 18, t. III. p. 829.

III. *Episcopi* servatis conditionibus a iure communi requisitis pro suis dioecesibus veras leges ecclesiasticas ferre valent. Cfr. cap. 2. 9. X. de maior. et obed. I. 33.; cap. 2. h. t. in Sext.; *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. VI. VII. IX. X. XI. XII.; *Suarez* I. c. l. IV. cap. 4. n. 2. sq. cap. 5. n. 1. sq. 5.; De relig. tract. VI. l. 3. cap. 3. n. 12., (ubi putat "*forte generaliter verius* „ esse, Episcopus non posse condere leges *irritantes*; at

(26) Decret. S. R. C. 23. Maii 1846. a Pio IX. eiusd. ann. confirm.; *Legat*, l. c. p. 359. sq. 372.

(27) Quodsi Metropolitana dioecesim Episcopi suffraganei servatis conditionibus Concilii Tridentini (Sess. XXIV. cap. 3. de ref.) visitat, tanquam Visitor sane habet ius "*ordinandi, moderandi, puniendi, exequendi iuxta canonum sanctiones* „. Cfr. Conc. Trid. l. c. cap. 10.; *Scherer* l. c. p. 150.

nec *Suarez* nec *Scherer* aliique hac de re *expressum* et *generalem* quendam canonem afferunt; imo Concil. Rothomag. (a. 1850.) in Collect. Lac. t. IV. col. 529. sq. hoc condidit decretum Romae non correctum: “*Nullius etiam* (poenitentis), *nisi de consensu Episcopi*, (confessarius) *votum sibi ipsi vel ad lenius obediendi recipiat. Huiusmodi promissiones omnino prohibent, et etiamsi iuramento firmatae fuerint, Patres irritas declarant* „; limitatio vero ista potestatis Episcoporum certe admittenda est in casibus a iure *specialiter* expressis v. g. de legibus irritantibus *matrimonii*; cfr. *Benedict. XIV.*, De Synod. dioec. l. XII. cap. 5. n. 7. sq.); *D'Annibale* l. c. P. I. n. 199.; *Scherer* l. c. t. I. § 29.; *Schulte*, D. Lehre v. d. Quellen. p. 112. sq.; *Hinschius* l. c. t. III. p. 834. sq. *Praelati nullius* cum territorio separato (28) atque *Vicarii Apostolici* (29), *Coadiutores Episcoporum* cum plena administratione Episcopis quoad potestatem legislativam aequiparantur (30), non alii *Praelati inferiores*; potestas enim legislativa nullibi legitur ipsis *specialiter* concessa vel cum alio quodam munere coniuncta; nam etiam in Ecclesia censetur potestas suprema, quae cum aliis *Praelatis ecclesiasticis* tantum communicatur, quatenus illi habent superiorem quandam gubernationem.

94. *Congregationes*, quibus iurisdictio spiritualis ad veras *leges ecclesiasticas particulares* condendas competit, hae sunt recensendae:

(28) *Leges* etiam in Synodo dioecessana tantum condere possunt, si privilegio celebrandi Synodum fruuntur. Cfr. *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. lib. II. cap. 11.; *Scherer* l. c. § 76. IV. § 98.

(29) *Bened. XIV.* l. c. cap. 10.; *Scherer* l. c. p. 150.; *Hinschius* l. c. t. II. p. 244. 356. 357. Cfr. de *Vicariis capitularibus* infra h. tit. n. 94. II.

(30) *Cardinales* in suis titulis et diaconis licet iurisdictione sua quasi episcopali etiam nunc non absolute sint privati (cfr. Act. S. Sed. vol. XI. p. 511. sq.), tamen ipsorum potestas legislativa, quam olim in clerum et populum exercuerunt (cfr. cap. 11. X. de maior. et obed. l. 33). per-Innoc. XII. Const. « *Rom. Pontif.* » 17 Sept. 1692. redacta est ad potestatem quandam *oeconomicam* in clerum suum. Cfr. *De Angelis* l. c. lib. I. tit. 28. n. 15. *Hinschius* l. c. t. III. p. 837. sine solido fundamento asserit Vicarium generalem absque mandato speciali posse leges condere de rebus sibi generali mandato commissis. Cfr. *Bened. XIV.* l. c. l. II. cap. 3. n. 7.; Conc. Trid. ed. *Richler* p. 328. resp. S. C. C. 4. Dec. 1655. Quae sit potestas aliorum *Praelatorum inferiorum* etiam exemptorum (v. g. regularium) in legibus perpetuis ferendis, id potius ex iure particulari est eruendum; nequaquam enim generaliter et indiscriminatim asseri potest illos habere ius condendi ordinationes perpetuas sive veras leges. Quare quae *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 59. III.; *Scherer* l. c. t. I. p. 150. aliique hac in re generaliter asserunt, non sunt satis accurata et fundata. Cfr. *Bouix*, De iur. regular. t. II. p. 411. sq., ubi refert et approbat doctrinam *Suaresii*.

I. *Congregationes Romanae Cardinalium*, cum vel ipsi singulares *Legati* a latere in amplissimis provinciis sibi commissis leges particulares condere possint, pro *diversitate mandati* in territoriis vel materiis suae curae concessis ad leges particulares sive decreta sunt competentes. Quam potestatem maxime exercebat S. C. C., S. R. C. et S. C. de Prop. F. in terris missionum. Cfr. S. C. de Prop. F. 30. Iul. 1652. et 15. Maii 1779. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 10. 11.; S. R. C. 17. Iulii 1846.; *Ballerini-Palmieri* l. c. t. I. p. 272. sq.; *Lega*, De iud. eccl. t. II. p. 362. sq. At nunc in hac potestate omnes SS. CC. sunt pares. Cfr. Const. “*Sapienti consilio*”.

II. *Councila particularia* (topica) Episcoporum sive totius Patriarchatus, Exarchatus, nationis (generalia, nationalia, plenaria) sive unius tantum provinciae ecclesiasticae (provincialia), quae servatis conditionibus a iure communi praescriptis leges ecclesiasticas in toto suo territorio obligantes condere possunt. Cfr. c. 4. D. 10.; cap. 9. X. de maior. et ob. I. 33.; cap. 25. X. de accusat. V. 1.; Concil. Trid. Sess. XXIV. cap. 2. de ref.; *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 6. n. 8. 9. 10.; *Bouix*, De Concil. provinc.; *Schever* l. c. §§ 30. 101.; *Schulte* l. c. p. 121. sq.; *Hinschius* l. c. t. III. p. 473. sq.

III. *Capitulum ecclesiae cathedralis*, quamdiu sede episcopali vacante iurisdictionem ordinariam Episcopi tenet, per se non prohibetur a legibus dioecesanis condendis (31). Postquam Capitulum legitime deputavit Vicarium capitularem, is veras leges ferre potest (32) de iis tantum rebus, in quas ordinariam iurisdictionem Episcopi exercere valet. Quare si *Fagnanus* l. c. in cap. 11. X. de maior. I. 33. n. 53. generaliter contendit ipsorum ordinationes finito munere cessare, rem asserit non satis fundatam, nisi forte in textum Fagnanimum typographicum irrepsisse dicendum sit. At sede episcopali plena Capitulum ecclesiae cathedralis, etsi suo *consilio* ad legislationem Episcopi iuxta sanctiones iuris communis (33) concurrat, tamen propriam quandam potestatem condendi leges pro populo dioecetano non habet, sed tantum statuta,

(31) Cap. 11. 14. X. de maior. et obed. l. 33.; cap. unic. eod. l. 17. in Sext.; *Suarez* l. c. lib. IV. cap. 6. n. 14. sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 13.; *Hermes*, De Capitulo sede vacante p. 64.; *Bouix*, De Capitulis p. 562. sq.

(32) *Hermes* l. c. p. 57. sq. 143. sq.; *Bouix* l. c.; *Scherer* l. c. pag. 150. sq.

(33) Cap. 5. X. de his, quae fiunt a prael. III. 10.; *Schneider*, D. bisch. Domkap. p. 351. sq.; *Bouix* l. c. p. 340. sq.; *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. XIII. cap. 1. n. 9. sq.

quibus ipsimet capitulares obligantur, condere potest (34). Quae statuta *si* forte sunt data *vi iurisdictionis ecclesiasticae* aut saltem ab Episcopo eam approbationem receperunt, quae ipsis tribuat vim *legis episcopalis*, sane verae leges ecclesiasticae dici possunt (35); at illa *invisdictio* legifera Capitulorum non est certo probata, neque quidquam obstat, quominus approbatio Episcopi cadat in statuta mere *conventionalia* Capituli, quae in sua natura non immutantur (36). Certe vero ex disciplina saltem nunc communiter vigente approbatio statutorum capitularium per Episcopum omnino requiritur (37).

IV. *Capitula* saltem *generalia ordinum religiosorum* virorum, qui ab Ecclesia tanquam verae religiones exemptae clericorum approbatae sunt, iurisdictionem spiritualement vel potestatem legiferam habent ad condenda decreta vel statuta, quibus vis atque natura *verarum legum* ecclesiasticarum propria est (38). Huiusmodi potestas legifera *Consiliis* vel *Capitulis generalibus monialium* (39), non competit neque *Capitulis generalibus* congregationum religiosarum non exemptarum *virorum* videtur esse concessa; nam earum Superiores praeter potestatem *dominativam* generatim habere non videntur iurisdictionem ecclesiasticam (40). Quare multo minus *aliae universitates* vel *confraternitates* etc. in Ecclesia fruuntur iure condendi *statuta*, quae ex sese *viam legum ecclesiasticarum* habeant. Ecclesia enim collegiis istis inferioribus et saepe laicis (41) *iurisdictionem ecclesiasticam* ad ferendas *leges* conce-

(34) *Suarez* l. e. n. 11.; *Schmalzgr.* l. e.; cap. 6. 8. 9. 12. X. h. t.; *Bouix* l. e. p. 370. sq.

(35) Rota apud *Bouix* l. e. iunct. *Fagnano* l. e. cap. 6. X. de const. l. 2. n. 37. sq.; *D' Annibale* l. e. n. 199. n. 5.

(36) *Suarez* l. e. n. 12.; *Pirhing* l. l. t. 33. n. 43.

(37) Veteres auctores v. g. *Schmalzgr.* l. e., *Reiffenstuel* aliique negant necessitatem approbationis statutorum capitularium per Episcopum; at attentis recentioribus concordatis et Conciliis provincialibus hac sententia in iure antiquo sane fundata (cfr. *Scherer* l. e. t. I. p. 573. sq.) ex disciplina vigente non amplius universaliter est recepta. Cfr. Concil. Neapol. (a. 1693.); Conc. Neapol. (1699.); Cone. Roman. (a. 1725.) in Collect. Lae. t. I. col. 26. 211. 351.; Concil. Gall. in Collect. Lae. t. IV. col. 583. 883. 980. 1040. 1179.; Cone. Vienn. (a. 1858.); Cone. Coloc. (a. 1863.) in cad. Collect. t. V. col. 154. 631.; *Schneider* l. e. p. 285. Approbatio statutorum capitularium per Rom. Pontif. non est necessaria, nisi v. g. in iis reperiuntur decreta contra ius commune. Cfr. *Schneider* l. e.; cap. 8. 12. X. h. t.

(38) Cap. 7. X. de statu monach. III. 35.; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. VIII. l. 2. cap. 8. n. 4. 5.

(39) *Bouix*, De iure regular. t. II. p. 424. sq.

(40) *Bouix* l. e. p. 382. sq.; *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 6. n. 12. 18. 19.

(41) *Suarez*, Defensio fid. cath. l. IV. cap. 2. n. 9.

dere non solet. Ideo statuta etiam poenalia ab istis communitatibus inferioribus condita explicanda sunt vel ex promissione vel ex conventionem forte iuramento quoque confirmata (42), nisi *aliunde* ex approbatione vel confirmatione competentis Superioris ecclesiastici vim verarum legum ecclesiasticarum obtinuerint. Cfr. *Fagn.* l. c. in cap. 6. X. de const. I. 2. n. 31. sq.

§ 3. DE OBIECTO SIVE MATERIA LEGUM ECCLESIASTICARUM.

95. Potestas legislativa Ecclesiae sese extendit ad *omnia obiecta*, quae ad *finem Ecclesiae convenienter prosequendum necessaria* sunt. Controversia, quae forte oritur de ambitu ecclesiasticae potestatis legiferae, non tantum *mutuo consensu* inter Ecclesiam et potestatem civilem, sed etiam *infallibili declaratione* vel *imperio solius supremae auctoritatis ecclesiasticae* dirimi potest. Cfr. Syllab. Pii IX. prop. 30. 19. 20. 23. 42.; *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 10.–13. praesertim cap. 11. n. 12.. *Defens. fid. cath.* l. III. cap. 22. n. 7.; *Phillips*, Kirchenr. t. II. §§ 100. 111. 112.; *Hammerstein* l. c. p. 167.; *Hinschius* l. c. t. III. p. 764. sq., ubi, si complures exaggerationes seponas, non raro genuinam doctrinam catholicam contra sinistras minusque accuratas interpretationes etiam catholicorum scriptorum recte proponit.

96. Leges ecclesiasticae necessario versantur in materia *honestae, iustae, possibili, utili* et circa actus *bonos* vel *indifferentes praecipandos* vel *malos et indifferentes prohibendos*; actus quoque *communes cuiuscunque virtutis* i. e., qui ordinariam facultatem moralem hominum non excedunt, praecipere possunt; verum ad *omnes actus omnium virtutum praecipandos* aut ad *omnia peccata et delicta* stricte prohibenda sese neque de facto extendunt neque de iure extendere possunt. Actus vero *heroici* i. e., qui cum arduitate sive maxima difficultate coniuncti sunt et promptitudinem exigunt, *ordinarie* et *per se* legibus ecclesiasticis absolute praescribi nequeunt. Proprium autem et *directum* obiectum legum ec-

(42) Cap. 11. X. h. t. « *Licet a nobis* (i. e. magistr. univers. Paris.) *fide praestita fuerit constitutum* »; *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 6. n. 12. 18. 19. 20.; *Schmalzgr.* h. t. n. 14. Quodsi *Suarez* l. c. n. 18. i. f. de explicatione nonnullorum veterum iuristarum et canonistarum in hae materia notat: « *Tota resolutio confusa est et sine solido fundamento* », idem iudicium etiam de theoriis recentiorum quorundam iuristarum et canonistarum eirea *autonomiam* nostra aetate proferri potest. Cfr. *Scherer* l. c. § 4. V. § 32.

clesiasticarum est *praescribere* ea, quae conducunt ad finem supernaturalem i. e. actus supernaturales in rebus *fidei* et *morum* et *disciplinae*, et quae cum his proxime cohaerent v. g. personae sacrae, ecclesiae etc., et *prohibere* illa delicta, quae hisce actibus supernaturalibus atque connexis sunt opposita. *Indirectum* obiectum legum ecclesiasticarum sunt etiam res temporales et mixtae sub respectu temporali, in quantum hoc a fine Ecclesiae exigitur (43).

97. Potestas legislativa Ecclesiae, quatenus per authenticas interpretationes mere *declarat* ius iam *existens*, non tantum negotia *futura*, sed etiam *praeterita* et *pendentia* comprehendit (44); quatenus vero *constituit novum ius* per se et quasi natura sua in legibus *praecipientibus* vel *prohibentibus* vel *poenalibus* ad negotia praeterita et pendentia *non* extenditur, sed tantum ad futura. Nihilominus ex voluntate legislatoris constitutio ecclesiastica quoad *aliquos effectus* etiam ad pendentia vel praeterita negotia sese extendere potest, *modo nominatiu* de negotiis pendentibus vel *praeteritis caveat* (45). Hinc actus praeteriti possunt esse obiectum *a) legis poenalis*, qua violatoribus iuris antiqui iamdiu constituti aut naturalis et divini poena infligitur, vel *b) legis inhabilitantis* vel *c) legis irritantis* sive rescindentis, nisi negotii rescissio iuri divino repugnet (46). Ita sane matrimonium valide iam initum per irritantem legem posteriorem rescindi non potest,

98. Nulla est controversia Ecclesiam suis legibus posse *directe* praescribere vel prohibere actus *externos* etiam *occultos* et *indirecte* actus *internos*, qui cum actibus externis *necessario cohaerent* (47).

At actus *mere interni* vi *soli*us iurisdictionis ecclesiasticae *directe* in foro *externo* legibus humanis praecipari vel prohi-

(43) Suarez, De leg. l. IV. cap. 11.; D'Annibale l. c. n. 200.

(44) Cfr. c. 40. C. XXVII. q. 1.; cap. 8. X. de divort. IV. 19.; cap. 5. X. de spons. duor. IV. 4.; cap. 5. X. de usur. V. 19.

(45) Cap. 2. 13. X. h. t.; cap. 4. § 1. de off. legat. l. 15. in Sext.; cap. 1. i. f. de sent. exc. V. 10. in Clem.; Suarez, De leg. l. III. cap. 14.; Schmalzgr. h. t. n. 22.; D'Annibale l. c. n. 202.

(46) Cap. unic. de immunit. eccles. III. 17. in Clem.; cap. 7. § 2. X. de elect. l. 6.; cap. 5. X. de usur. V. 14.

(47) Cap. 9. X. de celebr. missar. III. 41.; cap. 1. § 4. de haeret. V. 3. in Clem.; prop. 14. damn. ab Alex. VII. 24. Sept. 1665.; prop. damn. 55. ab Innoc. XI. 2. Mart. 1679.; Suarez, De leg. l. IV. cap. 13., De censur. disp. IV. sect. 2. n. 23.; Lugo, De virt. fid. div. disp. 23. sect. 1. n. 6. 10., De sacr. poenit. disp. 15. sect. 6. n. 140. sq.

beri iuxta communem sententiam theologorum et canonistarum non possunt. Nam ut dicit *Innocentius III.* in cap. 34. X. de simon. V. 3.: “ *Nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare* „. At potestas legislativa et iudicialis Ecclesiae in eadem sese extendunt obiecta et in eodem versantur ordine; ergo cum potestas iudicialis Ecclesiae ex natura rei et positivis declarationibus nequaquam in actus mere internos exerceri possit, etiam potestas legislativa *humano et efficaci modo* in eosdem actus sese non extendit. Potestas enim legislativa plane *inutilis* Ecclesiae a Christo non est concessa. Quae pro singulari illa et exorbitante potestate Ecclesiae in actus mere internos etiam a recentioribus quibusdam canonicis et theologis (48) allata sunt, nequaquam tantum pondus habent, ut a sententia antiqua et communi recedatur (49) atque insuper facilem et solidam admittunt solutionem et non raro versantur plane extra statum quaestionis. V. g. sane Ecclesia in suis definitionibus infallibilibus non ponit actus nudi magisterii, sed verae iurisdictionis, ita ut fideles respuentes R. Pontificis definitiones vere recteque dicantur “ *transgressores Apostolicarum Constitutionum* „. Nam magisterium ecclesiasticum est una ex duabus *speciebus* (a *regimine* ecclesiastico distincta) communis generis *iurisdictionis* ecclesiasticae. At illae definitiones infallibiles dantur ab Ecclesia vi suae iurisdictionis *vicariae* tanquam *interpretationes* iuris *divini* veluti in foro *divino*, non ad instar legum *disciplinarium* in *suo proprio* foro externo.

§ 4. DE FORMA ET PROMULGATIONE ET VACATIONE ET RECEPTIONE LEGUM ECCLESIASTICARUM.

99. Quae de *forma* legis humanae generatim valent, ea in specie legi quoque ecclesiasticae sunt applicanda. Quare:

I. *Forma interna* (50) legis ecclesiasticae est *intentio* sive

(48) *Devoti* I. e. h. t. § 3., (ubi etiam sine fundamento docet *plerosque* suam sententiam tenere); *Gury-Ballerini*, Theol. mor. t. I. n. 89.; *Lehmann*, Theol. mor. t. I. n. 131. 132. aliique v. g. *Tepe*, *Sebastianelli*.

(49) *S. Thomas*, Summa theol. II.² II.^{ae} q. 91. art. 4. q. 100. art. 9.; *Suarez*, De leg. I. IV. eap. 12. 13., De censur. disp. 4. seet. 2.; *Lugo* I. c.; *Zech*, Praeognita §§ 115. 116.; *Santi* h. t. n. 13. sq.; *Kober*, D. Kirehenbann p. 130. sq.; *D'Annibale* I. e. n. 200.; *Billot*, De Eccles. Christi t. II. p. 142. sq.; *Pesch* I. e. t. I. n. 523.

(50) *Suarez*, De leg. I. III. eap. 20. I. IV. eap. 14. n. 1.

voluntas legislatoris competentis obligandi subditos circa materiam tum quoad substantiam tum quoad modum et circumstantias accurate determinatam; deficiente enim huiusmodi intentione habetur actus mere fictus, qui iuris effectum producere nequit, atque deest actus, qui ad omnem legem humanam ferendam saltem ex parte omnino essentialis est. At *ratio, ob quam* legislator ecclesiasticus ad legem condendam movetur, forma interna legis canonicae dici nequit, sed est potius mensura extrinseca sive regula directiva voluntatis legislatoris quoad iustitiam et honestatem legis ecclesiasticae. Hinc *ratio legis* vel mens legislatoris, cum multum conferant ad meliorem cognitionem legis, potissimum in interpretatione sunt attendendae (51).

II. *Forma vero extrinseca* legum ecclesiasticarum pariter consistit in *signo* quodam *sensibili*, atque *verba* vel *facta* requirit, quae sufficienter voluntatem legislatoris ecclesiastici explicant (52).

Ex iure divino positivo aut ex iure canonico *ultra formam ex ipsa natura* rei necessariam magis determinata et solemnior forma *supremo* legislatori in Ecclesia non est praescripta. Imo quamvis inferiores Praelati Ecclesiae ad certam solemnitatem in legibus ferendis v. g. ad scripturam adigi *possint*, tamen id *de facto* et universaliter ex iure communi absolute non est praescriptum, et si quae videantur esse praescripta, non pauca potius ad *limitationem* potestatis legiferae inferiorum Praelatorum quam ad perfectiorem *solemnitatem* (53) referuntur (54).

(51) Suarez, De leg. l. IV. cap. 3.

(52) S. Thom., Summa theol. 1.^a II.^{ae} q. 97. art. 3.; Suarez l. c. l. III. cap. 15. sq.

(53) Suarez, De leg. l. IV. cap. 14. n. 2.

(54) Cum hae quaestione Suarez l. c. n. 3. sq. et Schmalzgr. h. t. n. 25. coniungunt disceptationem illam, utrum *responsa* sive *rescripta* Romani Pontificis ad consultationem privatorum de iuris interpretatione ac *sententiae iudiciales* a Rom. Pontifice in casu particulari prolatae habeant *vim legum universalium*, necne. Suresius utrumque videtur affirmare; at nimis rigida videtur esse utraque affirmatio. Nam sane Rom. Pontifex in responsione ad consultationem (efr. Palmieri, De Rom. Pont. p. 715. sq.) aut per sententiam iudicalem (efr. cap. 19. X. de sent. et re iud. II. 27.) legem universalem dare *potest*, si *intentionem* condendi legem universalem habeat et sufficienter Ecclesiae suam intentionem *promulget*; at haec intentio et promulgatio non *necessario* eum unaquaque responsione vel sententia iudiciali *debet* esse coniuncta. Cfr. Zech l. c. § 208. Nam sicut Rom. Pontifex *magisterium* suum nequaquam semper *supremo* gradu perfectio-

100. De *promulgatione* legum ecclesiasticarum haec principia sunt tenenda:

1. Promulgatio i. e. *legis publicatio communitati facta auctoritate illius, qui curam habet communitatis*, tum ex natura rei (55), tum ex sapienti institutione (56) Ecclesiae est saltem *conditio adeo essentialiter* ad legem ecclesiasticam requisita, ut statutum canonicum absque promulgatione destituatur valore neque ullam obligationem inducat. Quae publicatio etiam ad ipsam legis *irritantis* existentiam est omnino necessaria (57). Sane *Bouix*, De Curia Rom. p. 308. putat quaestionem de necessitate promulgationis esse saltem controversam, imo sententiam, quae *negat* promulgationem esse essentialiter requisitam ad legem, tanquam veram et certam esse praefendam, cum sententiae affirmanti omnis probabilitas adempta sit. At hac in re clariss. canonista opinionem tuetur “ *fere ab omnibus doctoribus* „ (*Suarez*, De leg. lib. I. cap. 11. n. 1.) duce S. Thoma reiectam atque solidis rationibus minime comprobata.

Nam etiam lex ecclesiastica est regula pro actibus subditorum; at huiusmodi regula, ut sit efficax, *sciri* debet a subditis; id, quod sine promulgatione fieri omnino nequit; ergo promulgatio legis ex natura rei est prorsus necessaria. Porro promulgatio, cum non *sit* norma actuum pro subditis, sed illam tantum *manifestet*, est potius essentialis, sed extrinsecum

nis exereet (efr. *Palmieri* l. c. p. 718. sq.), ita etiam *iusdictionem* suam non per *legem* universalem, sed etiam *inferiori* quodam *gradu* exereere potest. Denique si vera esset haec sententia, *omnis* responsio et sententia iudicialis Romani Pontificis, utpote lex universalis, *immunis* esset ab *omni errore* quoad *fidem* et *bonos mores*, sed ipse *Suaresius* l. c. n. 12. allegat responsionem Coelestini Papae, cui vim legis universalis et immunitatem ab errore recte non tribuit. Cfr. quoque *Seherer* l. c. t. II. p. 588. not. 43. Verum si omnibus et singulis responsis vel sententiis R. Pontif. vim *supremam* legum universalium necessario inesse negamus, minime nullam auctoritatem, sed tantum *minorem* ipsis competere asserimus. Cfr. *Zech* l. c. §§ 208. 209. 210. : *Ballerini-Palmieri* l. c. t. I. p. 265. sq. 272. sq.

(55) *Suarez*, De leg. l. I. cap. 11. n. 1. 3. l. III. cap. 16., ubi n. 3. sq. optime iam explicat distinctionem inter *promulgationem* et *divulgationem* legis; *Schmalzgr.* h. t. n. 26.; *Reiffenstuel* h. t. n. 105. sq.; *Lega*, De iud. eccl. t. I. p. 366. sq.; *Sentis*, D. Monarchia Sicula p. 292. : “ *Inbennus has Nostras Apostolicas Litteras publicari die 10. Oct. a. 1867. Pius Papa IX.* „ Cfr. quoque *Hinsehius* l. c. t. III. p. 777. sq. 786. sq. 788.

(56) Grat. ad e. 3. D. 4.; cap. 1. X. de postul. l. 5. : *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. lib. XIII. cap. 4. n. 1.

(57) *Suarez* l. c. l. V. cap. 33.

requisitum, non pars constitutiva legis ecclesiasticae. Quae *Bouix* pro singulari sententia profert, nituntur insufficienti consideratione distinctionis inter actum *publicum* et *privatum*, promulgationem *solemnem* et *simplicem*, praesertim vero Regulis Canc. Apost. non satis intellectis. Nam omissa ista animadversione, quod allegatae Regulae sensu stricto non sint leges (cfr. *Suarez*, De leg. l. I. cap. 10. n. 1. sq. 16. sq.), iuvat legere solum textum, ut evidenter constet illas Regulas quoad *culpam* et *poenam* ante promulgationem non obligare. Praeterea quoad *vim irritandi actus* in contrarium gestos iam pridem in Ecclesia *publicatus* est iste effectus, sicut in *translatione* Episcoporum quoad liberam collationem beneficiorum. Insuper Rom. Pontifex *manus apposuit* et valet etiam *condere* leges cum vi *retroactiva*.

II. Cum *de modo* promulgationis legum ecclesiasticarum ultra conditiones ex natura rei requisitas (58) positiva (59) et determinata solemnitas neque ex iure positivo neque ex iure canonico sit praescripta, haec per expressam voluntatem legislatoris *ecclesiastici*, non *civilis* (60), aut per *observantiam* vel *consuetudinem* (61) est determinanda.

Hinc nihil obstat, quominus lex ecclesiastica semel *uno in loco* sufficienter promulgata *statim* vim obligandi exserere incipiat (62), nisi a legislatore ecclesiastico perfectior solemn-

(58) *Suarez* l. c. lib. I. cap. 11. n. 4. 5. 6.

(59) Cap. 1. X. de postul. l. 5., ubi Innocentius III. a. 1200. negat interdicti sententiam solemniter et publice promulgatam « *singularum auribus per speciale mandatum vel litteras* » esse inculcandam.

(60) Quare placitum regium neque ad *licitam* neque ad *validam* promulgationem legum ecclesiasticarum est attendendum (cfr. *Pii IX.* Encycl. « *Quanta cura* » prop. dam. 8.; Syllab. pr. 19. 20. 28. 29. 41. 49.; Conc. Vatic. Sess. IV. cap. 3.; *Palmieri* l. c. p. 567. sq.; *Tarquini*, De regio placet in Inst. iur. eccl. publ. p. 133. sq.; *Bouix*, De princ. iur. can. p. 209. sq.; *Cavagnis* l. c. P. II. p. 6. sq.; praesertim *Mueller*, De placito regio; *Papius*, Geschichte d. Placet in Arch. f. k. K. t. 18. p. 161. sq.; *Galante*, Il diritto di placitazione e l'economato dei benefici vacanti in Lombardia.; *Hiuschius* l. c. t. III. p. 749. sq. 838. sq., nisi quatenus Ecclesia haec in re aliquid indulserit. Cfr. *Nussi* l. c. p. 151. sq. 173. sq. de concordato Sardiniae a. 1727.

(61) V. g. si decretum Romae ad valvas Basil. Princ. Apost. etc. solebat affigi vel « *ex aedibus S. C.* » divulgabatur. Cfr. *Lega* l. c. p. 355. 365.; S. C. Iuq. 15. Iun. 1870. in Act. S. Sed. vol. VI. p. 433. sq. de obligatione universali Const. « *Apost. Sed.* » in Urbe promulgatae.

(62) *Suarez* l. c. l. IV. cap. 15.; *Scherer* l. c. t. I. p. 164. sq.; *Hiuschius* l. c. p. 780. sq. Cfr. const. Pii X. « *Promulgandi* » 23. Sept. 1908. de legibus pontificiis, *per insertiorem in Commentarium officiale promulgandis*.

tas promulgationis (63) requiratur. Iterata (64) et statuto quoque tempore (65) facienda *repetitio* promulgationis interdum praescribitur, ut legis *notitia* et observantia *conservetur*.

III. Promulgatio *necessaria* est, non solum ut *extensiva* vel *restrictiva interpretatio* legis ecclesiasticae (quae vera et stricta interpretatio non est), vim legis habeat, sed etiam interpretatio *simpliciter* et *stricte* dicta i. e. declaratio legis *dubiae* et *obscurae*, non *comprehensiva* specificè accepta i. e. declaratio legis *clarae* (66), indiget vera et proprie dicta promulgatione (67). Nam ex notissima iuris regula: “ *Verba clara non admittunt interpretationem nec voluntatis coniecturam*; multoque minus igitur aliqua interpretatio legis clarae forte data indiget promulgatione. Quare si quis Praelatus legis universalis vereque *clarae* postulet et obtineat interpretationem, sane *universae Ecclesiae*, cui per *claram* legem iam abundanter provisum est, illa *nova* interpretatio non est promulganda, sed sufficit

(63) Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 1. *Tametsi* de ref. matr.; *Clem. XIV.* Breve “ *Domin. ac redemptor* ” 21. Iul. 1773. et Aet. theol. Oenip. t. I. p. 284.; decr. “ *Ne temere* ” 2. Aug. 1907. per *transmissionem* ad Iocorum Ordinarios promulgatum.

(64) Cap. *Tametsi*; cap. 12. X. de poenit. V. 38.

(65) Cap. 40. X. de simonia V. 3.; cap. 17. X. de Iud. et Sarracen. V. 6.; Decret. S. C. C. 23. Nov. 1697. confirmat. 23. Dec. eod. ann. a Rom. Pont.; Decret. S. C. C. 21. Sept. 1624. Cfr. Conc. Trid. ed. *Richt.* p. 148. 434.

(66) In definienda interpretatione *vere comprehensiva* auctores non omnino conveniunt. Alii enim dieunt interpretationem *comprehensivam* esse illam, quae id tantum denuo edicit, quod *clare* iam continetur in lege; ab aliis vero interpretatio mere *comprehensiva* dicitur illa, qua sensus legis declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedit, eum *extensiva* illam egrediatur. Quae duplex definitio non videtur *eandem* suppeditare notionem. Cfr. infra h. tom. I. n. 144.; *S. Alphons.*, Theologia moral. lib. III. traet. 6. n. 1027. cum *Tepe*, Inst. theol. mor. gener. t. I. n. 442. ubi distinguitur *declaratio pure talis*, quae *clare* a principio inest in lege, et declaratio *non pure talis*, cuius sensus non *clare* est in lege imbibitus, sed ex argumento infertur; *Schnalzgr.* l. c. Dissert. proem. n. 373.; *Reiffenstuel* l. c. Proem. n. 129. sq. h. t. n. 109.; *Lehmkuhl*, Theologia moral. vol. I. n. 149. 204.; *D’Annibale* l. c. n. 184. not. 2. qui interpretationem *comprehensivam* vocat *declarativam* et eum grammaticali recentiorum iuristarum confundit; *Putzer*, Commentarius in facult. apost. n. 3. sq.

(67) Recte igitur scribit *Suarez* l. c. l. VI. cap. 1. n. 3. “ *Ut ergo authentica sil interpretatio, oportet, ut habeat omnes legis humanae conditiones, atque ut sil iusta, procedens a legitima potestate, sufficienter promulgata* etc. ”. Cfr. quoque *D’Annibale* l. c. n. 184. not. 5.; *Hinsehius* l. c. t. III. p. 788. not. 11. Aliter *Lega*, De iud. eccl. t. II. p. 354. eum aliis, qui *Suaresii* sententiam impugnant, sed forte ex *dispari* suppositione.

insinuatio oratori facta. Inde liquet, cur S. R. C. d. 6. Maii 1826. sapienti consilio ad 1. responderit: “ *Caeremoniale Episcoporum* NON INDIGET INTERPRETATIONE et sub *respeclivis capitibus* (i. e. de quibus interpretatio petita fuerat) *APERTE declarat* etc. At sine solido fundamento *Fagnanus* l. c. in cap. 13. X. de const. l. 2. n. 43. videtur asserere interpretationem ne tum quidem esse promulgandam, “ *etiamsi lex declarata sit prorsus obscura et dubia* „; nam *lex clara* et *lex dubia* et *obscura* perperam aequiparantur. Cfr. *S. Alphons.*, Theolog. moral. lib. III. tr. 6. n. 1027.; *Tepe*, Inst. theol. mor. gener. t. I. n. 442.

101. *Vacatio legis*, quae in hoc consistit, ut promulgatione facta *initium* obligationis vel etiam irritationis nonnisi post certum tempus v. g. quindecim dierum vel duorum mensium in subditis oriatur, in legibus *inferiorum Praelatorum* ecclesiasticorum ex iuris communis sanctionibus necessario locum non habet, sed ex certa et communi sententia (68) leges illae per se statim post promulgationem unumquemque subditum afficiunt, nisi aliud ipsemet legislator decernat (69).

Quin imo ut ipsae leges universales Romanorum Pontificum vel Conciliorum oecumenicorum etiam irritantes ligare incipiant, ex communi iure scripto vel consuetudinario *vacatio duorum mensium* iuxta magis communem sententiam canonistarum (70) non requiritur, sed statim post promulgationem debito modo factam vim ligandi per se habent, nisi expresse in lege de longiore vel breviori vacatione caveatur (71).

At quamvis distinctiones illae inter obligationem ad *cul-*

(68) Cap. 1. X. de postul. l. 5. Cfr. quoque cap. 1. de eone. praeb. III. 7. in Sext. ; *D'Annibale* l. c. n. 202. ; *Bened. XIV.*, De Synodo dioec. l. XIII. cap. 4. n. 2. ; *Suarez* l. c. l. IV. cap. 15. n. 15.

(69) Concilia provinciale v. g. Conc. Vallisoletan. (a. 1887.) tit. ultim. interdum sapienter statuunt sua decreta nonnisi duobus mensibus *post* promulgationem obligare ; *Balleriui-Palmieri*, Opus theol. moral. t. I. p. 678. sq.

(70) *Suarez* l. c. n. 9. sq. iunct. l. V. cap. 33. ; *Benedictus XIV.* l. c. ; *Gury-Ballerini* l. c. t. I. n. 97. ; *Reiffenstuel* h. t. n. 115. 116. ; *Scherer* l. c. t. I. p. 178. sq. 171. ; *D'Annibale* l. c. n. 202.

(71) Cfr. eit. caput *Tawetsi*, quo nonnisi mense elapso post publicationem in parochia impedim. clandestinitatis inducitur ; pariter decret. Clementis X. 30. Aug. 1670. (de statu libero) obligare coepit *post duos* menses a die publicationis in Urbe elapsos. Pariter decret. « *Ne temere* » 2. Aug. 1902. publicatum, vim obligandi non habuit usque ad diem Paschae (19. Apr.) anni sequentis ; et const. « *Divino afflatu* » 1. Nov. 1911. obligationem novi Psalterii adhibendi usque ad diem 1. Ian. 1913. non imposuit.

pani et obligationem ad *poenam*, obligationem in foro *interno* vel *externo* ante vel post duos menses elapsos in hac re solido fundamento non nitantur (72), tamen illud concedi potest in *poenis* infligendis propter laesionem *legis* sive universalis sive particularis sine vacatione promulgatae a iudice ecclesiastico tempus esse taxandum, intra quod in subditis *praesumi* possit probabilis *ignorantia* legis recenter promulgatae. Cfr. cap. 1. de conc. praeb. III. 7. in Sext. Quod tempus, si de legibus *pontificiis* agatur, iudex ecclesiasticus *extra* Curiam Romanam usque ad *duos menses* extendi haud raro optimo iure decernet, cum Romae iam *postridie* (73) contra praevanitatores procedere poterit (74).

102. *Receptio* sive *acceptatio* legis ecclesiasticae per populum vel subditos non est necessaria, ut statutum canonicum vim et valorem obtineat (75). Nam huiusmodi acceptationis necessitas repetenda est aut ex *defectu potestatis* in legislatore, qui sine consensu populi leges condere non potest, aut ex *benignitate* legislatoris, qui non obstante sua potestate aliter subditos suos obligare non vult, nisi lex saltem a maiore parte acceptetur. At in priore hypothesis de legislatoribus ecclesiasticis falsum supponeretur *invis principium*, in altera *factum* plane falsum sumeretur. Cfr. *Suarez* l. c. I. I. cap. 11. n. 7. l. III. cap. 19. l. IV. cap. 16.; *Schmalzgr.* h. t. n. 29. Quare quicumque legem canonicam debitis qualitatibus ornatam et sufficienter promulgatam non acceptant (76), constitutionum ecclesiasticarum transgressores existunt et puniri possunt. Cfr. *Suarez* l. c. cap. 16. n. 4. Cui principio non obstat, quominus Episcopi sive singulares sive coadunati in Synodo vel conferentia quadam contra universalem legem disciplinarem Rom. Pontificis ex rationabili causa supplicationem sive remonstrationem Rom. Pontifici cum debita re-

(72) *Suarez* l. c. I. IV. cap. 15. n. 12.

(73) S. Poenitent. 8. Nov. 1821.; S. C. Inq. 15. Iun. 1870.; *D'Annibale* l. c. n. 202.; *Bargilliat* l. c. n. 72.; *Reiffenstuel* h. t. n. 123.; *Hinsehius* l. e. t. III. p. 777. sq. 780. sq.

(74) Cfr. speciatim de legibus irritantibus: *Suarez* l. c. I. V. cap. 33.; *Reiffenstuel* l. c. n. 124.; *D'Annibale* l. c. n. 202. not. 23. n. 216.; *Ballerini-Palmieri* l. e. t. I. p. 678. sq.; *Hinsehius* l. c. p. 781. not. 3.

(75) *D'Annibale* l. c. n. 203.

(76) Quodsi lex canonica etiam culpabiliter a subditis non acceptetur, paulatim tamen consuetudine effieci potest, ut abrogetur. Cfr. cap. 11. X. de const. I. 4.; *Suarez* l. c. I. IV. cap. 16. n. 9. et l. VII. cap. 9. n. 5. cap. 19. n. 17.

verentia offerant et interim legis executionem suspendant (77). Quodsi Rom. Pontifex auditis rationibus iudicium suum protulerit neque putaverit remonstrationi esse deferendum, eius iussa promptae executioni demandentur necesse est. Cui sententiae *Hinschius* l. c. tom. III. p. 785. sq. non satis fundatam censuram opponit.

§ 5. DE SUBIECTO PASSIVO SIVE DE SUBDITIS
LEGUM ECCLESIASTICARUM.

103. Quinam *subiecti* (78) sint legibus *ecclesiasticis*, partim ex iure *divino* partim ex ordinatione *Ecclesiae* est eruendum.

(77) Arg. cap. 5. X. de rescript. l. 3. eum parte decisa; arg. cap. 1. h. t. in Sext.; *Suarez* l. e. I. IV. cap. 16. n. 5. 6. 7. 8., qui hanc sententiam defendit sine illis multis limitationibus, quibus *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. IX. cap. 8. n. 3. facultatem supplicandi circumseribit. Et sane duplex ratio, quam *Benedictus XIV.* l. e. suis limitationibus addit, videtur esse adeo rigida, ut omnem supplicandi facultatem excludere adeoque nimium probare videatur. Denique ipse *Bened. XIV.* l. e. l. XII. cap. 7. n. 7. videtur admittere principia et afferre exempla, quae cum ipsius limitationibus difficulter conciliantur. Cfr. quoque *Scherer* l. c. p. 177.; *Bouix*, De princ. iur. ean. p. 219. sq. et p. 226. sq.

(78) *Membrum* alienius societatis generatim quis constituitur per aliquam *unionem*, qua mediante etiam *subiicitur* auctoritati illius societatis. Quae unio et subiectio multiplice ratione fit pro diversitate societatum. Profecto in societate *civili* ordinarie quis efficitur *membrum* per *originem naturalem* a parentibus iure civitatis illius societatis civilis praeditis; at alii quoque modi extraordinarii v. g. naturalisatio, legitimatio, nuptiae, servitium civile vel militare, domicilium longum a codicibus civilibus admittuntur, simulque statuuntur casus, in quibus ius civitatis denuo *amittatur* v. g. privatio, renuntiatio, emigratio. Cfr. L. 1. D. ad municipal. l. 1.; L. 7. C. de incolis, et ubi quis domicil. X. 39.; L. 16. de captiv. XLIX. 15.; Mot. propr. Leon. XII. 30. Ian. 1828.; eod. civ. Ital. art. 1. sq. 11. sq., *Gallicae* art. 8. sq. 17. sq.; Deutsche Reichsverf. art. 3.: *Arulsts-Serafini*, Lehrb. d. Pand. § 28.; *Allègre*, Le eode civ. t. I. p. 8. sq.; *Hollzendorff*, Rechtslex. v. v. Reichs- u. Staatsangehoerigk.. Gemeindebuengerrecht; *Gerber*, Deutsch. Staatsr. § 19. *Folleville*, Traité... de la naturalisation; *Corgodan*, La nationalité; *Suarez*, De leg. l. III. cap. 31. n. 7.; *D'Annibale*, Summula theolmor. P. I. n. 82. sq. Quae conditiones iure *saeculari* requisitae ad obtinendum ius civitatis determinati regni nequaquam arbitrarie transferri possunt ad incorporationem in Ecclesiam Christi, quae est societas *sui generis* atque *supernaturalis*.

In *Ecclesia* vero *universali* membra constituuntur per originem spirituales sive *per baptismum*, qui *vere*, non tantum *pulative* characterem baptismalem imprimat et quoad suam efficaciam (quae certe non pendet a lege civili!) aliquem *corpori* Ecclesiae catholicae uniuersi non impeditur in *adultis* baptizatis per haeresim, schisma, excommunicationem servatis necessariis conditionibus. Cfr. Act. Apost. II. 41.; I. Corinth. XII. 13.;

Ex iure *divino omnes et soli valide baptizati* sive catholici fideles sive excommunicati sive schismatici sive haeretici

Eugen. IV. in deer. pro Armen.: « *Per ipsum enim (baptisma)... de corpore efficiuntur Ecclesiae* »; Conc. Trid. Sess XIV. cap. 2. doctr. de poenit.; Bellarmin., De Conciliis et Eccles. l. III. cap. 1. i. f. cap. 2. sq.; Suarez, De fide disp. 9. sect. 1. disp. 10. sect. 6. n. 3. sq. disp. 21. sect. 5. n. 12. sq.; ubi tamen *verbis et re minus feliciter et accurate disputat de membris Ecclesiae et praesertim l. c. disp. 10. et 21. non satis videtur distinguere effectus haeresis mentalis vel occultae atque haeresis publicae, porro effectus ex natura rei cum haeresi notoria, sed non cum haeresi mentali vel occulta coniunctos, denique effectus iure divino in natura haeresis publicae fundatos, et iure mere humano per sententiam excommunicationis additos*; Franzelin, De Ecclesia p. 11. 20. 377. sq. 402. sq. iunct. Patmieri l. c. n. 44.; Billot, De Eccles. t. 1. p. 283. sq.; Wilmers, De Christi Eccl. p. 619. sq.; Friedberg-Ruffini l. c. §§ 29. sq. 134. (de absurdis et iniustis legibus civilibus); Hinschius l. c. t. IV. p. 43. sq. Inde homo baptizatus non amplius simpliciter est membrum corporis Ecclesiae, si fiat manifestus sive notorius haereticus, schismaticus, excommunicatus sive vitandus sive toleratus. Cfr. Suarez, De censur. disp. 11. sect. 4. n. 9. disp. 14. sect. 1. n. 1. sq. 4. sq. 8. sq.; Schmalzgr. l. V. t. 39. n. 163. sq.; Allerius, De excom. l. 1. disp. 5. c. 10.; Holtweck, D. k. Strafg. p. 114. sq. not. 4. i. f.; paulo aliter excommunicatos toleratos etiam publicos membris corporis Ecclesiae adnumerare videntur: Billot l. c. p. 320.; Witmers l. c. p. 643. sq. alique. At etiam excommunicatus toleratus vere et proprie est excommunicatus sive abscissus, cui Ecclesia speciales favores non reliquit; sed vere et proprie abscissum ab Ecclesia dicere membrum corporis Ecclesiae videtur esse aperte contrarium notioni excommunicationis. Porro etiam excommunicatus toleratus vere est privatus suffragiis communibus Ecclesiae. Cfr. Suarez l. c. disp. 9. sect. 2. n. 16. sq.; Holtweck l. c. p. 118.; Kober, D. Kirchenb. p. 267. sq. Denique excommunicati tolerati nequaquam simpliciter retinent iurisdictionem ordinariam, ita ut a fortiori possint dici membra, cum maneat capita. Nam non quilibet usus iurisdictionis alicui clerico baptizato permissus probat ipsum esse membrum corporis Ecclesiae; secus ipse sacerdos publice haereticus vel schismaticus, qui in articulo mortis concedere potest sacramentalem absolutionem, esset adnumerandus membris corporis Ecclesiae. Id, quod plane falsum est. Ex altera parte iurisdictionis clerico excommunicato relicta nequit dici ordinaria. Etenim excommunicatus toleratus ab exercitio iurisdictionis ecclesiasticae graviter prohibetur, nisi, a fidelibus in casibus necessitatis vel utilitatis requiratur. Imo ipsi fideles per exceptionem omnes actus excommunicati tolerati v. g. praecepta, sententias etc. elidere possunt. At huiusmodi potestas sunt rudera quaedam iurisdictionis ordinariae, non vera potestas ordinaria Praelatis ecclesiasticis propria. Hinc perperam exinde deducitur praerogativa capitis et membri corporis Ecclesiae. Cfr. Suarez l. c. disp. 13. sect. 2. n. 11. sq., ubi n. 14. i. f. seite addit: « *Quia raro accidit, ut publicus notorius excommunicatus permittatur exercere publicum officium et iurisdictionem ecclesiasticam fori contentiosi, quin a Superioribus coerceatur vel publice denuntietur, ideo etiam raro veniet in usum et in praxim casus hic, de quo disputamus* » (i. e. de retenta iurisdictione a notorio excommunicato tolerato); Schmalzgr. l. c. n. 163. sq.; Kober l. c.; Holl-

etiam inviti et sine eorum acceptatione legibus ecclesiasticis obstringuntur (79), modo *habitualiter usum rationis* habeant aut speciali Ecclesiae ordinatione a lege quadam canonica observanda non sint excepti (80). Nam *Deus* vi characteris

weck l. c. iunct. *Gasparri*, De matrim. n. 921. not. 2., ubi doctrinam *Suaresii*, De lide disp. 21. sect. 5. veriore et communiorem habet sel. etiam *publicum* (?) crimen haeresis vel schismatis non *ex iure divino* secum ferre amissionem ecclesiasticae iurisdictionis (ordinariae?) atque cum *Albitio* contra *Fagnanum* putat Episcopos schismaticos (?) orientales gaudere iurisdictione (?) ideoque valide instituere parochos (?)

Tandem cum homo baptizatus ratione characteris indelebilis vero vinculo cum Ecclesia *aliqua ex parte* sit *coniunctus*, etiam potestati legiferae, iudiciariae, coactivae Ecclesia *manet subiectus*. Quare notio *subditi* Ecclesiae latius patet, quam *membri* corporis Ecclesiae; multi enim sunt vere subditi Ecclesiae velut haeretici, schismatici, excommunicati, qui *membra* Ecclesiae *simpliciter* non iam existunt. Cfr. *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 19. n. 2., De fide disp. 9. sect. 1. n. 22.; *Wilners* l. c. p. 633. sq.; *Franzelin* l. c. p. 402. sq. At infideles nondum baptizati cum *absolute* et *omni ex parte* sint extra Ecclesiam, nec *uembra* nec *subditi* Ecclesiae universalis dici possunt. Cfr. I. Cor. V. 12.; cap. X. de divort. 19.; *Bellarmin.* l. c. l. III. cap. 3.

Particularibus societatibus *intra Ecclesiam* institutis fideles uniuntur et subiciuntur per simplicem receptionem sive admissionem, per iuramentum, conventionem, professionem similesque modos; in *dioecesibus* vero et *parochiis* et *provinciis* incorporatio et subiectio, si non locum habet ratione originis naturalis a parentibus christianis in determinata parochia domiciliatis, regulariter fit per *domicitium legitime acquisitum*. Cfr. *D' Annibale*, Summula P. I. n. 82. sq.; *Laurin* in Arch. f. k. K. t. 26. p. 165. sq.; *Hinschius* l. c. t. IV. p. 52. sq.

Extraordinarius plane modus adscribendi infidelem baptizatum *loco* sive *civitati* baptismatis stabilitur in Pauli III. Const. « *Cupientes* », 21 Martii 1542. et Clementis XI. Const. « *Propagandae* » 11. Martii 1704. Qui modus vix iam est practicus in foro ecclesiastico saltem in ordine ad sacras ordinationes, cum ab Innocentio XII. in Const. « *Speculatores* », 4 Novembris 1694. omnino non commemoretur; aliter videntur opiuari: *D' Annibale* l. c. n. 82.; *Gasparri*, De sac. ordin. n. 807. cum *Honorante* aliisque.

(79) Cap. 1. X. h. t.: « *Canonum statuta custodiantur ab omnibus, et nemo in actionibus vel iudiciis ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur* »; cap. 1. « *Unam sanctam* », de maior. et ob. l. 8. in Extravg. com.; Cone. Trid. Sess. VII. de bapt. can. 7. 8. 13. 14., Sess. XIV. cap. 2. doctr. de poenit., Sess. XXV. cap. 18. de ref.: « *Quapropter sciant universi sacratissimos canones exacte ab omnibus, et quoad eius fieri poterit, indistincte observandos* »; Catech. Rom. P. I. cap. 10. q. 8. 9.; Benedicti XIV. Epist. « *Singulari* » 9. Febr. 1749. §§ 14. 16. ad Card. Eborac.; Pii VII. Epist. « *Etsi fraternitatis* » 8. Oct. 1803. ad Arch. Mogunt.

(80) Benedicti XIV. Declaratio « *Matrimonia* » 4. Nov. 1741. (de haecreticis in Hollandia exceptis a forma Trid. servanda in celebratione matrimoniorum); *Tarquini* l. c. p. 69. sq.

Recentiores quidam theologi et canonistae v. g. *De Angelis* l. I. t. 2. n. 13.; *Cavagnis* l. c. P. I. p. 347. sq. alique v. g. *Mare*, *Pillet* (cfr. *Putzer*

baptismalis omnes et solos baptizatos homines iurisdictioni Ecclesiae *vere subiecit*; ipsa vero Ecclesia non potest sibi redere subditos, quos Christus ipsi non subiecit (81). Quare non solum *infideles*, sed ipsi quoque *catechumeni* legibus ecclesiasticis directe non subiiciuntur (82); minime vero *principes*

l. c. p. 320.) secundum novam quandam distinctionem putant haereticos vel schismaticos *non obligari* iis legibus ecclesiasticis, quae velut leges de ieiunio et abstinentia, de celebratione festorum, de sacramentis recipiendis etc. directe pertinent ad sanctificationem animarum, eum merito praesumatur Ecclesiam illos nolle obligare, quos constanti experientia cognovit esse contumaces (?). At iidem auctores concedunt haereticos et schismaticos obligari saltem illis legibus ecclesiasticis, quae ad bonum publicum et honestam conversationem in societate christiana tuendam spectant v. g. leges irritantes de matrimonio. At haec distinctio eum partiali et generali quadam immunitate a catholicorum huiusque in fontibus iuris, qui generatim et indiscriminatim loquuntur (efr. Conc. Trid. Sess. VII. de bapt. can. 8), nullum habet fundamentum. Ratio autem a patronis istius sententiae ex praesumptione petita nititur coniectura eum textibus iuris vix conciliabili et in aliquo argumento, quod, cum de *omnibus* legibus ecclesiasticis valeat, nimium probat, et insuper non attendit, quod lex quaedam iusta et prudens debeat esse utilis *toti communitati*, non solis personis, quae illam probabiliter sint observaturae. Quare mirum non est, quod *Lugo*, De sacram. poenit. disp. 15. sect. 7. n. 144.; *Tepe* l. e. n. 401. sq. alique huiusmodi argumentationem penitus reiiciant. At eum sine dubio multi haeretici et schismatici propter ignorantiam sunt *in bona fide*, ideo per transgressionem legum ecclesiasticarum saltem *non peccant* et a delicto *excusantur*, nec maior ipsis vindicanda est immunitas sufficienter non probata.

(81) Conc. Trid. Sess. VII. XIV. l. e.; *Lehmkuhl*, Casus consc. t. II. n. 289. sq. iunct. *Biltot*, De Eccles. t. II. p. 295., ubi recte tenet non sufficere baptismum *existimatum*, sed *validum* requiri, ut quis sit de corpore Ecclesiae. Nam unio in societatem debet fieri per actum validum; etenim actus invalidus nullum producit iuris effectum, nec in easu verificatur limitans elausula, *« nisi expresso et speciali iure de contrario caveatur »*. Nullibi enim Deus expressa et speciali lege etiam bastismo *putativo* eundem effectum tribuit atque baptismi valido; Ecclesia vero huiusmodi effectum supplere plane nequit; quoniam ad ipsam non spectat conditionem *iure divino revera* necessariam, ut quis sit membrum et subditus Ecclesiae, actu quodam putativo supplere. Neque quidquam pro contraria sententia efficitur ex cap. 2. X. de presbyt. non bapt. III. 43., ubi Innocentius II. a. 1130.-1143. (non Innoe. III., ut legitur in vulg. ed. corp. iur. can.) Episcopo Cremonensi nequaquam declarat presbyterum, qui *« sine unda baptismatis extremum diem clausisse »* repertus fuerat, ad corpus Ecclesiae revera pertinuisse, sed eundem propter **baptismum flaminis** merito admissum *« a peccato originali solutum et coelestis patriae gaudium esse adeptum »* ineunctanter asserit. Aliter opinari videntur: *Palmieri*, De R. Pont. p. 45.; *Pesch* l. c. t. I. n. 329.

(82) l. Corinth. V. 12.; cap. 8. X. de divort. IV. 9.; cap. 3. X. de presbyt. non bapt. III. 43.; decret. pro Armen.; Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 2. doctr.

saeculares baptizati statutis canonicis sunt soluti (83). Cfr. *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 19. 20.; *Palmieri* l. c. p. 40. sq. 261. sq.; *Reiffenstuel* h. t. n. 274. sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 35. sq.; *Philips* l. c. t. II. §§ 97. sq.; *D'Annibale* l. c. n. 204. sq.; *Scherer* l. c. t. I. p. 170. sq.; *Hinschius* l. c. t. III. p. 784. sq.

104. Leges ecclesiasticae vere *universales* et ubique vigentes de se obligant omnes christianos *ubique* terrarum degentes, ad quos spectant pro *materiae* exigentia ex supremi legislatoris voluntate (84). Graeci catholici vero quamvis definitionibus doctrinae catholicae de fide et moribus procul dubio sint adstricti, tamen legibus *disciplinaribus* etiam universalibus non ligantur, nisi quid de ipsis statuatur, aut expressa eorum mentio fiat, aut implicite pro subiecta materia ad illos quoque lex extendatur (85). Imo Constitutiones Romanorum Pontificum *uni* ex diversis ritibus orientalibus datae *alios* ritus non obligant sine expressa extensione per Sedem Apostolicam facta (86).

105. Constitutionibus Ecclesiae *particularibus* tenentur, qui sunt *de territorio* i. e. vere subditi existunt *et in territorio* versantur. Nam subditi, qui tam physice quam moraliter a suo territorio sunt remoti, legibus particularibus sui territorii ordinarie non ligantur; est enim axioma iuris: “ *Extra territorium ius dicenti impune non paretur* „ Cfr. cap. 2. de const. l. 2. in Sext. (87). Nihilominus personae ecclesiasticae exemptae, v. g. regulares, quae non sunt de territorio, praeter casus in

de poenit.; *Bellarmin.* l. c. l. III. cap. 3.; *Franzelin* l. c. p. 444. sq.; paulo aliter *Suarez*, De fide disp. 9. sect. 1. n. 18.: “ *Mihi tamen magis placet fidelem catechumenum inter Ecclesiae membra numerare* „ Qua in assertionem *Suarez* proficiscitur a notione quadam *abstracta* et *generica* Ecclesiae; at in rerum natura nunc praeter Ecclesiam a *Christo* fundatam alia vera Ecclesia non existit; hinc si quis *huic* Ecclesiae non incorporatur, *nulli* Ecclesiae *verae* est unicus; incorporatio autem in Ecclesiam *Christi* essentialiter requirit baptismum.

(83) Syllab. prop. 54.; *Reiffenstuel* h. t. n. 57. 58.; *Cavaynis* l. c. P. I. p. 129. sq.

(84) Cap. 1. X. h. t.; Conc. Trid. Sess. XXV. l. c.; *Reiffenstuel* h. t. n. 263.; *D'Annibate* l. c. n. 204. not. 41.

(85) Cap. 6. X. de cler. coniug. III. 3.; cap. 7. X. de poenit. V. 38.; Arch. f. k. K. t. 10. p. 93.; Act. S. Sed. vol. I. p. 408.; S. C. de Prop. F. 8. Novemb. 1882. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 113.; *Card. Hergenroether* in Arch. f. k. K. t. 7. p. 198. sq.; *Papp-Szilágyi* l. c. p. 46.

(86) Benedict. XIV. Const. “ *Etsi Pastoralis* „ 26. Maii 1742. § 8. n. 24.; *Card. Hergenr.* l. c. p. 200.; *Papp-Szilágyi* l. c. § 23. p. 43. sq. et § 55. p. 120.; *Arndt*, De rituum relat. iurid. ad invicem.

(87) *Zech*, Praecog. §§ 137. 138.; *Reiffenstuel* h. t. n. 264. 265.

iure expressos (88) saepe non directe et stricto iure (89), tamen *indirecte* propter bonum commune et scandalum vitandum tenentur ad observandas leges Episcoporum vel Synodorum particularium (90).

106. Si potestas legislativa Ecclesiae exercetur *a collegio* quodam, *singuli socii*, utpote vere subditi integro collegio, legibus ab ipso latis obligantur, dummodo in Concilio oecumenico excipiatur Romanus Pontifex; is enim cum sit supra Concilium oecumenicum, legibus conciliaribus non est subiectus (91). Quodsi Romanus Pontifex aliique singulares legislatores ecclesiastici v. g. Episcopi leges promulgant, certe *coactive* atque directe ut *subditi suis* legibus non tenentur; imo ne vi quidem *directiva* obligantur ad servandas leges a se vel a suis praedecessoribus latas, quae ipsorum *dignitati* vel *personae* non sunt accommodatae. At aliis legibus suis suorumque praedecessorum vi *directiva* saltem ex levi obligatione tenentur (92). Quae obligatio directe, non ex ipsa legislatoris humani voluntate, sed ex *divina* ordinatione est derivanda. Nam Deus vult, ut legislator humanus non alio modo ferat leges, nisi cum universali obligatione capitis et membrorum. Ubi enim nulla est ratio necessitatis vel utilitatis lex non est mutanda, sed servanda; at si ipse legislator non servat legem v. g. abstinentiae vel ieiunii vel annuae confessionis, facile alii quoque eius exemplo ducti legis fiunt praevaricatores (93). Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 1. pr. de ref.

107. Ex principiis stabilitis de legibus ecclesiasticis universalibus et particularibus facile deducitur, quid iuris sit de subiectione *peregrinorum* et *vagorum* (94).

(88) Conc. Trid. Sess. XXV. cap. 12. 13. de regul.

(89) Cap. 16. 17. X. de excess. prael. V. 31.; cap. 1. de privil. V. 4. in Sext.

(90) Suarez, De leg. l. IV. cap. 20.; Bened. XIV., De Synod. dioec. l. IX. cap. 15. 16. 17.

(91) Conc. Trid. Sess. XXV. cap. 21. de ref.; Palmieri, De Rom. Pont. p. 462. sq.

(92) Cap. 1. 6. X. h. t.; Lehmkuhl, Theol. mor. t. I. n. 145.

(93) Suarez l. c. l. III. cap. 35.; Reiffenstuel h. t. n. 266. sq.; Schmalzgr. h. t. n. 36.; Zeeh l. c. §§ 141. sq. At Scherer l. c. §§ 25. 40. eum Schulte aliter de hac re disserit. Cfr. Schmalzgr. h. t. n. 61.; Hünschius vero l. c. t. III. p. 786. sq. in eadem quaestione partim assertiones profert solide non probatas partim nihil tradit, quod ab antiquioribus scriptoribus non iam aequali atque adeo maiore perfectione fuisset dictum.

(94) Schmalzgr. h. t. n. 41. 42. 43.; Suarez, De leg. l. III. cap. 32. 33., De virt. et stat. relig. tract. II. l. 2. cap. 14.; Putzer l. c. p. 66. sq. 241. sq.; Tepe l. c. n. 410. sq.

Etenim peregrini et vagi ubicumque existant, legibus vere *universalibus* Ecclesiae ibidem vigentibus semper manent subiecti. Attamen peregrinus legibus *particularibus sui territorii* ecclesiastici, e quo ad tempus discessit, certe non tenetur, modo physice et moraliter vere absit, atque lex particularis subditum ecclesiasticum non ratione *personae immediate* liget. Omnis enim lex ecclesiastica per se et ordinarie est *territorialis* et non nisi *mediante territorio* incolas afficit. Cfr. cit. cap. 2. h. t. in Sext. (95). Hinc multo minus *vagus* ligatur legibus particularibus mereque localibus alicuius territorii, quod absolute dereliquit.

Peregrini veri et vagi legibus *favorabilibus et dispensationibus* localibus illius territorii, in quo actu versantur, legitime frui possunt; at lege exemptionis vel legitima consuetudine vel dispensatione, quibus solummodo in sua patria *ratione territorii* ab observantia iuris communis et universalis fuerunt liberati, extra illud territorium uti non possunt, nisi *personaliter* quoque cum eisdem fuerit dispensatum.

Denique peregrini et vagi legibus *particularibus* illius territorii ecclesiastici, per quod *transeunt*, non sunt subiecti, nisi sint leges speciatim de peregrinis et vagis latae, aut neglectus iustitiae vel periculum scandali adsit, aut transgressio legis per peregrinum vel vagum aequale damnum communitati inferat atque per proprium subditum. Insuper pere-

(95) *D' Annibale* l. c. n. 119. not. 9. n. 204.; *Lugo*, De iust. et iur. disp. 24. n. 8; *Gasparri*, De matrimon. n. 902. 983. sq. Cfr. *Pacelli*, La personalità e la territorialità delle leggi; ubi erudite disserit de vi personali et territoriali legum ac de iure constituendo votum promittit ut principio territorialitatis legum succedat maior quaedam extensio principii personalitatis. Cui voto implendo, in quantum tendit ad consulendum meliori dioecesium regimini (p. 18. 19. 33.) in iure vigenti media non desunt, eum in iurisdictione episcopali, ut ibidem A. admittit, contineatur potestas dandi praeceptum etiam generale, v. gr. pro clericis, cui vis personalis etiam extra territorium praecipientis subditum ligans non potest negari. Ceterum vis illa personalis *omnibus statutis particularibus* non sine gravibus incommodis tribueretur v. gr. legi determinanti formam habitus clericalis. Cfr. not. 225. h. t., ubi ostenditur non dari iurisdictionem incongruentiam, si unus actus iurisdictionis (ferendi legem) non potest exerceri eo modo quo potest alius (dandi praeceptum), ut evidenter constat ex simili exemplo exercitii iurisdictionis voluntariae et contentiosae. At propter eandem rationem A. est assentiendum, si p. 11. sq. contendit vim mere territorialem non ex natura rei esse propriam legis, sed auctores allegati contrarium non videntur tenere, qui potius assignant congruam rationem positivae voluntatis legislatoris.

grini et vagi tenentur ad latas leges de *rebus immobilibus* in aliquo territorio sitis et ad *formas* et *solemnitates* contractuum, iudiciorum aliorumque actuum *legitimorum* iure territorii, in quo versantur, praescriptas (96).

108. Scholion. Ex communi et certa sententia (97) *clerici* aliaque personae ecclesiasticae exemptae *omnino* obligantur (98) ad eas leges civiles observandas, quae ob publicam utilitatem reipublicae in materia clericis et laicis communi latae sunt atque sacris canonibus et statui clericali eiusque dignitati et officiis non adversantur (99).

Quodsi de *origine* et *vera causa efficiente* huius obligationis quaeratur, ex tribus explicationibus, quae circumferebantur (100), *saltem nostra aetate* (101) sententia *Molinae* (102) aliorumque repetentium illam obligationem directe *etiam* ex ipsa efficacia legum *civilium*, non ex *sola* lege naturali (103) vel ex *sola* approbatione Ecclesiae (104), ceteris sententiis est praefenda.

(96) Cfr. l. II. t. 2. de for comp.; *Zech* l. e. §§ 139. 140.; *D' Annibale* l. e. n. 204.; *Seherer* l. e. t. I. p. 170. videtur dissentire et t. II. p. 209. sq. principium: *Locus regis aetum*, in ipsa celebratione matrimonii deserit.

(97) *Unice Navarrns* cum paucis scriptoribus contrariam sententiam sequitur. Cfr. *Sehmalzgr.* h. t. n. 37.; *Reiffenstuel* h. t. n. 301.

(98) Cap. 1. X. de nov. op. V. 32.; cap. 12. X. de arbitr. l. 43.; *Reiffenstuel* h. t. n. 301. sq.

(99) *Suarez*, De leg. III. cap. 34.

(100) *Suarez*, De leg. III. cap. 34.

(101) Nostra enim aetate in omnibus fere regionibus principali illa ratio de foro privilegiato rive exempto eleri in huiusmodi rebus temporalibus et mere civilibus non iam urgeri potest; ergo cum potestas civilis suam *propriam* potestatem *iudicalem* et *eoactivam* in clericos exercere possit, etiam *vi directiva legum suarum* in hae materia eosdem clericos ligare valet. Cfr. *Palmieri*, De Rom. Pont. p. 567.

(102) *Molina*, De iust. traet. II. disp. 31. n. 15.

(103) Sane haec ratio multa explicat, at non videtur sufficere ad explicandam *generatem* atque adeo *gravem* obligationem clericorum.

(104) Etiam nostra aetate procul dubio est mens Ecclesiae, ut clericus huiusmodi leges civiles observent, cum v. g. saeculis elapsis, quibus forum privilegiatum eleri in praxi fuisset receptum, optimi Praesules v. g. S. Carolus etiam ex auctoritate S. C. Ep. et Reg. ad vitandas difficultates et salvanda principia *easdem ordinales* publicarent pro clero atque magistratus civilis pro laicis. Cfr. *Reiffenstuel* h. t. n. 310.

§ 6. DE EFFECTIBUS LEGUM ECCLESIASTICARUM

109. Legum ecclesiasticarum *effectus* (105) generatim possunt esse *prohibitio, praescriptio (irritatio), permissio, poena* : at *proximus et essentialis effectus* omnis legis ecclesiasticae est *obligatio* sive ad *culpam* sive saltem ad *poenam* (106). Nam omnis lex etiam ecclesiastica est vinculum quoddam ordinis moralis, quod sine ulla obligatione vera in conscientia existere nequit (107). Porro obligatio illa non semper *directe* oritur, sed saepe tantum *indirecte* et consequenter v. g. in lege favorabili vel irritante. Quodsi obligatio tantum ad poenam subeundam imponitur, fieri potest, ut nonnisi post sententiam iudicis ecclesiastici obligatio oriatur (108).

Imo leges ecclesiasticae, quae fundantur in *praesumptione communis periculi*, subditos fideles vere obligant, neque obligatio cessat, si forte praesumptio illius periculi *in casu particulari* cesset v. g. in prohibitione libri per S. C. Indicis facta (109).

Similiter sacri canones, qui nituntur praesumptione *facti* aut *fictione iuris*, suos producunt effectus non tantum pro foro externo, sed etiam pro foro interno (110).

110. Leges ecclesiasticae sive *ipso facto* sive *per sententiam* iudicis ecclesiastici condemnatoriam vel declaratoriam actus irritare possunt (111). Qua ratione irritatio actus sit statuta sive ipso iure sive per rescissionem, sive absolute sive con-

(105) Suarez l. c. I. V. cap. 1. 2. l. I. cap. 14. 15. 16. 17. l. I. cap. 17. n. 9. 10.

(106) Suarez l. c. I. I. cap. 14. n. 7. l. IV. cap. 17. 18. l. V. cap. 3. sq.; Reiffenstuel h. t. n. 152. sq.

(107) Cap. 1. X. h. t.; cap. 2. X. de M. et O. l. 33.; Suarez l. c. I. IV. cap. 17. 18.

(108) De implenda obligatione legis ecclesiasticae eadem valent principia, quae de lege implenda generatim statuuntur. Cfr. S. Alphon., Theol. mor. l. I. n. 162. sq.

(109) S. Alphon. l. c. n. 100.; Schmalzgr. h. t. n. 34.; Suarez l. c. I. V. cap. 24.

(110) Cap. 3. X. de presbyt. non bapt. III. 43.; cap. 3. § 1. X. de clandest. IV. 4.; cap. 1. X. de cleric. aegr. III. 6.; Concil. Trid. Sess. XXIV. cap. 8. de reform.; Reiffenstuel h. t. n. 176. sq.; D'Annibale l. c. n. 208.

(111) Cap. 42. X. de elect. l. 6.; cap. 1. sq. X. qui clerici IV. 6.; Concil. Trid. Sess. XXV. cap. 1. de reform.: D'Annibale l. c. n. 209. sq.; Reiffenstuel h. t. n. 239. sq.; Suarez l. c. I. V. cap. 19. sq.

ditionate, ex verbis legis est eruendum (112). Quodsi solummodo *rescissio* actus in iure sit *praescripta* vel *permissa*, actus in suo valore est sustinendus, donec rescindatur per legitimam auctoritatem, dummodo rescissionis capax sit (113). At si *ipso iure* actus efficiatur nullus, etiam in legibus irritantibus poenalibus praesertim post sententiam declaratoriam saltem illud consequitur, quod tanquam validus neque sustineri neque ut fons emolumentorum et iurium haberi possit, Cfr. *Suarez* l. c. l. V. cap. 28. n. 7. sq. cap. 32. n. 5. Stricta autem *obligatio* ad omittendum actum ipso iure nullum per se non existit, nisi actus invalide gestus *turpis* evadat, quemadmodum fit v. g. in electione canonica sine forma substantiali facta aut in matrimonio cum impedimento dirimente celebrato (114).

In foro ecclesiastico nequaquam generaliter et absolute receptum est axioma: “*Quae contra ius sunt, debent pro infectis haberi* „ (115). At actus, qui directe per legem canonicam absolute et simpliciter *prohibentur* v. g. celebratio matrimonii in gradibus prohibitis inter consanguineos, sunt ipso iure nulli atque invalidi, si *speciatim* et expresse vel aequivalenter de effectu irritationis in illa prohibente lege canonica directe caveatur (116).

Porro lex irritans Ecclesiae *directe* aliquid constituere vel praecipere potest, quod ad *substantiam actus* omnino requiritur v. g. *forma* substantialis sponsalium vel contractus matrimonialis per decr. “*Ne temere* „ inducta, ex cuius omissione *consecutive* et *indirecte* actus irritatur.

Quibus duobus modis irritandi actum tertius addi potest, vi cuius *directe persona* inhabilitatur ad actum valide ponendum (117). Lex irritans etiam in foro ecclesiastico non

(112) Cfr. text. et script. cit. not. 111.; cap. 38. X. de elect. l. 6.; cap. 18. i. f. X. de pract. III. 5.; lib. I. tit. 40. de his, quae vi metusve caus. X.

(113) Cap. 16. X. de regular. III. 31. “*Quia multa fieri prohibentur, quae, si facta fuerint, oblinent roboris firmitatem* „; *Suarez* l. c. cap. 21. 22. 29. n. 6.; *Reiffenstuel* h. t. n. 244.

(114) *Reiffenstuel* l. c. n. 251. sq.; *Zeeh* l. c. § 129.; *D’Annibale* l. c. n. 215.; *Suarez* l. c. cap. 20.

(115) R. l. 64. in Sext.; *Suarez* l. c. l. V. cap. 25. sq. cap. 29. n. 4. 5.; *Reiffenstuel* h. t. n. 245. sq.

(116) Cap. 16. X. de regul.; cap. 11. §§ 4. sq. § 7. de reser. l. 3. in Sext.; cap. 6. de conc. pract. III. 7. in Sext.; *Suarez* l. c. l. V. cap. 25. sq. et praesertim cap. 29.

(117) *Suarez* l. c. l. V. cap. 19. n. 4., ubi monet tertium modum ad duos priores posse reduci.

est *essentialiter poenalis*, sed rationem quoque *verae poenae* habere *potest* (118). Quodsi irritatio actus in solam *poenam* delicti statuta sit, cessante culpa propter *ignorantiam* lex irritans suo effectu caret (119). At si ignorantia solummodo versetur de illa *poena* irritationis atque *culpam* non excludat, saltem in foro externo *validitas* actus *generaliter* et ordinarie non est asserenda (120). Epikea quoque in legibus irritantibus Ecclesiae saltem ordinarie non potest adhiberi. Cfr. *Suarez* l. c. l. V. cap. 23.; *D'Annibale* l. c. n. 216.

111. Quamvis in iure canonico existant *leges permittentes rem licitam vel indifferentem*, tamen *leges permittentes* disertis verbis *rem turpem* vel inhonestam in collectione canonum et praxi Ecclesiae universalis non reperiuntur neque fini iuris canonici videntur esse consentaneae. Cfr. *Suarez* l. c. l. I. cap. 16. n. 5. sq. Legibus permittentibus maxime adnumerari possunt *privilegia* contra sanctiones iuris communis concessa, quibus, quod illicitum fuisset, licitum efficitur.

112. Ecclesia, licet *ins habeat ferendi leges mere* (121) *poenales* (122), tamen de facto saltem ordinarie isto iure uti non

(118) L. IV. tit. 7. de eo, qui duxit X.; cap. 27. de elect. I. 6. in Sext.; *Suarez* l. c. l. V. cap. 19.

(119) *Suarez* l. c. cap. 19. n. 3.; *Lehmkuhl*, Theol. mor. t. I. n. 214.

(120) *De Anglis* l. c. l. IV. t. 7. n. 5.; *Schmalzgr.* h. t. n. 30.; *Suarez* l. c. l. V. cap. 12. n. 11. cap. 19. n. 10. cap. 22. n. 4. sq.; *D'Annibale* l. c. n. 214. not. 13.

(121) Procul dubio Ecclesia de iure potest et de facto saepe vult condere *leges*, quae ad actum ponendum vel omittendum sub reatu culpae obligant in conscientia et *simul* transgressoribus infligunt poenam sive spirituales sive temporales, at pariter potest ferre (imperfectas) *leges*, quae vere in conscientia obligant *sine expressa* adiectione alicuius poenae *canonicae*, ut accidit v. g. in lege de audienda Missa diebus dominicis et festis de praecepto. Quo in easu, ne erimina maneant impunita, poena *prudenti arbitrio* iudicis ecclesiastici transgressoribus legis est imponenda. Cfr. *Suarez* l. c. l. V. cap. 3. 4. n. 3.; *Wernz* h. tom. I. n. 50. 89. (de iure perfecto, plus quam perfecto, minus quam perfecto, imperfecto).

(122) Communiter philosophi, theologi, canonistae catholici tenent *posse dari* in foro tum civili tum ecclesiastico *leges mere poenales*, atque *de facto* quoque huiusmodi *leges* existere in utroque foro, sed quae actum quendam praecipunt vel prohibent tantum *ea disiunctione*, ut id, quod in lege statuitur, fiat vel omittatur, *aut* in casu transgressionis certa poena subeat. Quare huiusmodi *leges mere poenales* sive obligantes sub sola eomminatione poenae, licet non obligent in conscientia ad actum ponendum vel omittendum, tamen in casu transgressionis *obligant* ad poenam. Cfr. *S. Thom.*, Summa theol. II.^a II.^{ae} q. 108. a. 4. i. e. q. 186. a. 9. ad 1.; *Suarez* l. c. l. V. cap. 4.; *Schmalzgr.* h. t. n. 32. « *Certa est affirmativa sententia* »; *Reiffenstuel* h. t. n. 197. sq.; *Biedler* in Aet. theol. Oenip.

solet, nisi excipias regulas religiosorum ordinum. Quae regulae cum saltem *communiter* a Superioribus regularibus condantur vi *iurisdictionis ecclesiasticae* vereque *legiferae* a R. Pontificibus concessae et imponant necessitatem determinato modo operandi, verae quoque sunt leges ecclesiasticae, non *semper tantum* consilia vel monita, pacta vel statuta conventionalia ex potestate quadam mere dominativa data; nam licet regulae illae supponant professionem religiosam, tamen postea obligatio oritur ex iurisdictione. Nihilominus eadem regulae, ne nimis multiplicentur culpae morales, saltem saepe proxime non ad culpam, sed ad solam poenam obligant (123). Alia exempla rara sunt. Ita v. g. in Concilio Toletano (a. 1355.) c. 1. haec leguntur: “ *Ne onerentur culpae pondere ex transgressione constitutionum provincialium fideles..., sacro approbante Concilio ordinamus, quod constitutiones provinciales praedecessorum nostrorum, et quae in futurum condentur, nisi aliter in condendis expresse fuerit ordinatum, non ad culpam, sed ad poenam tantum earundem obligent transgressores* „ (124). At ex disciplina vigente minime cum

t. XXIII. p. 155. sq.; *Saegmueller* l. c. p. 94. sq.; *Tepe* l. c. n. 365. sq.; *Cathrein* l. c. t. 1. p. 338., quibus alii multi aecedunt; aliter opinati sunt antiquiores quidam scriptores v. g. *Bellarminus*, De membris Eccles. milit. l. III. cap. 11. arg. sext.; nostra aetate praesertim *Köch* in Act. theol. Tubing. t. 82. p. 204. sq. magno eum apparatu positivo, sed inefficaci argumentatione iuridica theoriam legum mere poenaliu[m] impugnavit. Nam de essentia legis sine dubio est, ut imponat *aliquam* obligationem; at essentia legis non requirit, ut *determinate* obliget in conscientia *ad actum*, quem legislator intendit, sed sufficit obligatio ad subeundam poenam in casu transgressionis legis. Porro nulla poena profecto infligi potest *sine iusta causa*, sed nequaquam *unaquaeque poena* sensu quoque latiore aeepta, quatenus comprehendit etiam damnum vel incommodum, necessario supponit *culpam theologicam*, sed sufficit sola *culpa iuridica* ad infligendas poenas minores. Profecto poenae *gravissimae* corporales (v. g. capitis vel mutilationis) atque etiam spirituales v. g. excommunicatio maior nequeunt infligi, nisi propter culpam theologicam; at Ecclesia in suo foro non infligit poenam capitis vel mutilationis, potius alias praesto habet poenas *temporales* minoris momenti v. g. multas, poenitentias, imo etiam *spirituales* v. g. suspensionem minorem, quae praevie non exigunt gravem culpam theologicam. Cfr. *Suarez* l. c. l. IV. cap. 18. iunct. l. V. cap. 4. n. 10.; *Schmalzgr.* l. c.

(123) *S. Thom.* l. c.; *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. VIII. l. 1. cap. 1. 2. 3., De leg. l. V. cap. 4. n. 4.: “ *Gratis dicitur* „ sel. regulas non esse leges, sed consilia vel conventiones quasdam, ut voluit *Bellarminus* l. c.

(124) Quare *Phil. Hergenroether* in suis Instit. iur. cecl. p. 313. et *Santi* l. c. l. 1. t. 2. n. 29. t. 4. n. 19. nimis generaliter asserunt leges ee-

Cardinali Petra (cfr. *De Luca*, Praelect. iur. canon. t. II. n. 347). *generale principium* statui potest, scilicet decreta Conciliorum provincialium obligare omnes provinciae subditos tantum ad poenam, non ad culpam, nisi Concilium ipsum secus declaraverit. Nam huiusmodi principium generali quadam lege scripta vel consuetudine non probatur, et praeterea verbis Conciliorum provincialium ultimo saeculo usque ad nostram aetatem celebratorum est manifeste contrarium.

De aliis quaestionibus, quae spectant ad leges poenales vel potius criminales, consuli possunt: *Suarez* l. c. l. V. cap. 5. sq.; *Reiffenstuel* h. t. n. 221. sq.

§ 7. DE CONFIRMATIONE LEGUM ECCLESIASTICARUM (125).

113. Confirmatio universim spectata est iuris prius habiti sive quaesiti per legitimum Superiorem facta corroboratio. Quare confirmatio *supponit aliquod ius* sive *vere* sive *saltem de facto* quaesitum; porro est *actus superioris auctoritatis publicae*, non tantum *ratihabitio hominum privatorum*, (cfr. R. I. 9. 10. in Sext.), *observatio actus gesti* v. g. excommunicationis ab Episcopo inflictæ, quae fit ab *aequalibus* vel *inferioribus Praelatis* (cfr. cap. 1. § 1. X. de treug. I. 34.), *plena convalidatio* actus, quae pendet ex alio *facto* vel *evento*, v. g. si testamentum morte "*confirmatur* „; deinde *per se accedit ad actum validum*, quoniam actus vim per se tantum auget atque corroborat, non *valorem efficit*, nisi Superior illum effectum expresse intendat; denique in actum gestum *novum* quandam inducit *iuris effectum*, secus confirmatio verbo, non re differt

ecclesiasticas mere poenales non existere, atque *generali* suae assertioni rationem inefficacem subiungunt. Nam non *omnes* poenae ecclesiasticae sunt *censoe* vel mere spirituales, sed etiam *temporales* poenae in foro ecclesiastico reperiuntur; praeterea ipsae quoque *censoe*, si excommunicationem maiorem excepias, *non semper* infliguntur propter *gravem* culpam theologiceam. Cfr. *Suarez* l. c. l. IV. cap. 18. n. 19. l. V. cap. 4. n. 10. et l. VII. cap. 19. n. 12.; *Schmalzgr.* h. t. n. 32.; *Act. theol. Oenip.* t. XIII. p. 157.

(125) L. II. tit. 30. de confirm. util. vel inutili X.; commentatores in h. t. 30.; cap. 8. 9. X. tit. de constit.; *Suarez*, De leg. l. VI. cap. 26. n. 14. sq. l. VIII. cap. 18. n. 2.; *Bened.* XIV., De Syn. dioec. l. XIII. cap. 3. Hoc loco ex professo unice disputatur de confirmatione *legum ecclesiasticarum*; at sub citata rubrica l. II. t. 30. generaliter disseritur non tantum de confirmatione sententiae iudicialis, sed etiam possessionis, privilegiorum, instrumentorum, officiorum, paetorum, transactionum atque cuiuscunque dispositionis vel actus v. g. testamenti.

a corroboratione (126). Cfr. cap. 1. 2. X. de conf. II. 30.; cap. 6. X. de renunt. I. 9.; cap. 2. X. de pact. I. 35.; cap. 3. X. de instit. III. 7.

114. Dividitur confirmatio: I. In *essentialem* (127) et in *accidentalem*.

Essentialis quidem confirmatio *dnobis* modis fieri potest. Etenim aut *a) totam essentialiam* legis ecclesiasticae alicui statuto tribuit, v. g. si statuta monialium, quae iurisdictione ecclesiastica carent atque veras leges ecclesiasticas condere nequeunt, ita confirmantur a Superiore ecclesiastico competente, ut vim obtineant legum ecclesiasticarum, *aut b) saltem quasi formam substantialem* sive *essentiale complementum* dat statuto iam ab aliqua publica auctoritate in Ecclesia condito, sed ita imperfecta, quae ex sese tanquam causa efficiens completa vim veram et plenam suis decretis tribuere non potest. Huc spectat v. g. confirmatio canonum vel decretorum Concilii oecumenici per R. Pontificem (128). Cfr. quoque confirmationem electionis Episcopi.

Accidentalis confirmatio dicitur illa, quae *accedens ad legem in se* et ex propria auctoritate legislatoris vim iam habentem, illam solummodo *auget* atque *corroborat*. Ita v. g. decreta *Concilii provincialis* alias legitime condita *ex sese* habent vim obligandi neque recognitione vel approbatione vel confirmatione Romae facta vim *obtinent*, sed tantum magis corroborantur, non transmutantur in leges pontificias, nisi confirmatio data fuerit a R. Pontifice in forma *specifica*.

Quare *recognitio* Conciliorum provincialium v. g. in S. C. Concilii imprimis sese habet ad instar *conditionis* sine qua non, ut decreta a Metropolitano *valide promulgari* possint, quemadmodum Episcopus constitutiones synodales valide promulgare nequit, nisi antea saltem requisiverit consilium Capituli suae ecclesiae cathedralis (129).

II. Praeterea distinguitur confirmatio in *forma specifica* et confirmatio in *forma communi*. *Illa* in hoc consistit, ut statuta post diligens et accuratum examen absolute et nulla adiecta *conditione* cum clausula "*motu proprio atque ex certa scientia* „

(126) *Reiffenstuel* I. c. I. II. tit. 30. n. 2. sq.; *Zallinger* cod. t. 30. §§ 456. sq.

(127) *Suarez* l. c. I. VI. cap. 26. n. 16.; *Pirhing* l. II. t. 30. n. 1.

(128) Cone. Trid. Sess. XVI. i. f. decreti suspens.; *Phillips* I. c. t. IV. § 197. p. 465. 474. sq.

(129) *Scherer* I. c. t. I. p. 149.

vel aequivalenti formula (auctoritate apostolica) confirmentur. In confirmatione, quam vocant in *forma couuuni*, non omnia statuta adeo rigido examini subiiciuntur neque approbantur ex *certa* scientia vel cum simili clausula, sed conditionate: “ *Si iuste, caonice aut provide facta sint, et dummodo sacris canouibus, Trideutiui Coucilio decretis et Constitutionibus Apostolicis uou aduersantur* „ (130). Quae confirmatio in forma communi sive conditionata a Sede Apostolica etiam *antece-deuter* futuris decretis ab inferioribus legislatoribus condendis dari potest et de facto data est.

III. Denique distingui potest confirmatio *antecedens* et *consequens*, *absoluta* et *conditionata*, *geueralis* et *specialis*, *tacita* et *expressa*, *valida* et *invalida* atque *utilis* et *iuutilis*, quae effectum intentum non producit, *necessaria* et *voluntaria*, *iudicialis* et *extraiudicialis*. Cfr. *Pirhing* l. II. t. 30. n. 11. sq.; *Zallinger* eod. tit. 30. §§ 457. 458. 460.

115. Variarum confirmationis *species* etiam *diversos* producunt *effectus*.

I. Confirmatio *in forma couuuni* non mutat naturam *statuti* confirmati, sed in propria sua specie v. g. *statutorum Capituli* vel *Synodi dioecesanarum*, *decretorum Concilii provincialis*, *decisionum SS. Congregationum* relinquit. *Neque valoreu statutis tribuit*, si illa forte sint *invalida*, sed *extrinsecus* ipsis conciliat maiorem auctoritatem; quatenus remouet dubia et oblocutiones et faciliorem efficit executionem; v. g. producit aliquam *praesumptionem* actus rite gesti, vel maiorem *securitatem partium*, inter quas actus gestus est, vel maiorem *fiduciam* Praelati, qui ius suum exercet. Imo confirmatio in forma communi alias valide et legitime data, etiamsi cadat in decretum *invalidum* v. g. Concilii provincialis non plane *inutilis* est dicenda. Nam Praelati ecclesiastici obtenta illa confirmatione Concilii provincialis ius suum saltem de facto quaesitum maiore fiducia et sine formidine reprehensionis exercent. Porro si lis oriatur de illo iure quaesito ex confirmatione illius decreti conciliaris, certe Sedes Apostolica pro iudicio est adeunda; at praevia *aperitio oris* a R. Pontifice non est impetranda, ut disceptatio de *valore* talis decreti tantum in forma *couuuni* confirmati *inchoetur*; secus si in forma

(130) Act. S. Sed. vol. XII. p. 165.; Concil. Westmonast. I. (a. 1852.) in Collect. Lacens. t. III. col. 935.; Conc. Remens. I. (a. 1849.) in Collect. Lac. t. IV. col. 135. 102.; *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 142. not. 24.

specifica data fuisset confirmatio (131). E contra confirmatio *in forma specifica transmutat* decretum inferioris legislatoris v. g. Concilii prov. vel S. Congreg. *in legem Superioris* v. g. Romani Pontificis. Insuper si lex inferioris legislatoris *ex sese* non est *valida*, per confirmationem in forma specifica vim atque *valorem* obtinet, nisi in nonnullis casibus, necessario excipiendis (132).

II. Lex *inferioris* legislatoris a Romano Pontifice in forma specifica confirmata *non potest* ab illo inferiore legislatore *mutari* vel abrogari, nisi Romanus Pontifex hanc singularem facultatem expresse vel tacite (133) concedat. Quodsi confirmatio a Rom. Pontifice *tantum* in forma communi data sit, inferior legislator *statutum* confirmatum *mutare* atque adeo abrogare *non prohibetur*; at iudicium de ipsa confirmatione data a R. Pontifice *in forma communi secundum se*, scl. num sit v. g. vera vel falsa, legitima vel illegitima, non spectat ad inferiorem Praelatum, sed ad R. Pontificem. Cfr. Conc. plenar. Baltimor. III. (a. 1884.) n. 317. sq.; *Pirhing* l. c. n. 15.

III. Lex *particularis* confirmata a Romano Pontifice etiam in *forma specifica*, non extenditur ad universam Ecclesiam, sed afficit solummodo territorium vel personas, pro quibus lata est, nisi expresse ab ipso Romano Pontifice vel tacite per generalem consuetudinem ad universam Ecclesiam extendatur (134).

IV. *Privilegiorum confirmatio* si fit in forma communi, *iuri existenti* robur quoddam *addit*, at *ius* sive privilegium *ablatum* non restituit; si vero datur in *forma specifica* tantam habet efficaciam, ut *aequivaleat primae* concessioni et privilegia quoque amissa restituat. Ab huiusmodi confirmatione iuridica distinguenda est mera *innovatio physica* documentorum, in quibus scripta erant privilegia. Nam tali innovatione etiam in forma legitima facta ius non acquiritur neque restituitur.

116. Scholion. Principia de confirmatione exposita utiliter ob oculos habentur in tractatu de infallibili magisterio Rom.

(131) *Reiffenstnel* l. c. n. 6.; Conc. Westmonast. I. et Conc. Rem. I. l. c. iunct. *Vering* l. c. et *Nilles*, Comment. in Conc. plenar. Baltimor. tert. P. I. p. 36. sq. 41. sq.; *Zallinger* l. c. §§ 463. sq.

(132) *Schmalzgr.* l. c. t. II. tit. 30. n. 70.

(133) Cap. 8. 9. X. h. t.; *Schmalzgr.* l. c. n. 54.; *Bened.* XIV. l. c. cap. 5. n. 9. 10. 11.; *Zallinger* l. c. § 466.

(134) *Suarez* l. c. l. IV. cap. 6. n. 10.

Pontificis, cum confirmat Concilium oecumenicum vel provinciale vel decreta S. Congregationis (cfr. *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. XIII. cap. 3. n. 1. 2.; *De Angelis* l. c. l. I. tit. 31. n. 10. 11. 12.), in quaestione de valore decretorum disciplinarium Conc. provinc., quae aut solo rescripto S. C. recognoscuntur vel approbantur aut litteris apostolicis sive in forma communi sive in forma specifica. Cfr. *Bened. XIV.* l. c. n. 3. et cap. 5.; *Collect. Lac.* t. I.-VI. incl.

§ 8. DE CESSATIONE ET ABROGATIONE LEGUM ECCLESIASTICARUM.

117. *Lex ecclesiastica cessat ab intrinseco*, si finis illius etiam intrinsecus *adaequate pro communitate* cessat (135). Hinc si *finis* legis ecclesiasticae tantum *ex parte* cesset, lex ipsa non fit *inutilis* ideoque manet. Neque *universa* lex tollitur, si forte solummodo *speciales* quidam *articuli* vel paragraphi finem non amplius habeant, sed *solis* illis articulis specialibus derogatur, manente in reliquis legis vigore. Cfr. R. I. 37. in Sext. Denique *totaliter* lex *ecclesiastica* non aufertur, nisi pro *tota communitate* finis legis cesset. Hinc si in *singulari* tantum *subdito* finis legis cessat, manente fine quoad ceteros, per se ne iste quidem singularis subditus a legis *obligatione* eximitur, nisi agatur de casu, quo a legis observantia *excusatur*. Quo in casu excusationis *lex proprie non cessat*, sed potius huiusmodi *casus in lege ecclesiastica non est comprehensus* (136).

118. Quemadmodum *omnis lex humana* valide et iuste ab extrinseco sive per legislatorem auferri potest, ita *etiam leges ecclesiasticae* suo tempore *ablationi* per competentem legislatorem ecclesiasticum *obnoxiae* sunt, dummodo iusta adsit causa veraque utilitas communitatis (137). Quae ablatio si

(135) *Suarez*, De leg. l. VI. cap. 6. n. 1. cap. 9.; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. t. I. p. 426. sq. 318. sq. Si *Scherer* l. c. t. I. p. 16. hanc doctrinam communcin et certam videtur impugnare, non utitur solidis rationibus. Cfr. Act. theol. Oenip. t. XI. p. 338.

(136) *Suarez* l. c. cap. 6. n. 3. sq., cap. 7. 8.; *Scherer* l. c. p. 176. asserit: « *Epikieiam ius non agnoscit* », sed huius assertionis contra sententiam communem, ut ipse fatetur, prolatae positivum solidunque argumentum non affert. Cfr. quoque *Reiffenstuel* h. t. n. 379. sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 44.; *Gasparri*, De matrim. n. 302. 623. 965.; *Sanguineli* l. c. n. 81. sq.; *D'Annibale* l. c. n. 177. sq.; *Cathrein* l. c. t. I. p. 415. sq.

(137) Cap. 8. X. de consang. IV. 14.; Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 2. 4. de ref. matr.; *Suarez* l. c. cap. 25. 26. 27.; *Reiffenstuel* h. t. n. 484. sq.; *Scherer* l. c. § 25. not. 4.

sit totalis legis revocatio directe a competente Superiore facta, dicitur *abrogatio*; sed *derogatio* est *partialis* legis revocatio; *subrogatio* vero vocatur *additio* ad legem iam existentem; denique *obrogatio* habetur, si lege *contraria* lex tollitur.

Legislatores ecclesiastici et *proprias* et suorum *praedecessorum* et *subditorum* leges abrogare possunt; nequit vero *inferior* legislator legem *Superioris* abrogare (138).

Lex *posterior* ecclesiastica *priorem* abrogare (139) potest et de facto abrogat, si habeat expressam clausulam abrogantem legem priorem aut illi directe sit opposita, ita ut non sublata priore lege nova lex efficiatur plane inutilis et inefficax. Quare lex *generalis posterior* legem *generalem priorem* sibi *directe* contrariam omnino abrogat, etiamsi prioris legis in posteriori expressa mentio non fiat (140). Eodem modo lex *specialis* prior lege speciali posteriore et priori directe contraria tollitur. At lex *specialis prior* v. g. in aliquo concordato lata, nisi expresse commemoretur, subsequente lege *generali* non aufertur, quoniam generi per speciem derogatur (141), multoque magis lex *specialis posterior* derogat priori legi *generali* (142).

Abrogatio legis ecclesiasticae, quae fit *nova lege contraria*, sane requirit promulgationem, sine qua nova obligatio imponi nequit. Quodsi abrogatio in simplici consistit revocatione legis prioris, ad avertenda scandala et incommoda ea publica huius revocationis propositio et divulgatio est necessaria, quae promulgationi omnino aequiparatur. Cfr. *Suarez* l. c. l. VI. cap. 27. n. 14.: *Schmalzgr.* h. t. n. 51.

§ 9. DE EXCUSATIONE ET DISPENSATIONE IN LEGIBUS ECCLESIASTICIS.

119. Ut universa lex ecclesiastica sive per cessationem ab intrinseco sive per abrogationem ab extrinseco i. e. a legislatore tolli potest, ita pariter *manente generatim lege ecclesiastica* in casibus *particularibus* maiori minorive ambitu *obligatio*

(138) Cap. 6. 10. 12. X. h. t.; cap. 9. 16. X. de maior. I. 33.; cap. 2. de elect. l. 3. in Clem.; cap. 20. X. de elect. l. 6.; *Suarez* l. c. cap. 26.; *Schmalzgr.* h. t. n. 53. 54. 55.

(139) *Reiffenstuel* h. t. n. 484. sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 52.

(140) Cap. 1. h. t. in Sext.; *Reiffenstuel* l. c. n. 519. sq.

(141) Cap. 1. h. t. in Sext.; R. l. 34. in Sext.

(142) Cap. 1. X. de rescript. l. 3.

vel efficacia legis *auferri* vel *suspendi* potest. Quod si fit ab intrinseco ex natura rei et ipsa voluntate legislatoris *ab initio* iam manifestata, habetur *excusatio* a lege ecclesiastica; at si quis non iam ex natura rei et ex primitiva voluntate legislatoris a lege ecclesiastica eximitur, sed propter *causam quandam sufficientem*, ad quam *accedat* necesse est *nova voluntas* legislatoris relaxantis vinculum legis, *per dispensationem* (143) vel *privilegium* contra ius concessum a legis observantia etiam permanentemente eximi potest.

120. *Dispensatio* etiam in foro ecclesiastico *definiri* potest: Relaxatio legis ecclesiasticae in casibus *particularibus* a competente Superiore ecclesiastico *ex causa* speciali et sufficiente facta. Ex qua definitione facile deducitur, quod dispensatio differat a declaratione iuris, epikeia, absolute, licentia simplici, privilegio (144).

Dividi potest dispensatio legis ecclesiasticae:

I. in *debitam* (iustitiae) sive necessariam et in *permissam* (145) (gratiae) sive voluntariam;

II. in *expressam* et *tacitam* ratione *formae*, qua datur (146);

III. in *directam* et proprie dictam et in *indirectam* et minus propriam (147);

IV. in *unicam* vel *multiplicem*, datam in *diem* vel in *perpetuum* (quae potius privilegium est), *totalem* vel *partialem*.

121. Cum *primis* Ecclesiae *temporibus* Praelati ecclesiastici accuratam urgerent canonum observationem (148), *prima ex-*

(143) *Thomassin.*, Vet. et nova Eccles. discipl. P. II. lib. 3. cap. 24.-29., ubi agit de historia dispensationum; *Pyrrhus Corradus*, Praxis dispensation.; *Suarez* l. e. l. VI. cap. 10. sq.; *Phillips* l. e. t. V. §§ 210. sq.; *Scherer* l. e. p. 172. sq.; *Hinschius* l. e. t. III. p. 744. sq. 789. sq.

(144) *Suarez* l. e. l. VI. cap. 10. n. 9. sq. cap. 12., ubi seite *materiam* sive verum *obiectum strictae* dispensationis assignat et exponit i. e. *legem (humanam)*, l. VIII. cap. 2. n. 10.; *Pyrrh. Corradus* l. e. l. I. cap. 1.; *Pirhing* l. e. l. V. tit. 33. n. 5.; *Schmalzgr.* h. t. n. 56. sq.; *Reiffenstet* h. t. n. 449. sq.; *D'Annibale* l. e. n. 230. sq.

(145) Quam divisionem *Hinschius* l. e. t. III. p. 837. sine solido fundamento earpit; *Putzer* l. e. p. 81. sq. n. 59. Cfr. *Suarez* l. e. cap. 11. n. 1. sq., ubi recenset varias divisiones dispensationis ratione diversorum *effectuum* legis v. g. ratione vineuli principalis legis i. e. *obligationis* in *suspensionem* legis et in *exemptionem* a lege, porro ratione *poenae* v. g. iam contractae ob transgressionem legis.

(146) *Ferraris*, Bibl. v. *Dispensatio* n. 6. sq.; Reg. 51. Cancell. Apost.; *Suarez* l. e. cap. 13.

(147) *Schmalzgr.* h. t. n. 56., Dissert. prooem. n. 76. 77. 81. i. f.

(148) *Freisen*, Geschichte de can. Ehreclits p. 891. sq.; *Stiegler* in Arch. f. k. K. t. 77. p. 3. sq. (de historia dispensationum). Quare exinde

empla dispensationum in historia ecclesiastica sunt illa, quibus *post* legem ecclesiasticam non servatam ex benignitate Ecclesiae conceditur, ut quis iure suo de facto tantum quaesito in posterum etiam legitime utatur (149). Ita v. g. Melchisedes Papa a. 313. indulget, ut Episcopi Donatistarum a Maiorino consecrati ordinis episcopalis honorem et exercitium retinerent (150). At non desunt paulatim dispensationes verae, in quibus relaxatio legis per Superiorem ecclesiasticum concessa *praecessit* factum legis non observatae. V. g. Carolus M. a. 794. in Synodo Francofordiensi cum Episcopis communicavit illam concessionem sibi factam, quod ex indulto Rom. Pontificis permissum esset, ut Angilramnus, Episcopus Metensis, et Hildeboldus, Episcopus Coloniensis, a lege residentiae dispensati in palatio regali permanerent (151). Denique ut constat ex Ivone Carnutensi (152), quod posset "*praecedere auctoritate praesidentium... dispensatio* „ vel in ipsa theoria (153) admissum est. Nihilominus quamplurimis exemplis collectionibus Decretalium insertis facile probari potest etiam illo tempore dispensationes "*ex post* „ maxime fuisse usitatas (154). Successu temporis Sedes Apostolica saltem difficiliore dispensationes etiam disertis et expressis verbis sibi reservavit (155). At non sunt admittenda ex tempore medii aevi dissidia inter duas opiniones vere controversas, quae nonnisi tandem aliquando *saeculo decimo octavo* fuerint di-

patet assertam illam *absolutam* potestatem Episcoporum dispensandi in iure communi ex sese non satis solide factis historicis comprobari (cfr. *Thomassin.* l. c. cap. 24. n. 14.), ut recte etiam tenet *Stiegler* l. c. p. 28. Cui rationi accedit, quod illis temporibus nequaquam *tot* materiae iure quodam *universali*, sed potius *particulari* essent ordinatae. Quo in iure *particulari* sane Episcopi praesertim in Conciliis congregati facilius dispensare poterant.

(149) *Thomassinus* l. c. cap. 24. n. 20.

(150) Cfr. quoque c. 56. Dist. 50. = ep. *Siricii Pap.* (a. 385.); c. 1. Cone. Valent. (a. 376.); c. 1. Cone. Agath. (a. 506.); *Thomass.* l. c. cap. 24.

(151) *Thomassin.* l. c. cap. 26. n. 2.; *Stiegler* l. c. p. 22. sq. 29. sq. etiam antiquioribus insistit exemplis; at non omnia videntur esse plane ad rem.

(152) In prologo ad Decret. apud *Migne*, P. L. CLXI. 51.

(153) *Scherer* l. c. p. 173. asserit "*doctrinam medii aevi* „ *negasse* (?) potestatem *legislativam* Episcoporum eisque tamen *vindicasse* potestatem *dispensandi*. Cfr. *Grat.* Dist. 13. 14.; dict. ad c. 5. C. l. q. 7.; cap. 2. X. de M. et O. l. 33.; cap. 2. h. t. in Sext.; *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 4.

(154) Cfr. de dispensationibus matrimonialibus: *Wernz*, Ius Decretal. t. IV. n. 606. sq.

(155) Cap. 17. 18. X. de fil. presbyt. l. 17.

remptae. Nam *abusus* non paucorum Praelatorum et *oscitan-tes assertiones* doctorum rem indubitata non efficiunt dubiam. Cfr. *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. II. cap. 1. 2.

122. Relaxatio a lege ecclesiastica concedi potest aut ex potestate *propria* ab eo, qui legem tulit vel Superiore eius, aut potestate *derivata*, quam ipse legislator vel eius Superior inferiori Praelato concessit iure ordinario vel delegato exercendam. Illa potestas *propria* exercetur *valide* etiam *sine causa* a Superiore ecclesiastico in *propriis* legibus vel in statutis suorum praedecessorum vel Praelatorum inferiorum. At inferior Praelatus potestatem propriam dispensandi in legibus Superioris *per se* omnino nullam habet, potestatem vero *derivatam* dispensandi, quae ipsi forte iure *ordinario* vel *delegato* concessa est, *valide* tantum exercere potest intra ambitum facultatis expresse vel tacite concessae et ex iusta causa. Cfr. cap. 4. X. de reg. iur. V. 41.; Concil. Trid. Sess. XXV. cap. 18. de reform. (156).

Romanus Pontifex in legibus *divinis* sive naturalibus sive positivis absolute latis vere valideque dispensare *non potest*. Praecepta vero iuris *naturalis*, quae *pendent* in sua obligatione praeeptiva a *priori consensu voluntatis humanae* et ab efficacia illius ad aliquid agendum, possunt a Romano Pontifice vi potestatis suae *vicariae* a Deo *speciatim* concessae ex iusta causa dispensari, at non *directe* ac praecise auferendo *obligationem* legis naturalis, sed *mediante* aliqua *remissione*, quae fit ex parte *materiae* (157). Ita v. g. Romanus Pontifex *nomine Dei remittit* debitum ortum ex voluntate humana in *voto* aut dissolvit vinculum matrimonii rati per contractum matrimonialem effectum, atque exinde *consequenter cessat* obligatio iuris naturalis. Quare recte monet *Suarez*, De leg. l. II. cap. 14. n. 11., quod huiusmodi remissiones *in rigore non sint dispensationes iuris naturalis*, sed potius *vocari* dispensationes, quia fiant per quandam *remissionem* ex potestate iurisdictionis.

(156) *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. XIII. cap. 5. n. 7.; *Suarez* l. c. l. VI. cap. 14. 15.; *Reiffenstuel* h. t. n. 478. sq.

(157) *Suarez* l. c. l. II. cap. 14. l. X. cap. 6., De virt. et statu relig. tract. VI. l. 6. cap. 9. tract. VII. l. 6. cap. 16. n. 11., ubi ex verbis Christi: *Quodeunque solveris etc.*, de potestate dispensandi R. Pontificis hoc deducit principium: *« Inde habetur, quidquid natura sua indissolubile non est per publicam potestatem, et ab ipso Christo non est prohibitum solvi, per potestatem Petro datur solvi posse, quia ab universali Christi locutione non exceipere possumus, nisi quod vel natura sua exceptum est, vel Christus ipse excepil ».* *Schmalzgr.* h. t. n. 56.-57.; *Pesch* l. c. t. V. n. 547.

Quando autem lex naturalis obligat ex vi solius rationis in materia *independenti* a priori consensu *voluntatis humanae*, etiam Romano Pontifici omnimoda potestas dispensandi est subducta. Cfr. *Suarez* l. c. n. 25.

Verumtamen R. Pontifex in omni lege mere ecclesiastica (158) sive *sua* sive suorum praedecessorum sive inferiorum Praelatorum atque adeo Conciliorum oecumenicorum vel Apostolorum valide etiam sine causa iusta *dispensare potest*, ad licitam autem dispensationem cecedendam causam iustam et proportionatam habeat necesse est (159).

Episcopi in *suis* suorumque praedecessorum legibus etsi in Synodo dioecesana latis etiam absque iusta causa valide dispensare possunt (160). Cfr. *Benedict. XIV.*, De Synod. dioec. lib. XIII. cap. 5. n. 7. Neque ex legitima consuetudine quidquam videtur obstare, quominus in *casibus particularibus* super decretis Concilii provincialis vel plenarii valide et licite dispensent (161), dummodo iusta interveniat causa.

Verum in legibus *universalibus* Ecclesiae dispensare ne-

(158) Cfr. c. 6. C. l. q. 7. (*Gelasius* a. 494.); cap. 4. X. de concess. praeb. III. 8.; cap. 13. X. de restit. spol. II. 13.; *Bened. XIV.* Const. « *Magna* » 29. Iunii 1748.; *Pii VI.* Responsio ad Metropolit. German. cap. 4. (14. Nov. 1789.); *Suarez*, De leg. I. VI. cap. 12. 14. n. 2.; *Reiffenstuel* h. t. n. 455. sq.; *Hinsehius* l. e. t. III. p. 792. sq.

(159) Rom. Pontifex illam potestatem dispensandi exereat aut per se in causis gravioribus aut per officiales suos in Curia Romana constitutos aut per delegatos extra Curiam v. g. per Episcopos, quibus non raro vi facultatum annualium, triennialium, quinquennialium ampla potestas dispensandi conceditur. Cfr. *Scherer* l. e. p. 174. sq.; *Martin*, Collectio dom. Conc. Vatie. p. 154. sq.; Aet. theol. Oenip. t. XV. p. 550. sq.; *Putzer* l. c. p. 1. sq.

(160) *Schmalzgr.* h. t. n. 55.; *Suarez* l. e. I. VI. cap. 15. n. 8. 9. 10. *Putzer* l. c. p. 70. et *Tepe* l. c. n. 414. sq.

(161) Profecto Archiepiscopus, qui decreta Concilii provincialis *abrogare non* potest, etiam super iisdem decretis in *universis* dioecesibus suorum Suffraganeorum dispensare nequit; etenim neque ex natura rei neque expressa iuris concessione neque usu recepto huiusmodi facultas ipsi competit. Cfr. *Suarez* l. c. n. 5. 6. 7.; *Benedictus XIV.* vero l. e. n. 8. licet recte asserat Episcopos « *non eo... iure, quo... dioecesanae* », constitutionis vincula relaxant, posse etiam decretum Concilii provincialis relaxare, tamen nequaquam generaliter Episcopis negat facultatem inesse dispensandi super decretis Concilii provincialis, sed potius ratam habet doctrinam *Suaresii* l. c. n. 2. 4. 7., ubi expresse ius illud dispensandi Episcoporum sustinet et probat. Cfr. quoque *D'Annibale* l. c. n. 231. not. 7.; *Scherer* l. c. p. 174.; *Putzer* l. c. p. 35. sq.

queunt (162), nisi in casibus expresse vel tacite iure ordinario permissis (163) aut speciali delegatione concessis.

Parochi quoque ex probata consuetudine dispensant saltem in legibus ieiunii et observantiae festorum, si agatur de casibus particularibus et transeuntibus (164).

123. *Dispensatio* cum sit actus iurisdictionis, nequit concenisi di subditis (165). Quare *Legati* Sedis Apostolicae dispensare possunt cum incolis suae provinciae, *Episcopi* imprimis cum propriis suis *dioecesanis* (166), *Praelati regulares* saltem exempti quasi episcopalem iurisdictionem possidentes cum religiosis sibi subditis (cfr. S. C. C. in caus. ord. Praemonstr. 15. Dec. 1725. in ed. *Richt.* C. Trid. p. 471.), *parochi* in casibus permissis cum suis parochianis. Denique praesertim supremus Superior atque is, qui ex eius commissione potestatem *generalem* dispensandi habet, *secum ipse* tum *indirecte* tum etiam *directe* dispensare potest; nam dispensatio est actus iurisdictionis *voluntariae*, quae *distinctionem* personarum non necessario requirit (167). Dispensationis concessio ut valeat, ei, cui facta est, *intimari debet*. Cfr. S. C. super discipl. reg. 15. Mart. 1892. in Act. S. Sedis, vol. XXVI. p. 320. Porro inquirendum est, utrum dispensatio alicui solummodo competat ratione *territorii*, an *directe personae* sit concessa.

124. Quoniam ad *licitam* dispensationem semper requiri-

(162) *Suarez* l. c. l. VI. cap. 14. n. 3. sq.; *Reiffenstuel* h. t. n. 463. sq.

(163) Cap. 59. X. de elect. l. 6.; cap. 4. § 1. X. de iudic. ll. 1.; cap. 29. X. de sent. exeomm. V. 39.; cap. 34. de elect. l. 6. in Sext.; cap. 1. de fil. presbyt. l. 11. in Sext.; Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 6. de reform.; *Reiffenstuel* b. t. n. 466. sq.; *Scherer* l. c. p. 174. sq.; *D'Annibale* l. c. n. 231.; *Putzer* l. c. p. 83. sq.

(164) De iure parochorum dispensandi non solum attendenda sunt, quae theoretice de illo tradunt moralistae (cfr. *Buceeroni*, Inst. theol. mor. vol. I. p. 97.; *D'Annibale* l. c.), sed etiam statuta Synod. dioec. et provincial. Cfr. Conc. provinc. Neogranat. a. 1868. in Collect. Lac. t. VI. col. 535-539.

(165) *Schmalzgr.* h. t. n. 60. 61.; *Suarez* l. c. l. VI. cap. 12. n. 6. 7. 10.; *Putzer* l. c. p. 63. sq.

(166) Quae potestas dispensandi Episcoporum sese etiam extendit ad *advenas* eum quasi domicilio in dioecesi *existentes* (cfr. declar. S. C. Inq. 22. Nov. 1865. et S. C. de Prop. Fid. 19. Sept. 1861. et 13. Martii 1886. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1466. 1467.) et ad *vagos* in dioecesi actu commorantes, imo aliqua ratione etiam ad *peregrinos*, qui territorium dioecesanum ingressi fuerint. Cfr. *D'Annibale* l. c. n. 232.; *Putzer* l. c. p. 70.

(167) *Suarez* l. c. n. 8. sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 61.; *Scherer* l. c. p. 174. sequitur sententiam huic communi veterum canonistarum doctrinae contrariam, sed solidis rationibus suam opinionem non probat.

tur *causa iusta* et proportionata (168), Superiores ecclesiastici dispensare *non solent*, nisi *petitio veritate nitatur* saltem tempore executionis gratiae. Invalida igitur est dispensatio, si falsitas vel error committatur in allegatione *obiecti* et causae *motivae* dispensationis atque generatim in iis, quae ex stylo curiae *essentialiter* requiruntur. Cfr. c. 20. X. de rescript. I. 3. Quae causa, ut *valida* sit dispensatio, saltem *obiective* existere debet, etsi non fuerit in supplicatione allegata; at ex praecepto Ecclesiae *licita* non est dispensatio, nisi causa allegetur et cognoscatur. Imo ne *valida* quidem est dispensatio, si causae cognitio expresse ad valorem dispensationis requiratur. Id, quod nunc non amplius fieri solet. Quare cognitio causae manet obligatoria, sed si desit, dispensatio non irritatur (169).

Forma, qua dispensationes *petuntur* et *conceduntur*, ordinarie est *scriptura*. Cfr. h. tom. I. tit. VI. de rescriptis n. 148. sq.; *Suarez*, De leg. l. VI. cap. 13. n. 4.; *Putzer* l. c. p. 48. 88. At licet scriptura *generaliter* ad *valorem* vel *licitatem* dispensationis non requiratur, sed tantum sit aliquo modo necessaria pro faciliore et meliore *probatione*, tamen "*secundum regulam ordinariam* „ per telegraphum in Curia Romana vel Curii Episcoporum non sunt petendae dispensationes aliaeque gratiae. Cfr. Litt. encycl. Secret. Stat. 10. Dec. 1891. iunct. resp. S. C. Inq. 14. Aug. 1892. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 2189. 2192. Praeterea *generalis* lex ecclesiastica non existit, qua prohibeatur *petitio* dispensationis a *tertia* persona *sine* mandato, vel concessio eiusdem favoris *ex motu proprio*; at difficiliiores dispensationes v. g. super professione religiosa a R. Pontifice sine petitione personali oratoris concedi non solent. Cfr. *Suarez* l. c. n. 5. sq.

125. *Facultas* dispensandi *generaliter* data sive ordinaria sive delegata ad universalitatem causarum (170), quae tertiae cuidam personae non praeiudicat, cum sit favorabilis et praeter ius concessa, *latam* admittit interpretationem. Ipsa vero *dispensatio* particularis cum sit *vulnus legis* et contra ius concessa, *strictae* est interpretationis. Cfr. *Reiffenstuel* h. t. n. 451. sq. Quare facultas quoque dispensandi cum aliquo in particulari,

(168) Conc. Trid. Sess. XXV. cap. 18. de ref.; *Schmalzgr.* h. t. n. 12; *Suarez* l. c. l. VI. cap. 18. 19.

(169) *Suarez* l. c. cap. 21.-24.; *Putzer* l. c. p. 80 sq.

(170) *Suarez* l. c. l. VI. cap. 17. n. 11.; *Putzer* l. c. p. 11. sq.

sive delegatio fiat ad petitionem partis vel delegati, sive determinatae personae, sive electio personae committatur dispensando, est concessio stricti iuris; nam huiusmodi concessio est moraliter ipsa dispensatio ideoque pariter strictae interpretationi est obnoxia (171).

126. *Dispensatio legis ecclesiasticae cessat :*

I. *Revocatione.* Quae revocatio a *proprio legislatore* facta, dummodo dispensatio revocationis capax sit, etiam *sine* iusta causa, *valida*, sed *illicita* est. Quodsi dispensatio a delegato ad particularem dispensationem etiam ex iusta causa revocetur, huiusmodi revocatio est nulla et irrita (172). Nam in illo delegato post *concessam* dispensationem potestas delegata omnino est extincta. At si inferior Praelatus ex iure ordinario sive ex delegatione ad universalitatem causarum dispensationem in lege Superioris concessit et ex *iusta* causa revocavit, valida est revocatio, quia potestas illa dispensandi post actum concessionis factae non fuit sublata. Invalida vero dicenda est revocatio dispensationis, si ab eodem Praelato inferiore absque iusta causa fiat; etenim Superior ad istam revocationem non censetur dedisse facultatem (173).

II. *Renuntiatione* illius, cui dispensatio data est, si insuper in iis obligationibus, quae ex *lege*, non ex voluntate nostra initium et statum capiunt, renuntiatio a Superiore ecclesiastico competente *acceptetur*.

III. *Fine* dispensationis *totaliter cessante*, v. g. propter morbum plane sublatum, ipsa quoque dispensatio *cessat*, si habeat tractum *successivum* atque *absolute* data non sit (174). At dispensatio non cessat propter non usum aut usum contrarium aut novam *dispensationem validam*, quae cum priori dispensatione consistere nequit aut propter discessum a territorio dispensatoris, si dispensatio fuerit perpetua.

(171) *Suarez* l. c. n. 2. sq. ; *Putzer* l. c. p. 74. sq.

(172) Cap. 38. X. de off. et pot. iud. del. l. 29. ; *Putzer* l. c. p. 65. sq.; *Rosset*, De matrim. n. 2469.

(173) *D'Annibale* l. c. n. 77. not. 55. n. 235. ; *Suarez* l. c. l. VIII, cap. 37. n. 10. 16.

(174) *Suarez* l. c. l. VI. cap. 20. Quae *Hinschius* l. c. t. III. p. 799. contra hanc sententiam profert, aut non sunt ad rem aut solido fundamento carent.

§ 10. DE INTERPRETATIONE LEGUM ECCLESIASTICARUM.

127. Interpretatio (175) generatim est *explicatio* (manifestatio, significatio) *sensus in lege lata ab initio iam contenti sive comprehensi* (176). Qua ratione omnis interpretatio vera potest dici *comprehensiva*; manifestat enim sensum ab initio verbis legis comprehensum, nec *extenditur* ultra verba legis ad casus a legislatore in lege ferenda *non* comprehensos. Sensu autem stricto interpretatio simpliciter dicitur explicatio sensus *dubii* et *obscuri* legis latae. Denique sensu latiori appellatur interpretatio etiam omnis explicatio sensus *verborum* legis latae in se *clarae* per alias *voces* vel *sententias clariore*s. Quae interpretatio sensu latiori accepta apud antiquiores scriptores audit *declaratio*, ut distinguatur ab *interpretatione* i. e. simpliciter et sensu stricto intellecta, imo quandoque specificè "*comprehensiva* „ appellatur. Quare interpretatio, quae per se nihil novi statuit, sed tantum manifestat, quod ab initio fuit in lege, habet *vim retroactivam* (177). Quodsi fiat de lege vere *dubia* et *obscura*, certe etiam *promulgatione* indiget (178).

128. Interpretatio *dividitur*: I. Ratione *causae efficientis* in *authenticam* sive necessariam et in *directivam* sive non necessariam. Interpretatio *authentica* est illa, quae *obligatorio* modo ab auctoritate *publica* proponitur, atque *generalis* est, si omnibus subditis *generali lege* scripta vel vero iure consuetudinario praescribitur; *particularis* vero dicitur, si tantum inter partes v. g. per sententiam *iudicalem* ius facit. *Directiva* vocatur illa interpretatio, quae ex sese vim obligantem non

(175) *Fagnan.* in eap. 12. X. de iudiciis II. 1., eap. 13. X. de const. l. 2.; *Reiffenstuel* h. t. n. 351. sq.; *Suarez* l. e. l. VI. eap. 1.; *Arndts-Serafini* l. c. §§ 6. sq.; *Scherer* l. c. t. l. p. 12. sq.; *D'Annibale* l. c. n. 184. sq.; supra h. tit. not. 66.

(176) Pius V. Const. "*Sanctissimus* „ 20. Aug. 1566. *declaravit* Cone. Trid. Sess. XXIV. eap. 4. de ref. Cfr. Decret. Clem. P. VIII. p. 158. sq.; Sixt. V. Const. "*Cum frequenter* „ 22. Iun. 1587.; *Sebastianelli*, Praelect. iur. ean. t. l. p. 41.: "*Declarativa interpretatio*, (quam distinguit ab *extensiva* tum *pure extensiva* tum *merè comprehensiva*) *est simplex explanatio verborum legis, quae aliquam obscuritatem vel ambiguitatem continent* „.

(177) Cfr. cit. Const. in not. 176. h. t.

(178) *Suarez* l. c. l. VI. eap. 1. n. 3.; *S. Alphons.* l. c. l. I. n. 106. 200.; *D'Annibale* l. c. not. 5.

habet, atque aut *doctrinalis* est, si fit a viris doctis iuxta leges iurisprudentiae, eamque habet vim, quam rationum pondus postulat, aut *usualis*, si moribus populi est introducta actua-lem tantum constituens *observantiam*, non ius consuetudinarium.

II. Quodsi interpretatio ratione *modi* et *effectuum* dividitur in *translativam* (cfr. cap. 8. X. de verb. sig. V. 40.), *declarativam* sive *comprehensivam*, *correctivam*, *restrictivam* (179), *extensivam* (180), sola interpretatio comprehensiva sive *declarativa*, quae est explicatio legis dubiae et obscurae secundum proprium verborum sensum, revera est interpretatio. At per modestiam quandam etiam illa explicatio legis vocatur interpretatio, quae secundum proprietatem verborum data non est, sed aliquam *mutationem* legis habet admixtam (declaramus et statuimus), sive per *extensionem ultra proprium* sensum verborum ab initio in lege non contentum sive per *restrictionem* infra verborum sensum (181).

III. Denique si apud recentiores scriptores interpretatio dividitur in *grammaticalem*, *logicam*, *historicam*, *systematicam*, non fit vera divisio interpretationis, sed potius indicantur media, quibus ad perfectam interpretationem pervenitur. Cfr. *D'Annibale* l. c. n, 184².

129. Cum interpretationis fundamentum sit *textus* authenticus sive *genuinus*, *integer* sive purus, explanationi textus praecedat necesse est *critica* textus inquisitio. Quae si versetur circa auctorem, aetatem, authenticam, integritatem legis, vocatur *critica realis*; si sola verba textus expendat atque errata variis adminiculis adhibitis corrigat, dicitur *critica verbalis*. Criticae (182) usus in explicandis libris Decretalium summopere est limitatus, tum criticae realis, quia unumquodque caput vi insertionis in collectionem authenticam pariter factum est authenticum, tum criticae verbalis praesertim quoad partem dispositivam, quae propter textum ex

(179) Cap. unic. de cleric. coniug. III. 2. in Sext.

(180) Cap. 1. X. de iuram. calum. II. 7.; cap. 6. 61. X. de sent. excom. V. 30.

(181) *Suarez* l. e. n. 3. et n. 9. 11. de propriet. multipl. verbor.; *Wernz* h. tom. 1. n. 144. not. 52. Cfr. v. g. S. C. C. declarat. 13. Mart. 1879. et 17. Mart. eiusd. anni a Leon. XIII. confirmatam de inefficacia matrimonii civilis producendi impedimentum publicae honestatis.

(182) Quae critica sane adhiberi potest quoad inscriptiones et chronologiam capitum, quae non raro mirum in modum sunt corruptae. Cfr. corpus iur. can. ed. *Friedberg* P. II. proleg. p. 35.; *Kinh* l. c. p. 120. sq.

officio a Gregorio XIII. constitutum nonnisi moderate adhiberi potest (183). Postquam secundum solida principia artis criticae textus est definitus, explicationi locus esse potest secundum regulas scientiae, quarum summa vocatur hermeneutica iuris canonici.

130. Legem ecclesiasticam *authentice* interpretari potest aut *ipse legislator* aut eius *successor* vel *Superior* competente *iurisdictione* praeditus, aut is, cui *potestas* interpretandi facta est a legislatore vel illius competente Superiore etiam quoad potestatem legiferam. Cfr. cap. 31. X. de sent. excom. V. 39. Quare imprimis *Romanus Pontifex* ex praerogativa infallibilitatis sibi divinitus concessae et pro plenitudine suae iurisdictionis non solum iuris canonici sive humani, sed etiam divini in Ecclesia est *authenticus* interpres. Congregationes quoque Cardinalium amplis facultatibus a Sede Apostolica instructae sunt *leges ecclesiasticas* interpretandi et exequendi. Cfr. Sixti V. Const. "*Immensa* „ 22. Ian. 1588. in hac re non immutatam per const. "*Sapienti consilio* „ Pii X. At nequaquam omnes interpretationes Congregationum Romanarum *ea ratione* dicendae sunt *authenticae*, quasi omnes *indiscriminativum* vim legum *universalium* habeant. Cfr. *D'Annibale* l. c. P. I. n. 184. not. 5.

Patriarchae vel *Primates* vel *Metropolitae* iurisdictione ad interpretandas leges Episcoporum suarum provinciarum per se non gaudent. Cfr. *Suarez* l. c. l. VI. cap. 1. n. 2. Interdum vero in *Conciliis Provincialibus* datur facultas interpretandi conciliaria decreta aut soli *Metropolitano* aut cum consilio vel consensu *Suffraganeorum*, salva semper auctoritate Sedis

(183) Cfr. cap. 1. X. de sacram. l. 16. et Innocent. IV. l. c. in hoc cap. 1. et Glossam v. *Subdiaconatus* (*diaconatus*?) et *Gasparri*, De sacr. ordin. n. 1037.; cap. 1. X. de plus pet. II. 11. "*qui repetunt amplius sine causa* „ (*qui re petunt amplius sive causa*?); cap. 10. X. de testib. II. 22. "*publicatis instrumentis* „ (*publicis instrumentis*?); cap. 19. X. de usur. V. 19. "*usurarius (non?) est censendus* „ iunct. *Schmalzgr.* in cit. tit. 19. de usur. n. 135. et *Zech*, De iure rer. eccl. sect. 4. § 363. et *S. Raymund.*, Summa l. II. t. 7. § 5.; Concil. Trid. Sess. VII. cap. 13. "*nominati a quibusvis* „ (*nominati quibusvis*?), cfr. ed. Roman. Cone. Trid. a. 1564. et *Giraldi* l. c. P. II. sect. 27.; cap. 15. § 1. X. de haeret. V. 7. "*voluerint* „ loco "*no luerint* „ (?); *Hiuschius* l. c. t. V. p. 385. not. 1. p. 680. not. 10.; cap. 5. X. de reb. III. 13., ubi pro "*conditionem* „ alii legunt "*venditionem* „; cap. 2. X. de cler. pug. V. 14. legitur "*defensione* „, eum in textu originali. c. 8. D. 50. legatur "*assensione* „; *Rigauti* in Reg. C. Ap. 1. § 2. n. 4 et *Hiuschius* l. c. t. III. p. 145. not. 4. loco "*suspensionem* „ legunt "*susceptionem* „.

Apostolicae (184). Denique *iudicibus* quoque ecclesiasticis inest potestas declarandi ius ad decidendas causas particulares.

Doctrinalis interpretatio iuris canonici per se cuilibet privato est permessa iuxta regulas sanae iurisprudentiae, nisi *specialis* adsit *prohibitio*. Huiusmodi specialis prohibitio existit de publicandis *commentariis* in decreta *Concilii Tridentini* iuxta tenorem et ambitum Pii IV. Constit. “ *Benedictus Deus* „ 26. Ianuar. 1564. (185).

131. Cum de legis ecclesiasticae interpretatione agitur:

I. *Verba* secundum *propriam* significationem sive ex usu communi *iuris* receptam una cum contextu primo loco consideranda sunt (186). Quae si sensum *clarum* et *perfectum* habent, illis standum est; eo enim in casu verba voluntatem legislatoris manifestant, ideoque scopus interpretationis legis est obtentus. Hinc orta sunt illa axiomata: “ *Verba clara non admittunt interpretationem nec voluntatis coniecturam; verba generalia generaliter sunt intelligenda; ubi lex non distinguit, neque nos debemus distinguere; indefinita locutio aequipollet univ ersali* „ (187).

II. Quodsi verba legis ecclesiasticae *dubia* sint et *obscura* aut *plus* aut *minus* videantur dicere quam legislator voluit, sensum legis sive voluntatem legislatoris certe sufficienter non manifestant. Quare *ex dispositione iuris ad intentionem* sive voluntatem sive mentem *legislatoris alio modo* vere *manifestam* recurrendum est. Hinc R. I. 88. in Sext.: “ *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem* „; cap. 6. X. d. V. S. V. 40.: “ *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus* „, atque in summario hu-

(184) Cfr. Collect. Lacens. v. g. t. VI. col. 212. Concil. (Ravennat. a. 1855.); col. 473. (Concil. Neogranat. a. 1868.); t. V. col. 152. (Cone. Vienn. a. 1858.); col. 335. (Cone. Coloc. a. 1860.); col. 401. (Cone. Prag. a. 1860.); col. 784. (Cone. Ultraieet. a. 1865.); t. IV. col. 258. (Cone. Turonen. a. 1849.); col. 533. 581.

(185) Suarez l. c. l. VI. cap. 1. n. 2. sq.

(186) Suarez l. c. n. 7. sq.; Seherer l. c. t. l. p. 13. sq.; D' Annibale l. c. n. 184².

(187) S. R. C. 6. (10.) Maii 1826. ad 1. respondit: “ *Caeremoniale Episcoporum interpretatione non indiget et sub respectivis capitibus aperte declarat, a quo et qua veste induto deferenda sit crux; nimirum etc.* „. “ *Verbum hoc si quis, iam masculos quam feminas complectitur* „ = L. 1. D. d. V. S. L. 16.

ius capitis dicitur: *Verba sunt intelligenda, non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis* „.

Quo recursum ad mentem legislatoris aliis modis manifestam fiet, ut *verba* dubia et obscura simplicem accipiant interpretationem *declarativam* aut fortasse *restrictivam* vel *ampliativam*.

Voluntas autem sive intentio legislatoris ex *triplici* fonte cognosci potest:

1. Ex *materia* sive *obieto* (188) legis. Unde regulae illae ortae sunt in materia favorabili: “ *Odia restringi et favores convenit ampliari* „ = R. I. 15. in Sext.; “ *In poenis benignior est interpretatio facienda* „ = R. I. 49. in Sext.; “ *In obscuris minimum est sequendum* „ = R. I. 30. in Sext.; “ *In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima interpretatio facienda est* „ = cap. 16. X. d. V. S. V. 40.

2. Ex *ratione* legis (189), si de ea *certo* constet v. g. ex ipso legis tenore, si apta et *adaequata* sit et *unica, specialis* et *positiva*, non tantum *generalis* et *negativa*. Quo principio innuntantur regulae: *Ubi eadem est ratio, ibi eadem debet esse iuris dispositio* „; “ *De similibus idem est iudicium* „. At *ratio* legis non est *lex*.

3. Ex *comparatione* et *connexione* totius legislationis canonicae (cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 6. de ref.), praesertim si ipsae leges ecclesiasticae insinuant priores canones esse consulendos. Cfr. Concil. Trid. Sess. V. cap. 1. 2. de ref., Sess. VI. cap. 1. de ref., Sess. VII. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 9. 10. de ref., Sess. XIV. cap. 6. de ref., Sess. XXIII. cap. 16. de ref.: “ *Vestigiis sexti canonis Concilii Chalcedonensis inhaerendo* „. Huc spectant regulae: “ *Exceptio a regula firmat regulam in aliis* „; *In omnibus causis potior esse debet ratio aequitatis quam stricti iuris* „. Cfr. Suarez l. c. n. 18.

(188) Suarez l. c. n. 17.; D'Annibale l. c. 184³. sq.

(189) Suarez l. c. n. 19.; Reiffenstuel h. t. n. 505. sq.; Schulte, D. Lehre v. d. Quellen. p. 186.; D'Annibile l. c. n. 188., ubi recte monet eam ex *ratione* legis interpretationem legis esse petendam; Arndts-Serafini, Lehrb. d. Pandekt. §§ 5 sq.

Scholion I.

De verborum significatione (190).

132. Ut singulae scientiae sua habent artis vocabula, ita etiam in iure ecclesiastico reperiuntur formae loquendi et scribendi a *communi usu* alienae solisque iuris peritis cognitae. Quae artis vocabula (191) cum frequenter in fontibus atque disputationibus canonicis occurrant, ad meliorem legum interpretationem sunt cognoscenda, sed potius in introductione saltem generaliter videntur esse explicanda, quam secundum imitationem quandam iuris Romani (192) in appendice libri quinti Decretalium, ut fit secundum ordinem legalem. Manifestum enim est universam illam disputationem de significatione verborum cum quaestionibus *de interpretatione* legum ecclesiasticarum supra expositis intime esse connexam atque eam ob causam hoc loco convenienter posse breviter expediri (193).

Verbum h. t. (194) sumitur pro omni dictione significativa, quaecumque pars orationis sit, sive nomen, pronomen, adverbium etc., atque potest esse affirmativum vel negativum, singulare et particulare, indefinitum vel generale. Ipsa vero *significatio* verborum alia est *propria* (195), alia vero *impropria* et *abusiva*. Porro *propria* dicitur illa, quae correspondet primitivae institutioni ideoque etiam *naturalis* vocatur; quodsi successu temporis communi usu et consuetudine primitiva significatio mutatur, haec ipsa nova significatio usu recepta

(190) Decretal. Gregor. IX. lib. V. tit. 40. de verb. signif.; Decretal. Bonif. VIII. cod. lib. t. 12. d. V. S.; Clement. eod. lib. t. 11. d. V. S.; Extravg. Ioann. XXII. tit. 14. d. V. S.; *Schmalzgr.* l. c. l. V. tit. 40., ubi recte duo ultimi tituli libri quinti dicuntur: " *Appendix pro toto iure canonico* ", cum libro quinto non sint proprii, sed *omnibus libris communes*.

(191) De postulatione, de postulando, de iurisdictione privativa et cumulativa, censura, novale.

(192) Dig. L. 16. de verbor. signif.

(193) Ita iam *Zech*, Praecognita §§ 416. sq.

(194) *Schmalzgr.* l. c. n. 2. 3.; *Zech* l. c.; *D' Annibale*, Summula P. I. n. 20. sq.

(195) Quodsi verba etiam in legibus ecclesiasticis maxime sunt attendenda (cfr. *Gonzalez Tellez* l. IV. tit. 20. ad cap. 6. n. 12), imprimis ratio habenda est *proprietas* verborum (cfr. cit. cap. 6. i. f.); attamen in iure canonico ab argutiis iuridicis est abstinendum.

lit propria et naturalis significatio (196). Denique civilis vel *iuridica* verbi significatio dicitur, quam verbum habet speciali acceptatione vel fictione legum vel canonum, v. g. si ii, qui statum mutaverant, dicebantur improprie “*capite minuti*”.

Principia generalia de significatione verborum tenenda supra hoc titulo § 10. de interpretatione legum ecclesiasticarum magna ex parte exposita sunt atque ex iure Romano h. t. et capitibus iuris Decretalium h. t. et sequenti de R. I. accurata lectione facile cognosci possunt (197).

Item singularia verba, quae in iure canonico propriam quandam significationem stricte iuridicam habent, h. t. non completa quadam ratione, sed potius exempli causa enumerantur. Quare significatio quamplurimorum vocabulorum canonicorum ex propria sede materiae est eruenda aut ex lexicis iuridicis et canonicis petenda (198).

133. Inter vocabula artis in iure canonico speciali quadam commemoratione dignae sunt *clausulae* (199), quae *legibus* ecclesiasticis, *rescriptis* atque *actibus legitimis* apponi solent.

Et clausula quidem, ut ipsum nomen iam insinuat, dicitur appendix legis vel rescripti vel actus legitimi, qua de ipsius firmitate vel extensione vel modo aliquid statuitur.

Hoc loco sane non est agendum de clausulis in variis actibus legitimis v. g. in testamentis vel contractibus neque de clausulis rescriptorum (200) et dispensationum. Maxime vero in legibus Rom. Pontificum huiusmodi clausulae sunt attendendae. Quae clausulae secundum *positionem*, quam in lege occupant, sunt aut *narrativae* aut *dispositivae* aut *executoriae*. Secundum rem *contentam* modo sunt *salvatoriae* (201), modo *abrogatoriae*, modo *daunatoriae* (202). Referuntur quoque ad modum *publicationis* (203) vel *fidem* copiarum (204) vel *vaca-*

(196) Qua ratione non pauca verba significationem mutarunt. v. g. ex usu nunc recepto verbum “*parochiae*” non amplius denotat *diocesim*. Cfr. Scherer l. c. t. l. p. 13.; Suarez l. c. l. VI. cap. 1. n. 7. sq.

(197) Cfr. quoque Schmalzgr. l. c. n. 6. sq., ubi 24 huiusmodi regulas enumerat; Zech l. c. §§ 420. sq.; Scherer l. c. p. 13. sq.

(198) Laurin, Introductio in corp. iur. can. p. 234. 277.

(199) Barbosa, Tract. de clausulis usu frequentioribus; Ferraris, Biblioth. v. Clausulae Apostolicae; Putzer l. c. p. 16. sq.

(200) Cfr. tit. de rescript. ; Putzer l. c. p. 101. sq.

(201) Cap. un. i. f. de censib. III. 10. in Extravg. com.

(202) Cap. 3. de elect. l. 3. in Extravg. com.

(203) Cap. unic. de furtis V. 5. in Extravg. com.

(204) Cap. 2. de reliq. III. 12. Extravg. com.

tionem (205) aliaque similia. Denique secundum *effectus* dicuntur suppletoriae, irritantes, absolutoriae, restrictivae, extensivae, dispensatoriae, accessoriae.

Cum nihil *inutile* in legibus sit habendum, idcirco *clausulae* nequaquam ut flosculi rhetorici, sed ut *verae leges* praecedenti legi sunt adiectae. Quare si de *authentia* clausularum constat, quae facile cognosci potest, cum clausulae in legibus pontificiis soleant esse stabiles, atque novae et insolitae sint suspectae, unice de *extensione* clausularum quaestio potest moveri. Quae quaestio, praesertim si lex complectatur plures partes vel paragraphos, non ex sola *positione* clausularum, sed ex universo tenore legis inspecto est resolvenda (206).

De singulis clausulis ex professo disputare non vacat, sed potius adeundi sunt scriptores supra allegati; solummodo paucae clausulae in legibus pontificiis speciali modo sunt commemorandae: I. " De plenitudine potestatis „. – II. " Ex certa scientia „. – III. " Motu proprio „. – IV. " Non obstantibus Constit. et Ordinationib. Apost. vel aliis contrariis quibuscumque „ vel " Non obstantibus statutis „ talis Ecclesiae etc. – V. " Decernentes irritum et inane etc. „. – VI. " Sublata cui libet aliter iudicandi atque interpretandi facultate „ (207).

Scholion II.

De regulis iuris (208).

134. Quodsi unaquaeque ars, ut constat ex scholio praecedente, sua habet artis vocabula, similiter scientia iuris *regulas*

(205) Coneil. Trid. Sess. XXIV. cap. 1. de ref. matr.

(206) Quod cap. 41. pr. X. de appellat. II. 28. de *rescriptis* iustit. statuitur, merito etiam ad *leges extenditur*. Cfr. exemplum practicum in Aet. theol. Oenip. t. VI. p. 610. sq., ubi explicantur clausulae Constitutionum, quibus Pius IV. Coneil. Trid. confirmavit.

(207) *Bened. XIV.*, Inst. ecel. 60. aliique auctores duas ultimas clausulas nimis rigide videntur explicare, praesertim quatenus ex illis clausulis argumenta petunt contra Concilium Tridentinum consuetudines non posse introduci. Cfr. S. C. C. in caus. Alban. 18. Sept. 1824., 3. Sept. 1825. iunet. *Zilelli*, De Disp. matrim. p. 12. sq.; *Suarez*, De leg. I. VII. cap. 19. n. 18. sq.; praesertim *Biederlack* in Aet. theol. Oenip. t. VI. p. 438. sq. 608. sq. et speciatim p. 615. sq.

(208) De regulis iuris in *genere* breviter et solide disputat *Zech* l. e. §§ 427. sq.; accurate singulas regulas iuris exponunt: *Causius*, Summa iur. can. in append. " Commentar. in regulas iuris libri VI. „; *Pirhing*, Synopsis i. f. lib. V. tit. 41.; *Reiffenstuel* l. e. post lib. V. in proprio comment.; *Maschal*, Inst. can. i. f. libri V. Cfr. quoque *Suarez*, De virt. et stat. relig. tract. VIII. l. 1. cap. 1. n. 1. sq.

quasdam fundamentales sive axiomata sequitur. Ius canonicum ab ista praxi non est alienum atque suas adoptavit regulas sive paroemias iuris.

Regula iuris universim spectata *definiri* potest: Sententia generalis, quae plures canones agentes de diversis rebus eandem rationem habentibus brevi ac claro compendio complectitur atque proponit.

Si huiusmodi regulae ipsa auctoritate legislatoris sunt constitutae, uti factum est in compilationibus authenticis Gregorii IX. et Bonifacii VIII., *vim legum* habent et vocantur *authenticae*; aliae, quae a doctoribus et scriptoribus communi quodam consensu traduntur, sunt mere *doctrinales* (209) atque ex sese vi iuridica carent.

Porro regulae iuris duplici modo considerari possunt (210), aut ut *principia* iuris, quibus decisiones vel constitutiones firmanantur, aut ut *consequentiae* iuris, quae ex decisionibus vel constitutionibus deductae et collectae fuerunt.

Ut *consequentiae* iuris spectantur regulae iuris in collectionibus authenticis Gregorii IX. et Bonifacii VIII. ideoque praeeunte Imperatore Iustiniano ultimo titulo fuerunt reservatae. Nam ut Paulus dicit in L. 1. Dig. d. R. I. L. 17.: “ *Non ex regula ius sumatur, sed ex iure, quod est, regula fiat* „. At licet regulae iuris ex anteriore iure sint deductae, tamen ab ipsis quoque legislatoribus canonicis ut *normae* sive *principia* sive rationes decisionum passim in collectionibus authenticis applicantur (211). Quare sub hoc respectu, qui videtur esse *potior*, regulae iuris ab initio in tractatione de fontibus sive principiis iuris canonici inter subsidia interpretationis convenienter recensentur (212).

Dividuntur regulae iuris :

I. Ratione *originis* et auctoritatis in *authenticas* et *doctrinales*.

II. Ratione autem *materiae* distinguuntur in *continunes* (213),

(209) V. g. Lex posterior generalis non derogat priori speciali, nisi expresse illi derogetur.

(210) *Zeeh* l. c. § 429. ; *Reiffenstuel* l. c. De reg. iur. prooem. n. 2. sq.

(211) Cfr. R. I. 18. in Sext. et cap. 29. X. de elect. l. 6.

(212) Hinc recte iam *Zeeh* agit in Praeogn. l. c. de regulis iuris.

(213) R. I. 18. in Sext. : “ *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit* „. Cfr. cap. 29. X. de elect. l. 6. ; R. I. 68. 72. in Sext. : “ *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum* „. Cfr. cap. 30. X. de elect. ; R. I. 29. in Sext. : “ *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari* „. Cfr. cap. 7. § 6. X. de off. archid. l. 23. ; cap. 35. de elect. l. 6. in Sext. : “ *Tempus non currit legitime impedito* „.

quae ad quamvis iuris canonici materiam sese extendunt, et in *particulares*, quae ad determinatam tantum materiam referuntur. Quae regulae particulares denuo subdividuntur in *iudiciales* (214), *beneficiales* (215), *morales* (216). Denique regulae morales (?) iterum distinguuntur in praeceptorias (217) et permissorias (218) et prohibitorias (219).

In *usu regularum iuris* unaquaeque iuxta genuinum ipsarum sensum est applicanda neque unquam extendenda ad casus, qui in iure iam speciatim sunt decisi, et in quibus ratio aperta est in contrarium. Perversa igitur est regulae applicatio, si quod de certa et determinata materia est statutum, id ad quamlibet aliam materiam trahatur, aut si circumstantiae personarum, loci, temporis non attendantur. At recte quoque iam *Canisius* l. c. p. 498. sq. *Iacobi Cuiacii* sententiam reiecit, secundum quam ex regula iuris nonnisi levia et pernicioosa argumenta deduci possunt. Neque *Cuiacius* exemplis a se allatis rem intentam probavit; etenim non attendit in casibus allegatis (v. g. regula est, inquit, invito beneficium non datur; at libertas beneficium est, et tamen invito datur) contra regulas militare *ius expressum* aut *apertam rationem* in contrarium.

Atque haec de regulis iuris sufficiant; quamvis enim singularum regularum cognitio et memoria sit utilissima, tamen accuratior explanatio dari non potest, nisi specialis conscribatur tractatus. Cfr. *Schmalzgr.* in prooem. ante lib. V. tit. 40. Quare consulendi sunt *Reiffenstuel*, *Pirhing*, *Canisius* l. c. in not. 208. h. t.

(214) Cap. 5. 8. X. de for. comp. II. 2. : non : * *Actor forum rei sequi debet* *.

(215) R. I. 1. in Sext. : * *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri* *. Cfr. quoque R. I. 87. in Sext. cum cap. 11. X. de excessib. praelat. V. 31. ; cap. 5. X. de instit. III. 7. ; cap. 15. X. de decim. III. 30.

(216) Quae vox licet a compluribus scriptoribus v. g. a *Zech* adoptetur, minus videtur apta, quemadmodum etiam subsequens divisio, quae potius est divisio generalis regularum iuris ratione *effectuum*, non subdivisio tantum certae speciei regularum iuris.

(217) Cap. 12. X. de homicid. V. 12.

(218) Cap. 3. X. de sent. excom. V. 39.

(219) R. I. 58. 59. in Sext. ; cap. 15. 16. X. de rescript. I. 3. Cfr. *Zech* l. c. 430. sq.

Scholion III.

De praeceptis ecclesiasticis.

135. Finita disquisitione de *legibus* ecclesiasticis in genere pauca subiungere iuvat de *praeceptis*, quae non raro etiam in foro Ecclesiae (220) habent practicam applicationem (221).

Praeceptum generatim definiri potest: Iussum ad tempus vel in perpetuum singularibus personis aut absque perpetuitate toti communitati publicatum.

Praeceptum cum sit iussum, tantum *ab iis* dari potest, qui in alterum tanquam *subditum* habeat veram auctoritatem iubendi *aut privatam* ex potestate *dominativa* sive naturali v. g. maritali, parentali, herili sive religiosa v. g. Abbatissa ex professione religiosa monialium, *aut publicam* vi potestatis *iurisdictionis* sive ecclesiasticae sive civilis. Praeterea praecceptum detur necesse est de *obiecto iusto, honesto, possibili* etc. atque ei, cui imponitur, est *publicandum*, sicuti supra h. tit. n. 96. sq. de legibus ecclesiasticis explicatum est, Denique praecceptum sicuti lex etiam *invito* imponi potest. Qua re differt a *mandato*, quod *subordinationem* in mandatario necessario non supponit, sed *liberam* acceptationem mandati, ex qua oritur obligatio. At pariter liquet inter legem et praecceptum in foro quoque ecclesiastico multiplicem esse *differentiam*.

Etenim lex ecclesiastica necessario ferenda est vi potestatis *iurisdictionis* (222); at praecceptum licet a Praelato debita iurisdictione ecclesiastica munito dari *possit*, tamen etiam a Superiore vi solius potestatis *dominativae* potest imponi. Porro unaquaeque lex essentialiter requirit, ut condatur propter *bonum commune* neque unquam ordinari valet ad solum commodum privatum legislatoris; vicissim natura rei non obstat, quominus saltem praeccepta *quaedam* imponantur propter commodum *privatum* personae iubentis v. g. heri (223).

(220) Cfr. de foro civili: L. 1. sq. D. quod iussu XV.; L. 1. sq. C. quod cum eo IV. 26; L. un. C. X. ne sine iussu principis IX. 48.; *Holtzeudorff*, *Rechtslex.* v. v. *Befehl, Mandat*.

(221) *D'Annibale*, *Summula* P. I. n. 248. sq.; *Lehmkuhl*, *Theol. mor.* t. I. n. 72.; *Lega*, *De iudiciis ecel.* t. III. p. 96. sq.

(222) *Suarez*, *De leg.* l. I. cap. 8., l. IV. cap. 6. n. 12.; supra h. tit. n. 94.

(223) *Suarez* l. e. l. I. cap. 7.; *Schmalzgr.* l. I. tit. 31. n. 33. sq.

Deinde natura legis exigit, ut detur *communitati* ET *in perpetuum*, sed praeceptum imponi potest *singularibus personis* sive ad particularem quendam actum perficiendum sive ad certum tempus v. g. ad sex menses vel annum vel ad vitam personae praecipientis; imo etiamsi iniungatur ad bonum commune toti communitati ad actum quendam transeuntem vel ad certum tempus, naturam verae legis non induit (224). Praeterea lex directe afficit *territorium* illoque mediante personas; ad praeceptum directe ligat *personas* (225).

(224) Suarez l. c. 1. I. cap. 7. 10. n. 6. sq.; Paetti l. c. p. 15.

(225) Cap. 2. de const. l. 2. « *Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtum extra ipsius dioecesim committentes minime ligari noscuntur, cum extra territorium ius dicenti non pareatur impune* ». Quo ex principio evidenter consequitur legem *localem* pro limitato territorio latam propter defectum potestatis in Superiore non obligare subditos extra illud territorium actu et absque fraude versantes. Cfr. *Benedict. XIV.*, De Synod. dioece. l. XIII. cap. 4. n. 9. 10; Suarez, De leg. l. III. cap. 32.; *Pirhing* h. t. n. 55. Controvertitur autem, num praeceptum impositum ita personis inhaereat, ut obliget subditum extra territorium etiam quoad effectum incurrendi censuram praecepto adnexam. Quae obligatio a nemine negari potest, si praeceptum imponatur per potestatem certo territorio non alligatam v. g. a R. Pontifice, Superiore regulari, patrefamilias, aut detur in vim pacti vel promissionis v. g. obedientiae eanonicae vel religiosae pariter independentis a territorio. Cfr. *D' Annibate* l. c. n. 249.; Suarez, De virt. et stat. relig. tract. VIII. l. 2. cap. 8. At non est in dubium voeanda, licet praeceptum ab illo Praelato ecclesiastico detur cuius iurisdictio *tegifera* ipso territorio finiatur, ut cum communiore et probabiliori sententia reete tenent: Suarez, De censuris disp. V. sect. 5. n. 18.; S. *Atptons.* l. c. l. VII. n. 23.; *Pirhing* h. tit. n. 59. sq. aliique v. g. *Laymann*; aliter *D' Annibate* l. c. n. 249.; *Lega* l. c. p. 101. not. 1. eum aliis. Nam solummodo statutum sive *lex* afficit subditum ratione *territorii*, *praeceptum* vero eum directe liget *personam*, eam sequitur, quocumque discedat; hinc subditus cum extra territorium ligetur praecepto, etiam ligatur censura forte praecepto apposita. Nec efficax est duplex ratio a *D' Annibate* l. c. et *Lega* l. c. opposita. Non prior, qua quasi per argumentum ad hominem ex *Suaresio* l. c. hanc assumunt probationem: « *Ratio autem generatis vel particularis non variat iurisdictionem* »; nam si absque insertione minus accurata verbi legis (post vocabulum « generalis ») sumatur sensu a *Suaresio* intento et ad scopum ab ipso praefixum, i. e. quod valet de *particulari praecepto*, merito etiam extenditur ad *generate praeceptum*, fundatam non suppeditat probationem, quia ex ratione *generatis legis* perperam arguitur ad *particulare praeceptum*; nam lex est *territorialis*, praeceptum autem *personate*. Hinc etiam claudicat altera ratio philosophica: Quod non continetur in toto, id est in potestate *ferendi leges*, in *parte* contineri absurdum videtur. Nihil enim absurdi habetur, quod certae species facultatum in *genere* iurisdictionis episcopalis contentae eo modo adhiberi possint, qui in alia quadam *specie* non est permissus; v. g. extra territorium

Sunt multi doctores, qui communiter inter legem et praeceptum etiam illam statuunt differentiam, quod sublata potestate iurisdictionis in legislatore per mortem vel alium modum legitimum nihilominus *lex permaneat*, sed resoluta (vel suspensa) iurisdictione et multo magis potestate dominativa in persona iubente *praeceptum penitus expiret* (226) (vel suspendatur). Quae sententia facile admitti potest *de facto* in communibus casibus propter *defectum voluntatis* in Praelato iubente (227) sustinendi obligationem praecepti etiam post resolutam propriam potestatem, v. g. si praecepto apponatur clausula: “ *Ad beneplacitum nostrum* „, quod certe morte Praelati expirat; at ista theoria videtur fundamento solido carere, si *absolute* et *generaliter* propugnetur propter defectum *potestatis ex natura rei* petitum, etiamsi Superior gaudeat potestate *praecipendi* in vim verae potestatis *iurisdictionis* ecclesiasticae (228).

Nam *ex natura rei* Superior ecclesiasticus v. g. Episcopus *perfecta iurisdictione* in foro externo praeditus ita singulari-

suus Episcopus proprio subdito potest concedere *absolutionem*, nequit autem ibidem exereere iurisdictionem *contentiosam*. Porro quod expresse in iure *prohibitum* est (cfr. eit. cap. 2. h. in Sext.) quoad exercitium potestatis *legiferae* in se *perfectioris*, sed *territorialis*, id perperam transfertur ad potestatem mere *praeceptivam* in se *minus perfectam*, sed *personalem* atque expresso quodam iure hac in re potestati legiferae non aequiparatum.

(226) Suarez l. e. l. I. cap. 10. n. 9. sq. 12., De cens. disp. V. cap. 5. n. 18.; D'Annibale l. e. n. 249.; Lehmkuhl l. e. n. 72.: “ *Praeceptum vero natura sua (?) transitorium est et corrumpit saltem eum Superiore ac propterea, ut perduret, per se innovatione opus est* „.

(227) Praelatus enim in suo regimine merito dicitur sese conformare communi praxi et doctrinae, nisi aliud expresse significet; praeterea si in praecipiendo *forma legis* non utatur, quae *natura sua* est perpetua, sed per simplex *praeceptum* sine speciali clausula reete censetur tantum aliquid statuere pro tempore sui regiminis, non absolute pro futuris temporibus. Cfr. Suarez, De leg. l. e. n. 12., De cens. disp. III. sect. 4. n. 11. 12.; Lega, De iudiciis eel. t. III. p. 100. sq.

(228) Sunt Superiores etiam in foro ecclesiastico, qui *ex sola potestate dominativa* dare possunt *praecepta* v. g. Abbatissae monialium vel Praepositi institutorum laicorum; alii autem Superiores regulares licet suis subditis *etiam vi iurisdictionis ecclesiasticae praecipere* possint, tamen *ordinarie* id facere nequeunt per modum *legis* a se latae. Cfr. Suarez, De virt. et stat. relig. tract. VIII. l. 2. cap. 1. n. 15. cap. 8. n. 2. sq. 4. sq., De leg. l. I. cap. 10. n. 12., ubi tenet praeceptum Praelati, qui careat potestate *legifera*, pariter eum morte ipsius extinguui; sed aliquantulum haesitat in illa assertione, quod cessatio praecepti talis Praelati non solum *ex voluntate*, sed etiam *ex defectu potestatis* proveniat.

bus personis saltem potest imponere praeceptum, ut etiam post mortem suam perduret, donec a successore revocetur. Nam si Superior universae *communitati* valet condere *legem* post mortem suam duraturam, a fortiori *singulis subditis poterit* (229) imponere *praeceptum* morte ipsius non exstinguendum. Porro ex altera parte Superiores etiam ecclesiastici quandoque sufficienter videntur significare suam voluntatem sese *de facto* velle subditum suo praecepto obligare absolute ad tempus *certum* vel *indeterminatum* ultra resolutionem propriae potestatis per mortem vel alium modum legitimum factam, v. g. si apponatur clausula: “ *Ad beneplacitum Sedis Apostolicae* „ (230). Praeterea rationes quoque intrinsecae ex vigore *disciplinae* ecclesiasticae petitae et ipsa *forma* et *scopus* praeceptorum ad *externum* (231) regimen dioecesis ordinatum independenter a resolutione vel suspensione potestatis in Praelato iubente, idem omnino videntur suadere. Nam huiusmodi praecepta omnibus attentis merito aequiparantur sententiae iudiciali absolute latae, sed sententia iudicialis vim habere non desinit nec suspenditur, si in iudice, qui illam tulit, potestas resolvatur vel suspendatur (232). Praeterea si ex *natura rei* ista praecepta cessarent, etiam R. Pontifex suo *praecepto* non posset apponere clausulam, ut valeat etiam post ipsius mortem. Id, quod plane falsum est, cum plures

(229) *Snarez*, De leg. l. I. cap. 10. n. 11.; *D’Annibale* l. e. n. 249. not. 9. *illam possibilitatem* omnino concedunt.

(230) *Bizzarri*, Collect. p. 210. sq. ex Secretaria pro negot. interiorib. Status pontif. 21. Febr. 1838. et 5. Sept. 1839. * *Li preeetti ingiunti dai Tribunali ordinarii non possono durare oltre il termine stabilito nelle sentenze di condanna o nell’atto dell’ingiunzione del preeetto medesimo. Nei casi di contravvenzione durano per quel tempo che sono gli stessi preeetti rinnovati. Qualora poi non siasi prefisso il termine per la durata dei preeetti, essi si considerano cessati dopo il decorso di un anno* *. In nota vero l. e. apud *Bizzarri* p. 211. additur: * *Quamvis suprascripta declaratio facta a Secretaria super negotiis interioribus Status (pontificii) respiciat Tribunalia laicalia, tamen ex ea etiam Tribunalia ecclesiastica normam desumere poterunt* *. Ad eandem sententiam accedit *Lega* l. e. p. 100., praesertim quia S. C. Ep. et Reg. in Instr. 11. Iun. 1880. art. 7. *de preeceptis* eodem sensu videtur ius constituisse atque in allegatis rescriptis laudatae Secretariae, ubi quoad durationem vel cessationem praeceptorum nulla habetur ratio durationis vel cessationis auctoritatis in Superiore praeceptante.

(231) Quid iuris sit de praeceptis in foro *interno*, moralistis relinquimus examinandum.

(232) *D’Annibale* l. e. n. 301. iunct. *Lega* l. e. p. 98. not. 1.

R. Pontifices clausulam istam apposuerint (233). Tandem saltem certa praecepta sunt adeo evidenter ordinata ad conveniens regimen in foro externo, ad scandala vitanda, ad promovendum bonum ipsius subditi, cui data sunt, ut nulla appareat ratio, ob quam dependeant a sublata potestate Superioris praeipientis (234), v. g. si clerico prohibeatur frequentare certam domum vel cauponam etiam extra dioecesim (235).

TITULUS V.

DE CONSTITUTIONIBUS ROMANORUM PONTIFICUM.

(*Lib. I. tit. 2. de const.*)

Praenotiones.

136. Fontes : Cfr. Decret. Grat. Dist. 19. 20. aliosque fontes iur. Rom. et can. allegatos in titulo praeced.; Bened. XIV. Const. « *Gravissimum Ecclesiae* » 26. Nov. 1745.; Leon. XIII. Motus proprius « *Universae Ecclesiae* » 29. Dec. 1878.; Sixti V. Const. « *Immensa* » 22. Ianuar. 1588. cum Declarationib. Sixti V. datis 11. Maii 1588.; Pii X. Const. « *Sapientia consilio* » 29. Iun. 1908.

Scriptores : Commentatores in tit. de const. vel in prolegom. v. g. *Schmalzgr.* l. c. Dissertat. prooem. n. 387. sq. n. 361. sq.; *Stephan. Tornac.* l. c. p. 2. sq. 29. sq.; *Paucapalea* l. c. p. 9. sq. 20.; *Zech*, Praecognita §§ 202. sq. tit. 10. de Constit. Rom. Pont.; *Devoti*, Inst. canon. proleg. §§ 95. sq. 103.; *Phillips* l. c. t. III. §§ 152. sq. t. VI. §§ 319. sq.; *Schuttz*, Die Lehre v. d. Quell. p. 60. sq.; *Scherer* l. c. t. 1. p. 137. sq. 505. sq.; *Hinschius* l. c. t. III. p. 639. sq. 764. sq.; *Suarez*, De leg. l. III. cap. 6., l. IV. cap. 3. 10.; *Bouix*, De principiis iur. can. p. 162. sq. p. 73. sq. 334. sq.,

(233) *Suarez*, De censur. disp. III. sect. 4. n. 11. 12., ubi fatetur doctrinam « *communem* » etiam *expresso quodam in re positivo* non posse probari.

(234) *Legal* l. c. p. 98. sq. 100. sq.; *Droste*, Kirchl. Disc. u. Crim. Verfahr. p. 101. sq.

(235) *Suarez*, De cens. disp. V. sect. 5. n. 18., De leg. l. I. cap. 10. n. 12.; *Lehmkuhl* l. c. t. I. n. 72. Cum non leves sint difficultates *practicae*, si praecepta data a Superiore vita vel officio functo statim expirent, quandoque in ordinibus religiosis per decreta Capitulorum generalium contrarium statuitur, scil. huiusmodi praecepta manere in vigore, donec a successore revocentur. Quo in casu etiam difficultas *theoretica* vitatur; nam praecepta imposita ita prorogantur, non a Superiore mortuo vel officio functo, sed ab ipso ordine religioso, qui, utpote persona moralis, non moritur. Praeterea Capitula generalia religionum clericalium habent *potestatem legiferam* ideoque suis *decretis* indubitanter possunt prorogare praecepta Superiorum.

De Curia Rom. p. 295. sq.; *Grisar* in *Kirchenlex.* t. II. p. 1482. sq. v. v. Bullen u. Breven; *Bresslau*, Handb. d. Urkundenlehre; *Hilgers* in *Stim.* a. M. Laach, t. 57. p. 398. sq. — *Lingen et Reuss*, *Causae selectae S. C. C.* proleg.; *Bangen*, *D. Roemische Curie* p. 74. sq. 426. sq.; *Analect. iur. pont.* t. II. col. 2330. sq.; *Streuter*, *Traité des.... congreg. rom.* p. 477. sq.; *Ferreres*, *La Curia Romana*, p. 523. sq. 535. sq.; *Ojetti*, *De Rom. Curia*, p. 10. sq.; *Monin*, *De Curia Romana*, p. 197. sq. 215. sq.; *Simor* in *Arch. f. k. K.* t. 11. n. 410. sq.; *Lega* *De iudiciis eccl.* t. II. p. 96. sq. 346. sq.

137. I. **Connexio materiae.** Absoluta disputatione de legislatoribus et legibus ecclesiasticis *universim* spectatis ex natura rei convenienter fit transitus ad legesque Ecclesiae *in specie*. Qua in disputatione merito exordium sumitur a legibus *scriptis* et speciatim a Constitutionibus *Romanorum Pontificum*; etenim Sedes Apostolica non solum est inconcussum *fundamentum* universae legislationis ecclesiasticae, sed etiam fons (1), unde in Ecclesia *ordinarie* et *perenniter* praesertim leges *universales* dimanant (2).

II. **Definitio.** Constitutio (3) cum sensu stricto denotet legem a supremo principe latam, in foro ecclesiastico est vera *lex* a Rom. Pontifice vi suae iurisdictionis spiritualis scripto lata. At quemadmodum idem nomen constitutionum sensu lato aliis quoque legibus ecclesiasticis applicatur, ita *Constitutiones Sedis Apostolicae* (4) comprehendunt etiam decreta et responsa a *Congregationibus* Curiae Romanae data.

III. **Divisio.** Constitutiones Romanorum Pontificum dividuntur:

(1) Quae *Bonix*, *De princip.* p. 162. sq. de Rom. Pontifice ut unico fonte iuris canonici asserit, explicatione indigent et distinctione inter potestatem legislativam eiusque subiectum et inter duo suprema subiecta potestatis legislativae non adaequate, sed inadaequate distincta. Item *Scherer* l. c. t. I. p. 138. non satis distinguit iura *subiectiva* a *potestate iurisdictionis*, quae utique a solo Rom. Pontifice ceteris Praelatis ecclesiasticis conceditur; neque recte docet secundum *« theoriā curialisticā »* Romanum Pontificem indiscriminatim *omnis iuris in Ecclesia* esse fontem. Cfr. *Act. theol. Oenip.* t. XI. p. 342. sq.; *Passerini* l. c. in cap. 1. h. t. I. 2. in *Sext.*; *Nilles* in cit. *Act. Oenip.* t. XIX. p. 1. sq. de *« serinio pectoris »* Rom. Pontif. iunct. *Gillmann*, de eadem re, in *A. f. k. K.* t. 92. p. s. sq.

(2) *Phillips* l. c. t. I. p. 65. sq.

(3) *Reiffenstuel* h. t. n. I. sq. Alia nomina legum pontificiarum sunt: Statuta Sedis Apostolicae, decretalia constituta, decreta, decretalis epistola, edictum, sanctio. Cfr. v. g. ep. Sirie. Papae ad Himer. Tarrac. cap. 1. 15. a. 385.; decret. Gelas. I. de libr. recip. cap. 3. a. 495. v. 496.; cap. 34. de praeb. III. 4. in *Sext.*; cap. 8. de conc. praeb. III. 7. in *Sext.*; *Hiuschius* l. c. t. III. p. 683. sq.

(4) *Cone. Vatic. Sess. III. i. f. post canones.*

a) ratione *vis* et *ambitus* in *universales* et *particulares*: *generales* et *singulares* et *speciales*;

b) ratione *occasionis*, qua latae sunt, in *Decreta* sive *Motus proprios* atque in *Decretales* i. e. epistolas sive responsa (5), prout sine aliorum relatione aut nonnisi post relationem quandam factam datae fuerunt; at non raro haec nomina v. g. *Decreta*, *Decretales* promiscue adhibentur (6);

c) ratione *formae* in *Bullas* et *Brevia*, in *Encyclicas* i. e. litteras, in *Chirographa*, in (simplices) *Litteras Apostolicas* (7).

IV. **Notae historicae.** Potestas legislativa, quam Christus Dominus S. Petro concesserat, a Romanis Pontificibus, legitimis S. Petri successoribus, inde iam a primis saeculis etiam exercitata est. Cuius potestatis Romanorum Pontificum primum vestigium habetur in epistola S. Clementis (8) ad Corinthios et multo magis in modo procedendi Victoris (9) Papae contra Polycratem, Ephesinum Episcopum. Maxime vero ex tempore Siricii (10) suprema illa potestas Romani Pontificis fit manifesta, ut patet ex ipsius epistola ad Himerium Tarraconensem (a. 385.). Item Innocentius I. (a. 416.) (11) in epistola ad Decentium Eugubinum edicit “ *ab omnibus debere servari* „, “ *quod a principe Apostolorum Petro Romanae Ecclesiae traditum est ac nunc usque custoditur* „. Non minore vi Zosimus (12) atque praesertim Leo M. (13) et Gelasius (14) suorum *decretorum* observantiam urgent. Hinc mirum non est, quod saltem a saeculo sexto *Decretales Romanorum Pon-*

(5) Constitutionibus Rom. Pontificum, quae continere solent ordinationes pontificias *aliqua* ratione *generales* et *stabiles*, opponuntur *rescripta* Romanorum Pontificum, quibus gratiae et dispensationes conceduntur vel causae particulares definiuntur. At vel ipsis rescriptis auctoritas decretorum generalium inesse potest (cfr. cap. 19. X. de sent. II. 27.), sicut forte in *Bulla* tantum concessio dispensationis particularis continetur.

(6) *Stephan. Tornac.* l. c. p. 2. sq.; *Bouix*, De principiis p. 272. sq.; *Scherer* l. c. § 27. not. 1. sq.

(7) *Bouix* l. c. p. 275. sq.; *Grisar* l. c.; *Bangen* l. c. p. 430. sq.

(8) *Palmieri*, De R. Pont., p. 296. sq.; *Hinschius* l. c. t. III. p. 669. sq. pro suis theoriis protestanticis solido fundamento destitutis de constitutione Ecclesiae Christi neglecta sacra scriptura sibi construit “ *historiam* „ legislationis ecclesiasticae et pontificiae.

(9) Cap. 7. n. 1. cap. 47. n. 6. cap. 59. n. 1.; Act. theolog. Tubing. (a. 1876.) p. 458.

(10) *Euseb.*, Hist. eccl. l. V. cap. 24.

(11) Cfr. c. 11. D. 11.

(12) Epist. ad Hesyeh. (a. 418.).

(13) Epist. ad Episc. per Camp. (a. 443.).

(14) Cfr. c. 3. § 16. Dist. 15.

tificum collectionibus canonum insererentur atque in Conciliis reciperentur (15) tanquam “ *auctoritas* „, contra quam agere esset praesumptio (16). Quare in Synodo Romana (a. 863.) c. 5. generaliter statutum est (17): “ *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholica fide vel ecclesiastica disciplina... a Sedis Apostolicae Praesule salubriter promulgata contempserit, anathema sit* „. Quam doctrinam approbavit Concilium oecumenicum octavum a. 869. Constantinopoli celebratum (18), neque unquam in dubium vocarunt sequentes canonum collectiones usque ad Decretum Gratiani (19) et deinceps.

§ 1. DE DECRETIS VEL DECRETALIBUS ROMANORUM PONTIFICUM.

138. Romani Pontifices vi primatus iurisdictionis habent veram potestatem legislativam supremam et plenam sive stricte monarchicam in universam Ecclesiam; idcirco nulla ratione pendent ad instar regum constitutionalium a consensu vel consilio alicuius collegii aristocratici v. g. Cardinalium vel Episcoporum aut coetus democratici aut principum saecularium placito in legibus ecclesiasticis universalibus valide et licite condendis. Cf. Dist. 19. 20.; cap. 23. X. de privileg. V. 33.; cap. 5. Concilii Lateran. IV. a. 1215.; Concil. Lugdun. II. a. 1274. in confess. fid. Michaelis Palaeologi; cap. 1. h. t. in Sext.; cap. 1. de maior. et obed. I. 8. in Extravag. com.; Bonif. VIII. Const. “ *Unam Sanctam* „; Innoc. VI. Const. “ *Sollicitudo* „, 6. Iul. 1353.; Concil. Florent. a. 1439.; Decret. unionis Graecor.; Concil. Trid. a. 1545.–1563. Sess. XIV. cap. 7. doctrin. Sess. XXV. cap. 21. de reform.; Pii VI. Const. “ *Super soliditate* „, 28. Nov. 1786.; Pii VI. Const. “ *Auctorem fidei* „, 28. Aug. 1794. propos. 2. 3. 6.; Pii IX. Encycl. “ *Quanta cura* „, 8. Dec. 1864. i. f.; Syllab. Pii IX. prop. 20. 34.; Concil. Vatican. Sess. IV. cap. 3.; Suarez, De leg. I. IV. cap. 3.; Bouix, De princip.

(15) Cfr. c. 9. Concil. Agath. (a. 509.); c. 2. Conc. Hispal. II. (a. 619.); c. 2. C. XVI. q. 3.; Saegmueller l. c. p. 109. 70.

(16) Cfr. c. 20. Conc. Turon. (a. 567.); c. 1. Cone. Tolet. III. (a. 589.); c. 17. Cone. Tolet. IV. (a. 633.).

(17) Cfr. c. 18. C. XXV. q. 2.

(18) Pius VI. in cit. Brevi “ *Super solid.* „; Bouix, De princip. p. 184.

(19) Scherer l. c. p. 187. sq. praesertim not. 7. 8., ubi ex ipso modo loquendi Rom. Pontif. recte concludit Decretales pontificias fuisse *veras et universales leges*.

p. 168. sq.; Scherer l. c. t. I. p. 137. sq. p. 187. sq.; Wilmers, De Christi Eccl. p. 16. sq. 148. sq. 260. sq.

139. Ut infallibilitas Romani Pontificis tam late patet quam infallibilitas *Ecclesiae*, ita etiam ipsius potestas *legislativa* in omnia obiecta sese extendit, de quibus *Ecclesia* leges disciplinares condere potest (20). Potestas igitur legislativa R. Pontificis nequaquam est illimitata atque arbitraria; limitatur enim iure *divino naturali* atque *positivo*. Hinc Rom. Pontifex contra ius divinum neque veras dispensationes concedere neque leges condere potest. Porro cum potestas legifera Romano Pontifici data sit in aedificationem, non in destructionem *Ecclesiae*, ipse in legibus condendis imprimis rationem habeat necesse est finis *Ecclesiae* (21), mansuetudinis Christi, supremi legislatoris *Ecclesiae* (22), item singularis indolis atque naturae *Ecclesiae* eiusque constitutionis fundamentalis, denique difficultatum temporum atque nationum indigentiarum. Cfr. *Aichner*, Compend. iur. eccl. § 103.

At minime Romani Pontifices impediuntur, quominus leges ferant contra suorum *praedecessorum* statuta disciplinaria, (cum non habeat imperium par in parem) (23), aut contra ius *commune* antiquitate venerandum et a Conciliis *oecumenicis* vel ab ipsis Apostolis constitutum aut contra ius nationale etiam gallicanum (24). Quodsi sese appellant cu-

(20) Conc. Vatican. Sess. IV. cap. 3. 4.; *Granderath*, Constitutiones dogmaticae Conc. Vatic. p. 220. sq.

(21) Quare Romanus Pontifex leges mere civiles extra Statum pontificium ferre nequit, quoniam extra territorium sui principatus civilis potestate politica mereque temporali caret, atque ipsius iurisdictio spiritualis ad leges civiles condendas sese non extendit. Cfr. cap. 13. X. de iudic. II. 1.; cap. 13. X. qui filii IV. 17.; *Suarez* l. c. l. III. cap. 6.; *Schmatzgr.* h. t. n. 16. Inde tamen nequaquam sequitur Rom. Pontificem non posse declarare *nullas* atque *irritas leges civiles* iuri divino vel canonico contrarias. Cfr. cap. 7. 10. X. h. t. I. 2.; cap. 2. 10. X. de consuetud. I. 4.; *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. IX. cap. 10. sq.; Syllab. prop. 42.; *Hinschius* l. c. t. III. p. 765. sq., ubi affert vera mixta falsis.

(22) Cui indoli legislationis pontificiae sane adscribendum est, quod in foro ecclesiastico iura quaesita, quae nituntur iure communi aut privilegiis vel legitimis consuetudinibus, licet per se a Romano Pontifice pro plenitudine suae potestatis tolli possint, tamen de facto non tollantur, nisi expressa clausula de contrario caveatur. Cfr. supra de clausulis; Reg. Canc. Apost. 18. et *Riganti*, Comment. in Reg. Canc. Apost. in hac Reg. 18.

(23) Cap. 20. X. de elect. l. 6.; cap. 4. X. de concess. praeb. III. 8.; *Bened. XIV.* Const. " *Magnae* " 29. Iun. 1748.

(24) *Bouix*, De princip. l. c. p. 82. sq.

stodes fidei, vindices canonum, eorum observantiam promittunt atque adeo se contra canones agere posse negant, huiusmodi dicta illud optime probant etiam Romanos Pontifices *sine iusta causa* non nisi temere et *illicite contra* disciplinam probatam Ecclesiae *nova condere* statuta (25). At quamvis fieri possit, ut Romani Pontifices leges forte *minus opportunas* brevi tempore a se vel a suis successoribus corrigendas et retractandas (26) condant, tamen nunquam accidit neque unquam fiet, ut lex disciplinaris *rectae fidei et bonis moribus* opposita a Romano Pontifice universae Ecclesiae promulgetur. Nam etiamsi supremus gradus *prudentialis* Romanis Pontificibus in legibus disciplinaribus condendis nullibi est promissus, tamen certe ea gaudent infallibilitate (27), qua gaudet Ecclesia in legibus universalibus de disciplina (28).

Denique si nequaquam quidquid Romani Pontifices vel oraculo vivae vocis proferunt vel scripto (29) promulgant, tanquam *definitiones ex cathedra* vel *leges* (30) ecclesiasticae sint habendae, atque in ipsis definitionibus ex cathedra pars *argumentativa* a doctrina proprie *definita* sit distinguenda, similiter in Constitutionibus Romanorum Pontificum sola pars *dispositiva*, non *historica* vim legis pontificiae habet.

140. Romani Pontifices pro more Apostolorum atque ipsius

(25) Cfr. c. 7. 8. D. 19. cum dict. Gratiani; *Palmieri*, De Rom. Pont. p. 462. sq.

(26) Cfr. retractationes concordatorum factas a Paschali II. a. 1112. et a Pio VII. a. 1813.

(27) Concil. Vatic. Sess. IV. cap. 4.; *Granderath* l. c. p. 190. sq.

(28) Decreta Conc. Constant. a Martino V. (a. 1418.) confirmata apud *Denzinger-Bannwart*, Enchir. n. 581. sq.; Conc. Trid. Sess. XXI. doctr. de com. cap. 2.; Pii VI. Const. « *Auctorem fidei* » 28. Aug. 1794.; *Wilmers*, De Christi Eccles. p. 472. sq.; *Billot*, De Eccles. t. II. p. 148. sq.; *Suarez*, De fide disp. V. sect. 8. n. 7.: « *Hoc intelligendum quantum ad substantiam seu quantum ad honestatem morum; nam quoad circumstantias vel multiplicandi praecepta vel rigorem aut nimias poenas, non est inconveniens aliquando committere aliquem humanum defectum, quia hoc non est contra Ecclesiae sanctitatem, approbare autem turpia pro honestis vel e converso damnare honesta tanquam iniqua repugnat veritati et sanctitati Ecclesiae, et ideo etiam in his non potest errare Pontifex* ».

(29) Extrav. Ioann. XXII. tit. 14. d. V. S. cap. 5.; Benedict. XIV. Epist. ad Arch. S. Dom. « *Redditae* » 5. Dec. 1744. § 41., De Synod. dioec. praef.; *Zeel*. l. c. § 207.

(30) Quare *sententia iudicialis* Romani Pontif. in litibus mere privatis prolata *ordinarie vim legis universalis* non habet, nisi R. Pontifex *intentionem* habeat legem condendi eamque sufficienter *promulget*. Cfr. *Zeel* l. c. § 208.; *Sanchez*, De s. matrim. sacram. l. II. disp. 14. n. 4.

Christi Domini viva voce et sine scriptura leges dare et tradere nullo iure prohibentur neque certae formae sunt adstricti. Hinc ex iure divino naturali et positivo plenam habent libertatem seligendi formam legislationis quam pro diversitate temporum meliorem existimant, dummodo ea semper serventur, quae saltem ex natura rei requiruntur. Cfr. c. 17. C. IX. q. 3.; *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 14. Ex praxi vero recepta ad vitandam iuris incertitudinem ordinarie in forma *epistolae scriptae*, nisi excipias Motus proprios stricta forma epistolari carentes, leges suas promulgant.

Huc spectant *Chirographa* (31), quae sunt litterae apostolicae a Secretario litterarum ad principes vel a Secretario litterarum latinarum in charta ordinario modo scriptae atque a Romano Pontifice propria manu subscriptae.

Brevia sunt litterae apostolicae, quae ex mandato generali vel speciali Romani Pontificis in oblonga et tenui membrana, characteribus ordinariis, lingua plerumque latina exarantur. Praemittitur nomen Pontificis cum numero v. g. Leo PP. XIII.; stylus est simplex, desunt multiplices clausulae Bullarum, data scribuntur secundum calendarium nunc receptum, deest subscriptio Romani Pontificis, sed eius loco Brevia subscribuntur a Cardinali Segretario Brevium (32) atque expediuntur “ *sub annulo piscatoris* „ etiam clausa cum directione adscripta.

Bullae sunt litterae pontificiae apertae sive patentes, scribuntur in forma solemni cum multis clausulis, de rebus gravioribus, ordinarie lingua latina, in magna et crassa membrana, nunc (33) communibus characteribus latinis et datis pro more calendarii antiquorum Romanorum appositis, sed post cit. Mot. propr. Leonis XIII. non amplius appenduntur plumbea numismata, (a quibus Bullae nomen acceperant), nisi pro certis negotiis maioris momenti. Bullae incipiunt cum nomine Romani Pontificis cui numerus non additur, sed illico subiunguntur verba (Pius) “ *Episcopus servus servorum Dei* „; variis in dicasteriis praeparari et registrari possunt, at semper per Cancellariam Apostolicam expediuntur

(31) *Bangen* l. c. p. 430. sq.; *Bouix*, De princ. p. 275. sq.

(32) Benedict. XIV. cit. Const. “ *Gravissimum* „ (in font.) disponit, quae negotia per Secretariam Brevium, quae per Datar. Apost. sint expedienda.

(33) Leo XIII. in cit. Motu propr. 29. Dec. 1878. antiquas litteras teutonicas aliasque solemnitates abrogavit. *Battandier*, Annuaire Pontif. a. 1906. p. 457. sq., a. 1899. p. 499.; *Ferreres* l. c. p. 465. sq. 470. sq.

atque per ipsius officiales subscribuntur (34); solummodo solemnes Bullae, quae dicuntur consistoriales, subscribuntur ab ipso Romano Pontifice atque a Cardinalibus.

141. *Publicatio* Constitutionum Romani Pontificis *Romae* facta *sufficit* (35), neque ex iure divino naturali vel positivo neque de facto ex voluntate Romanorum Pontificum promulgatio in singulis dioecesibus semper (36) requiritur. Quae sententia olim a Gallicanis et Iansenistis et ex parte etiam a nonnullis aliis canonistis in dubium vocata, iam nostra aetate est adeo certa et communi consensu recepta, ut *Petrus de Marca* et *Van Espen* aliique ex professo non sint refutandi. Nam pro sua sententia, quae immediatae et supremae plenaeque iurisdictioni Rom. Pontificis manifeste est contraria, etiam ex natura rei aut ex positiva legislatione ecclesiastica nullum argumentum solidum afferre possunt (37).

Praeterea neque illa (38) limitatio generaliter (39) videtur nostra aetate admittenda, saltem *leges poeuales* et criminales R. Pontificis ad obligationem inducendam per Episcopos esse promulgandas. Certe huiusmodi promulgatio Constitutionis "*Apostolicae Sedis* „, qua Pius IX. censuras latae sententiae limitavit et collegit, nullo modo fuit necessaria. Denique speciatim de legibus pontificiis ex iure communi Ecclesiae nequaquam generaliter cautum est, ut Constitutiones Roman. Pontificum secundum Novell. 66. tantum *duobus mensibus post promulgationem Romae* factam in Curia et extra illam ligare incipiant (40).

142. Legibus Romanorum Pontificum legitime promulgatis *omnes homines baptizati*, quibus datae sunt, obedire tenentur; nam iurisdicatio Rom. Pontificis in omnes homines

(34) *Bangen* l. c. p. 437. sq.; *Bouix* l. c. p. 277. sq.; *Saegmueller* l. c. p. 72. sq. Cfr. Motum proprium Pii X. "*In Romanae Curiae* „ de reformandis formulis Bullarum, 8 Dec. 1910. Acta. A. Sed. vol. II. p. 939.

(35) *Bouix* l. c. p. 230. sq.; *Suarez* l. c. l. IV. cap. 15.; *Palmieri* l. c. p. 713. sq., ubi agit de quaestione connexa; Pii X. Const. "*Promulgandi* „ 29. Sept. 1908.

(36) Clementis XIV. Breve "*Dominus ae Redemptor* „ 21. Iul. 1773. et eiusd. R. P. Breve "*Gravissimis* „ 13. Aug. 1773. et litterae Congreg. particul. "*Ex adiuneto* „ 18. Aug. 1773. et Act. theol. Oenipont. t. I. p. 284.

(37) *Phillips* l. c. t. V. § 205.; *Hinschius* l. c. t. III. p. 774. sq.

(38) Cap. 13. X. de poenit. V. 38.

(39) Ita fit ab *Engel*, Ius can. l. V. t. 39. n. 122. Cfr. *Seherer* l. c. p. 164. sq.

(40) *Suarez* l. c. cap. 15. n. 11.; *D'Annibale* l. c. P. I. n. 202. not. 16. 23.; *Hinschius* l. c. p. 777. sq.

baptizatos sese extendit (41). At quemadmodum supra iam expositum est, Episcopi in certis casibus non prohibentur, quominus leges disciplinares Romani Pontificis non illico executioni mandent atque interim per legitimam remonstrationem suas rationes SS. Domino exponant (42).

Quae exceptio vel limitatio nequaquam eousque est extendenda, quasi Romanus Pontifex suis legibus omnes suos subditos obligare non possit aut de facto non velit, nisi accedat receptio vel acceptatio legum pontificiarum per populum fidelem vel per Episcopos vel per principes christianos (43).

Romani Pontifices licet impedire nequeant (cfr. n. 104.), quominus ipsorum successores leges praedecessorum aut abrogent aut dispensationibus datis relaxent, tamen compluribus adiunctis clausulis efficere possunt, ut Constitutiones a se latae maiorem firmitatem consequantur atque difficilius mutantur (44). Quare si Romani Pontifices videntur nulla et irrita declarare (45), quae a successoribus contra statuta praedecessorum decernuntur, id intelligendum est de iis casibus, quibus successores non sufficienter suam manifestarunt intentionem pro suprema et plena potestate etiam leges huiusmodi firmissimis clausulis munitas abrogandi vel mutandi. Ita v. g. Romani Pontifices non derogabunt Concordatis, nisi de derogatione fiat expressa et specialis mentio (46).

§ 2. DE DECRETIS SS. CONGREGATIONUM.

143. Si de vi et efficacia decretorum Sacrarum Congregationum quaeratur, imprimis distinguenda sunt decreta, quae spectant ad doctrinam, a decretis disciplinaribus. Relicta theologis disputatione de valore decretorum doctrinalium (47) v. g. S. Congr. Inquisitionis, canonistae propriam

(41) Const. Bonif. VIII. « *Unam sanctam* »; Suarez l. c. cap. 19.

(42) Bouix, De princ. p. 227.

(43) Suarez l. c. cap. 16.; Bouix l. c. p. 191. sq.

(44) Cap. 20. (Innoc. III.) X. de elect. l. 6.; Scherer l. c. § 25. not. 3. 4. § 26. not 3. § 37. not. 25.; Hinschius l. c. t. III. p. 746. 770. 793.

(45) Bened. XIV. in concord. Hisp. a. 1753. Cfr. Nussi, Conventiones p. 273.

(46) Bouix l. c. p. 77. sq.; Zech l. c. §§ 320. sq.

(47) Qua in re accedendum omnino est ad sententiam illorum theologorum et canonistarum, qui tenent responsa doctrinalia pontificiarum Congregationum etiam a R. Pontifice in forma mere communi confirmata v. g. S. C. Inq. *ex sese* non esse infallibilia, sed sane magnae esse aucto-

provinciam non egrediuntur, si potissimum inquirunt in valorem iuridicum decretorum disciplinarium Sacrarum Congregationum. Qua in re quoad praeteritum disputatio fere reducitur ad decreta paucarum Congregationum atque praesertim ad resolutiones S. C. Concilii et S. R. C. (48); at post novam Curiae Rom. ordinationem maiori vel minori ambitu pertinet ad omnes SS. CC.

Decreta Sacr. Congregationum variis *nominibus* insigniuntur atque modo declarationes modo resolutiones vel decisiones modo responsa vel decreta dicuntur. Quae vocabula licet non raro promiscue adhibeantur, tamen sensu stricto *declarationes* sunt interpretationes iuris iam constituti; *resolutiones* vero vel decisiones potius appellantur responsiones vel sententiae iudiciales in causis particularibus; denique *decreta* sensu stricto videntur esse novae plane leges.

144. *Divisiones* decretorum hisce nominibus magna ex parte insinuantur. Etenim decreta SS. CC. distingui possunt.

I. ratione *diversae potestatis* scilicet legislativae, interpretatoriae, iudicialis, executoriae vel administrativae (49), qua

ritatis et non nisi cum temeritate posse contemni atque denegata legitima obedientia non admitti. Cfr. Pii IX. Epist. ad Arch. Frising. « *Tuas libenter* » 21 Dec. 1863; deer. « *Lamentabili* » S. C. Inq. 3. Iulii 1907. prop. 7. et 8. Profecto illa responsa ex sese definitiones ex cathedra de facto non sunt neque per delegationem pontificiam fieri possunt. Nam Romanus Pontifex praerogativam infallibilitatis per delegationem neque cum Congregationibus Cardinalium neque cum ullo homine communicare valet; ergo nisi decisiones doctrinales Sacr. Congr. a Romano Pontifice *confirmantur in forma specifica* (confirmatio enim in forma communi non sufficit) atque transmutentur in veras et peremptorias decisiones pontificias universae Ecclesiae obligatorio modo propositas et promulgatas, definitiones irreformabiles non existunt. Ita *De Angelis* l. c. lib. I. tit. 31. n. 10.; *Santi* l. c. cod. I. et t. n. 70. aliique v. g. *Cardinalis Franzelin*. Cfr. quoque *Grisar* in Act. theol. Oenip. t. II. p. 673. sq.; *Grandcrath* ibid. t. XIX. p. 623. sq.; *Lega*, De iudic. eccl. t. II. p. 347. sq.; *Seherer* l. c. t. I. p. 145.; *Choupin*, Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège p. 19. sq. et praesertim *Wilmers*, De Christi Ecclesia p. 441. sq. Quare *Bouix*, De Curia Rom. p. 481. sq. non satis distinguens varias *confirmationis* pontificiae species parum accurate disserit. *Hinschius* quoque l. c. t. III. p. 787. sq. easdem distinctiones non satis attendit.

(48) *Bouix* l. c. p. 295. sq.; *D'Annibale* l. c. P. I. n. 184. not. 5.; Acta S. Sed. vol. III. p. 563. sq. (de deer. S. R. C.).

(49) Sixti V. Const. « *Immensa* »; *De Angelis* l. c. n. 12.; *Gury-Ballerini*, Theologia mor. t. I. n. 130. not. a. « *Atqui S. Congregatio C. ex sui institutione (saltem primitiva) potestatem utique interpretandi, non autem leges condendi habet* »; *Gasparri*, De matrim. n. 738.: « S. C. (C.) *potestate legislativa caret* »; *D'Annibale* l. c.; longe aliter *Lega* l. c. t. II.

SS. CC. aut iure ordinario aut saltem ex *speciali* concessione Romani Pontificis instructae sunt, in *decreta* (novas leges), *interpretationes* sive declarationes, sententias *indiciales*, *privilegia* vel *dispensationes* vel alias *ordinationes* executorias vel administrativas;

II. ratione *ambitus* in *decreta formaliter generalia* (50) vel universalia et in *formaliter particularia*, quatenus ipsa materia, promulgatione, forma v. g. Urbi et Orbi evidenter ad totam Ecclesiam aut solummodo ad materias vel personas particulares referuntur;

III. ratione *authenticae* in *gennina* et *spuria*. Illis adnumerantur omnia illa decreta, de quorum conformitate cum textu originali in forma legitima v. g. regulariter per subscriptionem Praefecti e Secretarii S. C. sigillo munitam (51) aut

p. 362. sq., ubi saltem nonnullis SS. CC. et praesertim S. C. C., S. R. C., S. C. de Prop. F. vindicat potestatem legiferam etiam ad interpretationes *extensivas*. Cfr. supra h. tom. I. n. 92. 94. Profecto cum relatum esset in insulis Philippinis « esse aliquos religiosos, qui parvipendentes decreta S. Congregationis de Propaganda Fide cum maximo animarum praeeiudicio spargunt per illas partes resolutiones et decreta praefatae S. C. facere tantum opinionem probabilem, uti puram et simplicem Cardinalium declarationem, unde posse etiam contrarium defendi, SSmus D. N. (Innocentius X.) confirmavit (30. Iul. 1652.) decretum S. M. Urbani VIII., videlicet quod Decreta S. Congregationis Generalis de Prop. F., quotiescunque sint a Praefecto eiusdem firmata, a Secretario subscripta et sigillo munita **vim et valorem habeant Constitutionis Apostolicae ac ab omnibus et singulis in- violabiliter servantur** ». i. e. in territoriis missionum, pro quibus data fuerunt. Quod decretum a S. C. de Prop. F. 15. Maii 1779. denuo approbatum est. Cfr. Collectan. S. C. de Prop. F. n. 10. 11. Quibus decretis secundum sensum obvium examinatis de vera quadam potestate legifera S. C. de P. F. nequit dubitari. Idem eruitur de S. R. C. ex declaratione eiusdem S. C. 23. Maii 1846. d. 17. Iul. eiusd. an. a Pio IX. confirmata. Legifera quoque potestas S. C. C. compluribus decretis novis v. g. 20 Iul. 1898. praesertim hisce ultimis annis practice demonstrata est. Cum praesumptio militet pro SS. CC., omnia requisita in condendo decreto fuisse rite servata, imo saepissime etiam expresse commemoretur *relatio* facta in audientia SSmi, et ubi de iure *mutando* vel *extendendo* agatur, adiiiciatur clausula: *Facto verbo cum SSmo*, insuper nunc, postquam SS. CC. acta unica ratione legitime promulgari possint per insertionem in Commentario officiali de A. A. S., multo facilius constat de *authentica* et *publicatione* decretorum, ipsa vero forma et *tenor* decretorum haud difficulter edoceant fideles de valore *particulari* vel *universali*, observantia decretorum SS. CC. a compluribus dubiis et controversiis videtur esse liberata et in tuto posita.

(50) *Bouix*, De Curia Rom. p. 357.; *Hinschius* l. c. t. III. p. 787. not. 9. i. f. 789. not. 2. 3. Cfr. infra de decretis vel potius interpretationibus aequivalenter generalibus.

(51) Decretum Urbani VIII. 2. Aug. 1631. (cfr. *Barbosa*, Ius eccl. I. 1.

in S. C. Inq. per solam subscriptionem Notarii sine ulla subscriptione Cardinalis Secretarii vel Assessoris aut per relationem scriptorum fide dignorum constat. Omnia reliqua habentur spuria aut saltem merito suspecta ideoque non solum ius non faciunt: sed etiam ex mandato Gregorii XV. proscripta sunt. Nunc authenticæ multo melius consultum est per insertionem in commentario officiali ad normam Const. " *Promulgandi* „ Pii X. Acta A. Sed. vol. I. p. 5.

IV. denique speciali quadam ratione declarationes SS. CC. a multis scriptoribus dividi solent (52) in *extensivas*, quae

eap. 4. n. 83.), vi eius tantum declarationes sigillo et subscriptione Praefecti et Secretarii munitae tanquam *authenticae* sunt habendae, expresse et directe ad solam S. Congregationem Concilii refertur, sed postea etiam expresse ad decreta S. C. de Prop. F. fuit extensum. Cfr. S. C. de Prop. F. 30. Iul. 1652. et 15. Maii 1779. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 10. 11. Quae conditiones si servantur, sane etiam declarationes *aliarum* Congregationum *authenticae* reputantur. At praxis est mitior. Cfr. *Santi* l. c. l. l. tit. 31. n. 45. 46. ; *Scherer* l. c. p. 145. ; *Hinschius* l. c. t. III. p. 789.

(52) Ut alias iam observatum est, scriptores in definienda interpretatione *comprehensiva* non omnino conveniunt. Cum definitione supra allata, quae etiam quoad rem adoptatur a *Ballerini* l. c., *Bucceroni*, Inst. theol. moral. vol. I. p. 74. post. *Schmalzgr.* l. c. Dissert. prooem. n. 373. aliosque, non concordat definitio *Lehmkuhl*, Theologia moralis vol. I. n. 149. " *Talis interpretatio... ea, quae satis clare in lege iam continebantur, vere contenta esse denuo edicil, mere comprehensiva dicitur* „ *Sebastianelli*, Praelect. iur. eccl. t. 1. p. 41. distinguens interpretationem declarativam et extensivam denuo subdividit extensivam i. e. ultra verba legis factam in *pure extensivam* et *comprehensivam* ; illa fit, cum ob solam paritatem vel similitudinem rationis lex extenditur ab uno casu ad alium neque in verbis legis expressum neque in mente legislatoris comprehensum ; altera (eomprehensiva) habetur, " *quando ob identitalem rationis ex uno casu ad alium porrigitur verbis (?) legis non expressum, in mente (?) tamen legislatoris comprehensum* „ Neque *Bonix* l. c. p. 362. aliis scriptoribus plane consentit, si docet : " *Comprehensivae illae (declarationes) dicuntur, quae declarant dumtaxat legis sensum, ita ut, quod declaratur, non sit novum ius, sed ius ipsa lege iam comprehensum* „ *A. Palmieri*, Opus theol. mor. t. I. p. 423. dicitur ea interpretatio *comprehensiva*, quae declarat id, quod iam *in lege*, licet *obscuris, continetur*. *D' Annibale* l. c. n. 184. 2. *comprehensivam* interpretationem vocat " *declaratoriam* „, " *si quid obscurum verbis irrepserit* „ eamque putat a neotericis dici *grammaticalem*. At declarare legem *in se claram* non est idem atque non recedere a proprio et communiter usitato sensu verborum. Etiam si enim in interpretatione a proprio et communi verborum sensu non recedatur, totus textus atque contextus legis potest esse ita *dubius* et *obscurus*, ut lex nequaquam *clara* vel *salis clara* dici possit. Item non raro verba determinato quodam sensu accipi *possunt*, at non *debenl*. Quo in casu pariter lex profecto *clara* dici nequit, cum *complexes* interpretationes a verbis legis per se non sint alienae, e quibus legislator *exclusis aliis* interpretationibus forte solide pro-

ultra id, quod proprio et communiter usitato sensu verborum attento in lege continetur, *novi* aliquid statuunt, et in *comprehensivas*, quae a proprio et communiter usitato sensu verborum legis non recedunt. Cfr. Caus. select. S. C. C. l. c. p. 20.

145. In his declarationibus sive decretis interpretativis speciatim commemorandae sunt declarationes quae *formaliter* sunt *particulares*, sed *aequivalenter* videntur esse *universales*. Nam ratio decreti valet aequaliter pro omnibus, quia decisio pendet ab interpretatione decreti Tridentini vel rubricae, quibus ex sese vis legis universalis competit. At sensus videtur esse *dubius* et *obscurus*, non clarus atque manifestus; insuper ista dubia non censentur oriri ex *subiectiva* ignorantia legis *obiective* et in se *clarae*, sed fundari in ipsa *obscuritate obiectiva* verborum, ita ut ipsi viri docti magno numero in diversas abeant interpretationes. Quae distinctio (53) maxime quoad necessitatem *promulgationis* videtur esse attendenda. Nam lex *clara* propter ignorantiam et dubia *particularium* personarum non denuo *universae* Ecclesiae est promulganda; aliter autem est dicendum de promulgatione declarationis legis *vere* et *obiective obscurae* et *dubiae* (54).

146. Quodsi de valore iuridico (55) decretorum Sacrarum Congregationum quaeratur, pro triplici specie decretorum haec videntur esse tenenda:

I. SS. CC. si *privilegiu* quoddam vel *dispensationem* concedunt, aut pro sua potestate administrandi et exequendi attentis specialibus circumstantiis praxim quandam *tolerant*, aut iuris tramite non servato potius secundum aequum et bonum rem componunt, sane *leges generales non* condunt neque aliis facultatem concedunt vel obligationem imponunt in casibus similibus eodem modo agendi (56). Nam de ipsis sententiis iudicialibus R. Pontificis in similibus causis adoptandis cap. 19. X. de sent. II. 27. haec adiungitur limitatio: “ *Nisi forte cum aliquid causa necessitatis et utilitatis inspecta dispensative duxerit statuendum* „, atque ex ipsa natura rei

babilibus *unice* interpretationem suam authenticam obligatorio moto proponit. Cfr. *Putzer* l. c. n. 3. de sensu *lato* in favorabilibus, de sensu *stricto* in odiosis.

(53) *Bouix* l. c. p. 358. sq. de decretis aequalenter generalibus.

(54) *Bucceroni* l. c. pag. 73; *Hinschius* l. c. t. III. p. 788. not. 11.

(55) *Ballerini-Palmieri* l. c. p. 273. sq.; *D' Annibale* l. c. n. 184. not. 5.

(56) S. R. C. 8. April. 1854.; *Bouix* l. c. p. 361. Qua de re nulla existit controversia. Cfr. quoque *Lehmkuhl* l. c. t. I. n. 205.

eadem limitatio suadet. Nihilominus modus procedendi SS. CC. etiam in his causis gratiosis, praesertim si in stabilem quendam stylum transierit, inferioribus Praelatis forte similibus facultatibus instructis potest existere tuta quaedam norma. Neque illud oīmittendum est ex huiusmodi indultis concessis vel negatis etiam facilius cognosci posse, utrum *consuetudo* quaedam sit rationabilis, an irrationabilis; nam praxis a S. C. ut irrationabilis expresse reprobata non facile poterit tacite introduci per legitimam consuetudinem (57).

II. *Decisiones* SS. CC. et praesertim S. C. C., quae in forma *iudicii* ad dirimendas controversias inter partes eduntur, etsi certe partes ligent, tamen *vi legum uniuersalium* in Ecclesia ex sese carent. Nam Cardinales in huiusmodi causis dirimendis agunt partes *iudicium*, non legislatorum; at iudices etiam supremi atque adeo potestate legifera instructi suis sententiis iudicialibus leges uniuersales condere non solent, sed tantum partes obligant, nisi expresse suam *intentionem* illa sententia iudiciali legem ferendi uniuersalem manifestent et sententiam latam omnibus sufficienter tamquam legem *promulgent* (58). Hinc Cardinales suis decisionibus iudicialibus cum neque talem *intentionem* manifestent neque sententias a se latas consulto Romano Pontifice promulgent, leges uniuersales non condunt, sed solas partes ligant (59). Nam principium iuris Romani: “ *Res inter alios iudicatae neque emolumentum afferre his, qui iudicio non interfuerunt, neque praeiudicium solent irrogare* „, (cfr. L. 2. Cod. quibus res iudicata non nocet VII. 56.) etiam in foro ecclesiastico est re-

(57) *Lingen et Reuss*, Causae select. S. C. C. p. 22.; S. R. C. 1. Iul. 1873. in caus. Ratisbon. iunct. *Thalhofer*, Handb. d. k. Liturgik t. 1. p. 359.

(58) Cfr. de sententiis mere iudicialibus ipsius R. Pontificis: *Zech*, Praecognita § 208.; *Sanchez*, De sanct. matr. sacram. l. II. disp. 14. n. 4. Idem principium nunc applicandum est illis decisionibus, quae ad dirimendas controversias sine stricta forma iudiciaria per viam administrativam seu disciplinarem a SS. CC. dari possunt, et a fortiori sententiis iudicialibus S. Rom. Rotae vel Signaturae apost. Cfr. S. C. Consist. 11. Febr. 1911.

(59) Huic sententiae si sibi constare velint, etiam ii auctores videntur esse contrarii, qui velut *Fagnanus* l. c. in cap. 19. X. de iudic. II. 1. n. 16. 17. omni declarationi S. C. C. etiam in casu particulari datae vim Constitutionis generalis tribuunt. Cfr. cit. Caus. select. S. C. C. p. 21. Cui sententiae nimis rigidae *Fagnani* merito contradicunt: *Aichner*, Compend. iur. eccl. § 18.; *Scherer* l. c. t. I. p. 145. 512. alique v. g. per felicem quandam inconsequentiam etiam *Santi* l. c. l. I. tit. 31. n. 51.; at *Lega* l. c. p. 351. sq. etiam de rescriptis et sententiis iudicialibus in rigidioribus videtur inclinare opinionem.

ceptum. Cfr. cap. 25. X. de sent. II. 27.: “ *Quamvis regulariter aliis non noceat res inter alios iudicata* „. Praeterea sententia iudicialis non tantum pendet ab *interpretatione legum*, sed etiam a *particularibus facti circumstantiis*, quibus Cardinales saepe moventur ad dandam decisionem; ergo manifestum est illas decisiones iudiciales ad facta forte diversa nec posse nec debere applicari (60). Cfr. S. C. Ep. et Reg. 11. Sept. 1891. in Act. S. Sed. vol. XXIV. p. 372. Imo iudices inferiores etiam in casibus similibus licet sententiam iudicalem Cardinalium ob magnam ipsorum prudentiam et doctrinam optimo iure magni faciant atque tuto sequi *possint*, tamen ut id in omnibus et singulis causis faciant, stricto iure universalis *non obligantur* (61). At illud facile concedi potest ex repetitis decisionibus iudicialibus SS. CC. posse oriri usum forensem in tribunalibus superioribus et inferioribus atque stylum Curiae, qui vim legis habeat. Quam legem etiam inferiores iudices observare *tenentur*.

III. *Instructiones* quoque SS. CC. nequaquam per se et indiscriminatim vim legum universalium et definitionum habent. Nam 19. Sept. 1671.: “ *De mandato Sanctissimi (Clementis X.) iniunctum fuit, quotiescunque missionariis ceterisque S. C. de Prop. Fide ministris mittuntur resolutiones dubiorum factae a S. C. S. Off. et Propag. Fidei, non mittantur tanquam DEFINITIONES, sed tanquam simplices INSTRUCTIONES, quibus in occurrentibus dubiis gubernari valeant et debeant* „. Cfr. Collectan. (Paris.) Const. S. Sed. n. 5.

(60) *D' Annibale* l. e. P. I. n. 89.; Benedictus XIV. in Declarat. “ *Matrimonia* „ 4. Nov. 1741.: “ *Licet Sanctitas Sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus et attentis tunc expositis circumstantiis S. Cong. Conc. pro eorum (matrimoniorum) invaliditate respondisse, aequè tamen compertum habens, nihil adhuc generatim et universe super eiusmodi matrimoniis fuisse ab Apost. Sede definitum... declaravit statuitque... matrimonia... pro validis habenda esse* „; Bened. XIV. Const. “ *Eo quamvis* „ 4. Maii 1745. § 38. et Const. “ *Anno vertente* „ 19. Iun. 1750. § 13. concedit SS. Urbis Congregationes adhaerere *opinionis* matrimonia orientalium post susceptum saer. ordinem contraeta esse *invalida*; nihilominus addit hanc controversiam pro omnibus ritibus orientalibus nondum Decreto Apostolico esse definitam. Nihilominus etiam *una* sententia S. C. de nullitate matrimonii maiorem habet vim quam sententia, qua declaratur *constare de valore aut non constare de nullitate*. Nam in priore casu S. C. debet habere *certitudinem iuris et facti*, in altero casu potest intervenire aliqua *sanatio*, et iudicium: *Non constare*, est ferendum, si vel sola *probabilitas* militat contra nullitatem matrimonii.

(61) *Santi* l. e.; *cit.*; Causae selectae S. C. C. p. 20.

IV. Decreta particularia (62) SS. CC., quae interpretationem iuris communis dubii et obscuri, non meram declarationem legis *clarae* continent (63), sane magnam habent auctoritatem et non solum ut interpretationes doctrinales (64), sed etiam tanquam vere (65) authenticae personas obligant, quibus data sunt; attamen *supremum* gradum auctoritatis i. e. *legum universalium* non attingunt, nisi universae Ecclesiae legitime (66) promulgentur aut iteratis declarationibus transeant in stylum Curiae aut in praxim et disciplinam communiter vigentem (67).

Quae sententia ex tribus illis sententiis inter doctores de valore decretorum SS. CC. agitatae excessivae opinioni a *Fagnano* (68) principaliter propugnatae est *directe* opposita et

(62) Decreta SS. CC. formaliter generalia, quae aut vi praecedentis mandati *specialis* aut subsequentis *specialis* et *specificae confirmationis* Romani Pontificis universae Ecclesiae vere promulgantur, eitra omnem controversiam vim *legum generalium* habent, sive authentico modo ius commune tantum interpretantur, sive per interpretationem extensivam simpliciter novum ius constituunt. Cfr. v. g. decreta S. C. C. ex speciali mandato Pauli V. emanata anno 1615. aut eiusdem S. C. decreta d. 10. Maii 1631. data et 6. Iunii eodem anno ab Urbano VIII. expresse confirmata; decretum S. C. C. 13. Mart. 1879. d. 17. Mart. eiusd. anni a Leone XIII. confirmatum; decreta S. R. C. 10. Dec. 1703., quae 12. Iunii 1704. a Clement. XI. fuerunt confirmata; decreta Pii IX. per S. C. super statu regular. publicata apud *Bizzarri*, Collectanea p. 882. sq.; * *Sanctitas Sua omnibus, ad quos spectat, etiam in virtute sanctae obedientiae praecipit* *; decret. S. C. C. 17. Sept. 1902. de ehorali disciplina in Urbe, ubi iuxta totum tenorem decreti tandem *Leo XIII. statuit atque deerevit*; *Bouix* l. e. p. 301. 357. sq.; *Santi* l. e. n. 46. 47.; *Aiehnuer* l. e.; *Scherer* l. e. p. 512. aliique communiter theologi et canonistae. Cfr. *Buceeroni* l. e. p. 74.

(63) *Bouix* l. e. p. 305. sq., ubi minus recte in suum sensum suamque theoriam detorquet verba S. Alphonsi. Cfr. *D' Annibate* l. e. P. I. n. 184. not. 5.

(64) *Bened. XIV.*, Inst. cecl. 107. n. 6.

(65) Quare quaestionis status non recte definitur, si *Bouix*, dicat l. e. p. 303. controversiam in hoc versari, utrum *decreta* illa particularia habeant tantum vim interpretationis mere *doctrinalis*, an *authenticae*, sed potius quaeritur de *diverso gradu* auctoritatis sive *authenticae* interpretationis.

(66) *Lehmkuhl* l. e. n. 206.

(67) *Bened. XIV.* Const. * *Paucis* *, 19. Mart. 1758. § *Expositas*; S. R. C. 3. Aug. 1839.; S. *Alphonsi* l. e. n. 105. iunct. *Bouix* l. e. p. 306., ubi ex additionibus S. *Alphonsi* nimium deducit. Cfr. *D' Annibate* l. e.

(68) *Fagnan.* l. e. in cap. 13. X. de constit. l. 2.; *Bouix*, De Cur. Rom. p. 302. sq.; 353. sq.; *Legu*, De iudiciis cecl. t. II. p. 353. sq. 362. sq. 373., ubi vel ipsis responsis S. Poenit. tantam tribuit vim, ut non secus ac leges (?) observentur.

partim *concordat* cum illa opinione, quam S. Alphonsus (69) Sanchezio aliisque tribuit et probabilem habet; denique non insistit opinioni illi mediae, quam defendunt *Schmalzgrueber* (70) aliique, qui ex illa distinctione interpretationis *extensivae* et *comprehensivae* solutionem huius controversiae reputant.

Quamvis negari non possit patronos nostrae sententiae uno alterove argumento parum solido usos esse ad comprobendam propriam opinionem (71), tamen optimo iure videntur provocare ad sana principia generalia de necessitate *promulgationis* saltem simplicis, non solemnis etiam *in vera interpretatione* legum (72). Porro haec sententia videtur omnino convenire cum illa, quam Concilium Remense a. 1857. adoptavit, atque S. C. C. post revisionem factam non solum non reprobavit, sed potius disertis verbis laudavit. Denique vel ipsius S. R. C. decretum datum 8. Aprilis 1854. huic sententiae favet (73).

(69) *S. Alphons.* l. e. n. 105.; *Scherer* l. c. p. 512.; *Aet. S. Sed.* vol. III. p. 563. sq.; *Lehmkuhl* l. e. n. 204. sq.

(70) *Schmalzgr.* l. e. Dissert. prooem. n. 370. sq.; *Ballerini-Palmieri* l. c. p. 274. sq. At *Lega* l. e. t. II. p. 360. 366. 373. recte huic distinctioni pariter non insistit. Difficiliter enim intelligitur, quomodo ex ista distinctione *praetica* quaedam et *universalis* norma repeti possit ad egnoseendam obligationem in easibus particularibus. Nam non raro praecise dubium est, utrum interpretatio quaedam S. C. sit mere comprehensiva, an forte extensiva vel restrictiva. Praeterea in decretis pontificiis, quibus observantia decretorum SS. CC. urgetur, haec distinctio non occurrit. V. g. in compluribus decretis S. C. Inq. alii invenerunt interpretationes *comprehensivas*, alii *extensivas*. Cfr. *Pennacchi*, Comment. in *Const. Ap. Sed.* t. II. p. 19. sq. 22. not. 1.; *Lehmkuhl*, Theol. mor. t. II. n. 969.

(71) *Schmalzgr.* l. e. n. 377.

(72) *Suarez*, De leg. l. VI. cap. 1. n. 3.; *S. Alphons.* l. c.; *D'Annibale* l. e., ubi in n. 5. legendum videtur "egere *promulgatione*" non "egere interpretatione", sel. declarationes "si verba *obscura* sint et inter DD. *controversa*", atque hae sententia dicitur "communis". Quodsi *Lega*, De iud. eel. t. II. p. 354. putat contrariam sententiam, quae necessitatem publicationis negat, hodie esse *certam*, id videtur esse indubitatum, si de *lege clara* explicanda agatur; at nulla certa ratio hucusque allata est ad probandam superfluitatem publicationis interpretationis legis *dubiae* et *obscurae*; nam quod est *dubium* et *obscurum*, id absque *publicatione* saltem praetiae nequit diei communitati sufficienter *significatum*. Cfr. *Pennacchi* l. e. t. II. p. 22. not. 1.

(73) *Aet. S. Sed.* vol. III. p. 567.; *Ballerini-Palmieri* l. c. p. 272. sq. ubi recte docet ex declar. S. C. 23. Maii 1846. a Pio IX. 17. Iul. 1846. confirmata non sequi *quaelibet* decreta S. R. C. etiam absque promulgatione universae Ecclesiae facta habere vim *legum universalium*. Ipsa quoque

147. Scholion. Non raro accidit, ut rigidioris sententiae patroni in praxi suas theorias oblivioni dent. Id vel ipsi *Bouix*, De Concilio provinciali p. 103. sq. accidisse videtur, ubi non obstante duplici responsione S. C. C. in *Pitonio* tempore Concilii Romani a. 1725. nihil habet reprehendendum. Cfr. *Benedict. XIV.*, De Synod. dioec. l. II. cap. 4. n. 4. sq. Porro *De Angelis* l. c. l. I. tit. 11. n. 2., ut sese extricaret ex difficultate, quam ipse putavit in duabus declarationibus S. C. C. esse contentam (cfr. *Santi* l. c. eod. l. et t. n. 27. et *Gasparri*, de sacr. ordin. n. 950.), non respondit legem priorem lege posteriore esse sublatam, sed potius: *Concludimus proinde in hac re nondum adhuc revelatum esse sensum S. Congregationis eamque in hac difficili controversia haerere in diversis sensibus* „. Cfr. quoque *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. II. cap. 4. l. IV. cap. 8. n. 10. (n. 6. 7.), Inst. eccl. 10. n. 4.; *Bucceroni*, Casus conscient. t. II. p. 99. sq.

TITULUS VI.

DE RESCRIPTIS.

(*Lib. I. tit. 3. de rescriptis*)

Praenotiones.

148. Fontes: Dist. 97.; C. XXV. q. 1. 2. (1). — Compil. l. l. I. tit. 2. de rescr. et eor. interpretationib.; epl. II. l. l. t. 2. de reser.; epl. III. l. I. t. 2. d. r. et interpretationib. eor.; epl. IV. et V. l. I. t. 2. de reser. — Decret. Greg. IX. et Deer. Bonif. VIII. l. I. t. 3. d. r.; Const. Clem. V. l. I. t. 2. d. r. — Coneil. Trid. Sess. XIII. cap. 2. 5. de ref. Sess. XXII. eap. 5. 6. d. ref. Sess. XXV. cap. 10. d. ref. — Decretal. Clem. P. VIII. ed. cit. p. 3. sq. eum aliis deeretis Sed. Apost. — Regul. Cancell. Apost. iunet. *Riganti*, Comment. in R. C. Ap. — Ordo servandus in SS. CC. etc. in A. A. S. p. 36. sq. Aet. S. Sed. vol. VIII. p. 601. vol. V. p. 656.

S. R. C. in novissima suorum decretorum collectione discrete distinguit inter deereta generalia et particularia atque pro futuro tempore hanc statuit normam: « I novi deereti generali avranno il titolo *Deeretum* o *Deeretum generale* secondo l'importanza della materia. I particolari poi saranno denominati *Dubii*, *Dubiorum*, *Romana* ». Cfr. *Analecta eccles. t. V. p. 231.* At decretum eum *inscriptione particulari*, quae relinquitur, ut pateat *origo*, nihilominus attenta *re et forma* et *comprehensione* eomplurium responsorum alias datorum potest in nova collectione (efr. prooem.) esse *generale*.

(1) Cod. I. 23. de divers. rescriptis et pragmat. sanetionib.; *Vering*, Gesch. u. Pand. § 16. Cfr. quoque L. 2. 3. Cod. de leg. et eonst. princeip. l. 14.; *Suarez*, De leg. l. III. eap. 15. n. 11. sq.; *Zeeh* l. e. § 208.

Scriptores: Commentatores in h. t.; *Zech*, Praeognita §§ 330. sq.; *Soglia*, Inst. iur. publ. ecel. §§ 27. sq.; *Phillips*, *Kireheur.* t. III. § 155.; *Seherer* l. e. § 27.; *D'Annibale* l. e. P. I. n. 236. sq.; *Zitelli*, De dispens. matrimonialib. p. 20. Cfr. de clausulis supra h. t. l. n. 133.; *Putzer*, Comment. in fault. apost. p. 1. sq. 63. sq. 99. sq. — *Ponsius*, De antiquitatibus iur. ean. h. t.

149. I. Connexio materiae. Exposita doctrina canonica de decretis pontificiis universim spectatis ex natura rei et more haud raro recepto in collectionibus Decretalium in titulis sequentibus apte disputatur de quibusdam *speciebus* decretorum Sedis Apostolicae, quae magis ad ius *particulare* et *speciale* referuntur scilicet de rescriptis (2), de privilegiis, de concordatis.

II. Definitio. Rescriptum in foro ecclesiastico, si sensu stricto accipiatur, est responsum principis i. e. Romani Pontificis *scripto* datum ad alicuius supplicationem vel relationem vel consultationem (3). Quare rescriptum differt ab *oraculo vivae vocis*, quod viva voce datur, licet postea probationis causa in scripturam redigatur; a *Decretali*, quae saepe motu proprio supremi principis, non semper ad consultationem alicuius conceditur; ab ipsa *Constitutione*, quae ius quoddam generale condit, et ad bonum commune refertur. At rescriptum licet pariter norma generalis esse *possit* (4), tamen ordinarie et *per se* *lex* generalis non est (5), sed *iura* tantum *subiectiva* sive favores singularium personarum vel *privilegia* vel dispensationes concedit aut ad summum *ius particulare* constituit. Quod ius particulare in rescripto conditum non raro v. g. per insertionem in collectiones authenticas corporis iuris canonici factum est ius universale (6). Denique rescriptum in forma simplici datum (7) saepe opponitur Brevibus vel Bullis, quibus responsa sive rescripta

(2) L. 12. C. de leg. l. 14.; L. 1. D. d. const. prine. l. 4.; *Pirhing* h. t. proem.

(3) Sensu lato verbum principis etiam Legatum vel Episcopum comprehendit. Gratia a *Sede Apostolica* obtenta ex Reg. 52. Cancell. Apost. regulariter nemini suffragatur, antequam super ea *Litterae Apostolicae* fuerint confectae. Quae Regula ad gratias *ab Episcopis* concessas non pari ratione potest applicari. Cfr. *Pyrrhus Corrad.*, Praxis dispens. apost. l. I. eap. 6.; *Putzer* l. e. p. 15. sq.

(4) Cap. 19. X. de sent. II. 27.; leg. Rom. alleg. in not. 1.

(5) *Pirhing* l. e.; L. 2. Cod. de leg.

(6) *Pirhing* h. t. n. 3.; *Santi* h. t. n. 2.

(7) Act. S. Sed. vol. XXVIII. p. 188. sq.

principis in forma solemniori et de rebus gravioribus dantur. Inde non difficulter erui possunt differentiae (8) inter rescriptum atque *privilegium* vel *dispensationem*.

III. **Divisio.** Rescripta pontificia dividuntur:

a) in rescripta *gratiae*, quibus favor praeter ius aut contra ius commune conceditur in materia cum contentione *iudiciali* partium non connexa v. g. indulgentia, beneficium, dispensatio aliaque similia; in rescripta *iustitiae*, quae praesertim favorem ordinarie secundum ius commune continent ad iustitiae administrationem sive ad definiendas controversias *iudiciales* inter partes v. g. per delegationem iudicis, per concessionem vel praescriptionem specialis formae in procedura iudiciali, per restitutionem in integrum a principe concessam, per explicationem legis in relatione vel consultatione expetitam, denique per ipsam sententiam iudicalem ad instantiam partis datam vel saltem confirmatam (9); in rescripta *mixta*, quae simul gratiam continent et ad iustitiae administrationem spectant;

b) in rescripta *secundum ius* (10), quae a R. P. ad urgendam ipsam iuris observantiam conceduntur, ut ordinarie fit in rescriptis iustitiae, et in rescripta *contra ius* et *praeter ius*, quae aliquid contra ius largiuntur, aut quod iure non est definitum, ut communiter accidit in rescriptis gratiae;

c) in rescripta *executoria* (11) et *moratoria* sive *dilatatoria*;

d) in rescripta *temporalia* et *perpetua*, quatenus tempus certum et limitatum praefixum habent aut non;

e) in *generalia*, quae habent vim obligandi omnes subditos in toto territorio principis constitutos, et in *specialia*, quae tantum ad certas personas vel causas vel ad certum tempus vel locum restringuntur.

IV. **Notae historicae.** Imperatores Romani suis *decretis* ad decidendas controversias per sententiam iudicalem publicatis itemque *mandatis*, quibus normae procedendi inferioribus iudicibus et magistratibus constitutae sunt, atque *rescriptis* ad relationem vel consultationem etiam privatorum datis, dummodo certae solemnitates servatae fuissent, vim legum

(8) *Suarez*, De leg. l. VIII. cap. 2. n. 7. sq.

(9) *Suarez* l. c. n. 7. 8.; *Santi* h. t. n. 3. 4.

(10) *Pirhing* h. t. n. 4.

(11) Cap. 37. 39. X. h. t., ubi a litteris executoriis etiam litterae monitoriae distinguuntur.

universalium inesse sanxerunt (12). At non pauca rescripta Imperatorum Romanorum, quae potius interlocutiones fuerunt sine causae cognitione, brevi manu et de plano datae, generalia iura non fuerunt, sed leges dumtaxat illis negotiis atque personis, pro quibus fuerunt promulgatae (13).

Quodsi Romani quoque Pontifices praesertim iam inde ex saeculo quarto ad varias consultationes sibi propositas responderunt sive rescripta dederunt (14), id nequaquam ex servili quadam imitatione praxis Imperatorum et iuris Romani est repetendum multoque minus ex praerogativa quadam Episcopi Romani in circumstantiis politicis mereque externis sedis suae fundata (15).

Cum beneficia ecclesiastica fuissent instituta, atque invalescerent reservationes beneficiorum, mandata de providendo, itemque causae iudiciales frequentius delegarentur, per specialia responsa resolverentur dubia iuris, stabiliretur forma procedendi in casibus particularibus, praesertim saeculo duodecimo inde ab Alexandro III. usus rescriptorum frequentissimus est factus. Quare mirum non est, quod in prima compilatione antiqua Bernardi Papiensis (a. 1189-1191.) proprius iam reperitur titulus de rescriptis. Universa iurisprudentia canonica de rescriptis in compilationibus antiquis et collectionibus authenticis corporis iuris canonici (16) haud sine subsidio mutuato ex legibus Romanis (17) et reflorescente studio iuris civilis magis magisque fuit exulta. Regulae quoque Cancellariae Apostolicae (18), quae inde ex saeculo 14. prodierunt, ad expoliendam theoriam et praxim rescriptorum multum contulerunt. Nostra aetate, ut patet legenti capita huius tituli, non paucae quaestiones de rescriptis beneficiabilibus (19) vel iudicialibus h. t. resolutae practicum usum rarissime habebunt, at suum valorem iuridicum pro casibus

(12) L. 12. pr. L. 3. Cod. de leg. 1. 14.; L. 6. § 3. D. de off. proc. 1. 16.; *Veringl.* c. § 16.; scriptores not. 1. h. tit. allegati; *Scherer* l. c. § 27. not. 14.

(13) L. 2. L. 3. i. f. Cod. de leg.; *Waller*, *Gesch. d. roem. R.* n. 311. 441.

(14) Qua in re Siricius (a. 385.) nequaquam primus fuit.

(15) Ita opinatus est *Hinschius* l. c. t. III. p. 682. sq.

(16) Cfr. *Maschal* l. c. vol. 1. p. 214. sq. et clenchos de mutationibus factis in prioribus collectionibus per subsequentes compilationes.

(17) *Scherer* l. c. p. 141. not. 4.; *Soglia* l. c. § 28.; diet. Gratiani post c. 16. c. XXV. q. 2. (Pelag. a. 555.-560.).

(18) Cfr. v. g. Reg. Canc. Apost. 9. 10. 12. sq. 16. 17. 18. 27. 48. 49. et *Riganti* l. c. in has Reg.

(19) V. g. mandata de exspectativis; cfr. *Maschal* l. c. in clencho II. h. t.

extraordinariis retinent. Inter rescripta gratiae nunc frequentiora sunt rescripta dispensationum praesertim matrimonialium (20).

§ 1. DE PERSONIS AD DANDA VEL ACCIPIENDA
RESRIPTA HABILIBUS.

150. Quicumque *legenti* condere potest, is etiam capax est ad *dandum* rescriptum (21). Rescripta vero ecclesiastica sensu stricto, cum sint responsa scripta supremi principis, a *solo Romano Pontifice* concedi possunt. Cfr. capita h. t. At R. Pontifex ad concedenda illa rescripta gratiae vel iustitiae utitur ministerio diversorum *tribunalium in Urbe*, per quae aut in forma *Bullae* vel *Brevis* vel simplicium litterarum apostolicarum sive *rescriptorum* ad instantias propositas respondere solet (22).

151. I. *Obtinere rescripta potest quicumque est membrum Ecclesiae et subditus legislatoris ecclesiastici rescribentis* sive actor sive reus, mas vel femina, in quacunque causa ecclesiastica, de qua litigari potest, sive temporali sive spirituali, de beneficiis et ecclesiis et universim de omnibus rebus, quae aut ex officio et *secundum ius* alicui debentur aut *ex gratia* concedi possunt et solent; porro *contra quemcumque* (cfr. cap. 15. 34. 35. 36. X. h. t.; cap. 2. 3. h. t. in Sext.; cap. 1. h. t. in Clem.) *subditum* legislatoris concedentis rescriptum, sive clericum sive laicum, sive maiorem sive minorem 25 annis, etiam contra excommunicatum (23). Cuius regulae generalis ea tantum statuenda est limitatio: “ *Nisi quis iure communi propter scelus aut dolum expresse sit prohibitus* „.

Nam in hac materia valet iuris principium: “ *Concessum*

(20) Cfr. Decretal. Clem. Pap. VIII. in ed. cit., ubi ea recensentur, quae inde a Concilio Lateran. V. per Leon. X. 1515. et postea per Concil. Trid. et Romanos Pontifices usque ad nostram aetatem huic titulo adiecta sunt. Cfr. de dispensationibus matrimonialibus: *Feije*, De imped. et disp. matrim. n. 600. sq.; *Gasparri*, Tractatus ean. de matrim. n. 303. sq.; *Zitelli* l. c.; *Giovine*, De disp. matrim. t. II. p. 3. sq. 117. sq.

(21) *Hostiensis*, Summa h. t. n. 2.; *Pirhing* h. t. n. 6. Quare quae de rescriptis pontificiis statuuntur, proportione servata facile ad rescripta Episcoporum aliorumque Ordinariorum applicari possunt. Cfr. *Scherer* l. c. p. 142.

(22) *Bangen* l. c. p. 17. sq. 386. 431.; *Zech* l. c. § 332.; *Gasparri*, De sacr. ordin. n. 70.

(23) *Hostiensis* l. c. h. t. n. 3. sq.; *Pirhing* h. t. n. 6.; *Putzer* l. c. p. 63. sq.

intelligitur, quod expresse non prohibetur „ (24). Quare in Ecclesia omnes fideles, qui iurium ecclesiasticorum sunt capaces, ad impetranda rescripta gratiae vel iustitiae ius habent libere recurrenti ad Romanum Pontificem, atque R. Pontifici et fidelibus infertur iniuria, si gubernia civilia tanquam mediatores sese obtrudunt et liberam communicationem inter supremum Ecclesiae pastorem et fideles pro suo arbitrio impediunt (25).

II. *Prohibentur* autem a rescriptis accipiendis tanquam inhabiles sub poena nullitatis rescripti a) *haeretici* et *schismatici*, qui vera *membra* Ecclesiae non sunt et propter suam contumaciam sane indigni sunt gratiis et auxiliis Ecclesiae (26); b) *falsi* vel iam *revocati procuratores* (27); c) *excommunicati* excommunicatione maiore (28) sive *vitandi* sunt sive *tolerati publici* vel *occulti* existunt, nisi in causa excommunicationis (29) vel appellationis (30) ad suam defensionem. Quare ne propter excommunicationem rescriptum sit invalidum, ex stylo Curiae Romanae *ad cautelaui* (31) oratores ab

(24) Cap. 15. X. h. t.; cap. 1. de procur. l. 19. in Sext.; cap. 2. § 1. i. f. X. de transl. l. 7.

(25) Syllab. prop. 28. 29. 41. 49.; Concil. Vatic. Sess. IV.

(26) L. 2. pr. Cod. de sum. Trinit. l. 1.; *Zeeh* l. c. § 333.; cap. 13. X. de haeret. V. 7.; *Schmalzgr.* h. t. n. 4.

(27) Cap. 33. X. h. t.

(28) Cap. 1. h. t. in Sext.; cap. 26. X. h. t.; Martini V. decretum „ *Ad evitanda* „ ipsis excommunicatis toleratis specialem favorem non concessit. Cfr. *Hefele*, Concilieng. t. VII. p. 357. ed. I.; *Kober*, D. Kirehenbann p. 245. sq.; *Suarez*, De censur. disput. IX. sect. 2.; *Benedict.* XIV., De Synod. dioec. l. VI. cap. 5. n. 2.; *Hollweck*, D. k. Strafg. p. 120.

(29) Cap. 41. X. h. t.; cap. 1. h. t. in Sexto.

(30) Cap. 7. X. de iud.; cap. 1. h. t. in Sexto. At nunc S. Poenit. 9. Sept. 1898. respondit quoad excommunicatos *oecultos* valere etiam rescripta *minorum* gratiarum v. g. benedicendi coronas, legendi libros prohibitos, sed pro foro interno tantum. In Normis vero peculiaribus adiecit const. *Sapientis consilio* haec regula continetur: „ gratiae ac dispensationes omne genus a *Sancta Sede concessae*, etiam censura irretitis, ratae sunt ac legitimae, nisi de iis agatur *qui nominatim excommunicati sint, aut a Sancta Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis multati* „. Cfr. Acta A. Sed. vol. I. p. 64. *Ferreres*, La Curia Romana, n. 229. sq., qui A. nimium ex cit. regula videtur inferre; *Ogetti*, De Rom. Curia, p. 16. *Monin*, l. c. p. 211.

(31) Cfr. Reg. Cane. Apost. 66. de personis exceptis ab isto favore sel. haereticis, non parentibus rei iudicatae, incendiariis, violatoribus ecclesiarum; falsificatoribus et falsificari proeurantibus litteras et supplicationes apostolicas et illis utentibus, receptatoribus et fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus ecclesiasticae libertatis,

excommunicatione prius absolvuntur ad effectum dumtaxat gratiae consequendae v. g. dispensationis matrimonialis (32). At Ordinarii, qui *vi indulti apostolici* v. g. pro diversis formulis facultatum concedunt v. g. dispensationem matrimonialem, non *debent* pro more Datariae Ap. vel S. Poenit. praemittere absolutionem ad cautelam, cum nullam praevident ab oratoribus censuram fuisse incursum, nihilominus etiam isto in casu eam laudabiliter praemittunt. Cfr. S. Poenit. 2. Iulii 1891. in Collect. S. C. de Pr. F. n. 1501. Nam licet ex potestate delegata R. Pontificis agant, tamen ponunt actum episcopalem, non papalem. At facile quoque patet, cur ista absolutio laudabiliter praemittatur. Nam si Ordinarii *vi indulti* aliquem *revera* excommunicatum non praemissa absolutione dispensarent, gratia dispensationis esset nulla. Cfr. S. C. de Prop. F. 26. Sept. 1821. et S. C. Inq. 18. Dec. 1872. Quodsi per rescriptum concedatur indultum in negotio individuo duabus personis, e quibus una (supplicans) est capax, altera incapax gratiae recipiendae v. g. *excommunicatus*, illud utrique prodest, ne pars innocens plectatur malitia alterius. Cfr. S. C. de Prop. F. 17. Apr. 1828. in cit. Collectan. n. 1478.

III. Nemo prohibetur, quominus *pro alio* rescriptum gra-

via facti ausu temerario apostolicis mandatis non obtemperantibus, et Nuntios vel executores Apost. Sedis et eius officialium, eius commissa exequentes impediuntibus, qui *propter praemissa vel aliquod eorum excommunicati a iure vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam sustinnerint (insorduerint)*. Ex eadem Reg. 66. Cane. Ap. absolutio illa non prodest iis, qui in quaeunque censura insorduerunt i. e. post censuram in eos latam aut per iudicem declaratam per annum continuum in ea pertinaciter vixerunt. At complures ex illis personis a beneficio absolutionis exceptis ex iure Const. « *Apost. Sed.* » stabilito non amplius excommunicationem ineurrunt. Imo praedictae personae insordescientes tum tantum videntur a beneficio absolutionis exclusae, si *publice* fuerint excommunicatae et *nominatim* denunciatae. Cfr. *Riganti* l. e. in Reg. 66. Cane. Ap.; *Zitelli*, De dispens. p. 76.; *Suarez*, De censuris disput. 17. sect. 1. n. 2.; *Pirhing* h. t. n. 10.; *De Angelis* h. t. n. 3. iunct. decreto S. C. Inquis. 27. Iunii 1866. (cfr. Deeret. Clem. P. VIII. p. 6. sq.) et *Van de Burgt*, De dispen. matr. p. 137.; *Gasparri*, De matr. n. 422.; *Putzer* l. e. p. 63. sq. Sed post innovationem not. praeced. commemoratam, non amplius illa absolutio *ad cautelam* rescriptis pontificiis erit inserenda. Ferreres l. e. n. 235. sq.

(32) Cfr. de dispensationibus matrimonialibus forte haereticis concessis vel concedendis: Bened. XIV. Const. « *Magnae Nobis* » 29. Iun. 1748.; Const. « *Ad tuas manus* » 8. Aug. 1748.; Instr. S. C. Inq. ad Arch. S. Iacobi de Chile super matrim. haeret. 17. Maii 1869.

tiae obtineat etiam *sine mandato speciali*. Nam gratia etiam absentis et ignorantis concedi potest, dummodo is concessionem acceptet vel concessionem ab alio acceptatam ratam habeat (33). Rescriptum vero *iustitiae* antiquo iure Decretalium (34) pro alio sine mandato speciali obtineri non potuit, nisi forte de iis personis ageretur, a quibus de iure mandatum exigi non debet v. g. a coniunctis personis. In illis enim mandatum quoddam praesumptum facilius fuit admittendum (35). Quae prohibitio iuris Decretalium generatim sancita fuit propter praesumptionem *doli* et ad evitandas fraudes atque praesertim, ut iniqui mercenarii a litibus iam sopitis suscitandis aut quaestionibus excitandis impedirentur, neque rescripta iustitiae a Sede Apostolica obtenta deinde actori aut reo venalia exhiberent. At ex stylo *Curiae Romanae* et *consuetudine* passim recepta (36) postea ius Decretalium ita emollitum est, ut extranei etiam pro aliis *absque speciali* mandato rescripta iustitiae denuo impetrare possent. Quae consuetudo mitior sane ad tegendas fraudes et turpe commercium cohonestandum non est extendenda.

IV. Rescripta, quibus causae iudiciales ex auctoritate Sedis Apostolicae vel Legatorum eiusdem iudicibus *delegatis* cognoscendae et definiendae committuntur, executioni mandari non possunt, nisi a clericis *dignitate* praeditis aut *personatum* obtinentibus aut ecclesiarum *cathedralium canonicis* (37). Cui dispositioni Bonifacii VIII. per Concilium Tridentinum Sess. XXV. cap. 10. de reform. nequaquam est derogatum, quoniam iudices synodales a Conciliis provincialibus vel Synodis diocesanis designandi, quibus ex delegatione Sedis Apostolicae causae per rescripta committi possunt, iuxta laudatum decretum Concilii Tridentini debent esse personae, quae qualitates a Bonifacio VIII. requisitas habent *et* alioquin ad id aptae existunt.

Item rescripta, per quae *omnia* negotia committuntur arbitrio unius iudicis vel plurium, quos sibi *pars* elegerit, a R. Pontificibus non conceduntur atque nulla et irrita sunt (38).

(33) Cap. 24. X. de praebend. III. 5.; cap. 17. de praeb. III. 4. in Sext. *Pirhing* h. t. n. 14.; *Suarez*, De leg. I. VI. cap. 13. n. 6.

(34) Cap. 28. § 1. X. h. t.; *Pirhing* h. t. n. 11. 12.

(35) *Pirhing* h. t. n. 13.

(36) *Pirhing* l. c. n. 13.; *Seherer* l. c. p. 142.

(37) Bonifacius VIII. in cap. 11. h. t. in Sext.

(38) Cap. 10. X. h. t.

§ 2. DE FORMA LEGITIMA ET VITIIS RESCRIPTORUM.

152. Legitima est rescriptorum *forma*, si in expeditione illorum omnes et solae solemnitates atque conditiones intrinsecae et extrinsecae *de iure* et *stylo* Curiae Romanae requisitae rite servantur (39).

1. Ad solemnitatem sive *formam intrinsecam* rescripti requiritur *a) narratio* sive *series facti*, in qua exponuntur obiectum et causa supplicationis iuxta libellum principi *oblatum* (40); *b) ipsa supplicatio* (41), quae cum narratione constituit corpus signaturae sive partem expositivam; *c) conclusio* sive pars *dispositiva*, in qua R. Pontifex et rem concessam et concessionis factae conditiones speciatim exprimit. Cui parti dispositivae adnumerandae sunt *clausulae*, quae sive tacite (42) sive expresse (43) apponuntur.

II. *Forma externa* rescripti est legitima, si in ipsa scriptura (44) praemittatur nomen R. Pontificis rescribentis, adiciatur annus incarnationis, Pontificatus, dies, mensis (45), locus, in ipso corpore rescripti eae occurrant necesse est locutiones, quae ex stylo Curiae Romanae pro diversitate personarum et materiae requiruntur (46).

153. *Vitia* rescriptorum sunt aut *extrinseca* aut *intrinseca*.

I. *Vitia extrinseca* oriuntur ex defectu *externae formae* vel solemnitatis substantialis in rescripto non servatae. Id, quod fit. *a) si nomen* R. Pontificis, data etc. omittuntur, cum ex stylo Curiae Romanae huiusmodi rescripta sint nulla; quod

(39) *D' Annibale* l. c. n. 237. sq.; *Putzer* l. c. p. 15. sq.

(40) Cap. 5. X. de cohabit. clerice. III. 2.; *Schmalzgr.* h. t. n. 9. 10., quid in rescriptis iustitiae et beneficialibus *positive* sit exprimendum. Cf. cap. 3. 6. 12. 26. X. h. t.; cap. 11. § 1. h. t. in Sext.; cap. 8. 17. 27. 31. 42. X. h. t.; cap. 23. de praeb. III. 4. in Sext.

(41) * *Si preees veritate nitantur* *, est conditio in omnibus rescriptis subintelligenda, etiamsi non exprimatur. Cfr. cap. 2. X. h. t.

(42) *V. g. si preees veritate nitantur; salvo iure tertii; sine praeiudicio alterius.*

(43) Cap. 25. X. h. t. cum Reg. Canc. Apost. 61.; cap. 17. X. h. t. cum Reg. 59. Cane. Ap.; cap. 18. X. h. t.; cap. 13. X. h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 11. sq.; *Pirhing* h. t. n. 32. sq.; *Putzer* l. c. p. 16. sq.

(44) *Zeeh* l. c. § 337.

(45) Cap. 7. X. h. t.

(46) Cap. 3. 11. X. de fide instr. II. 22.; cap. 6. X. de crim. falsi V. 20.; *Bangen* l. c. p. 391. sq.

si tantum littera desit, nullitas non inducitur (47); *b*) si *rasura* vel *correctio* reperiatur in loco substantiali et suspecto (48); secus dicendum, si sit in loco non suspecto (49); *c*) si *rescriptum* contineat manifestum errorem in *latinitate* (50).

II. *Vitia intrinseca* sunt defectus *substantiales* commissi in ipsa parte *expositiva* aut *dispositiva*, quibus valor concessionis inficitur. Vitia illa intrinseca sunt imprimis duo scilicet *obreptio* sive insinuatio falsi et *subreptio* sive reticentia veri. Quae duo vocabula, cum *obreptio* et *subreptio* quoad effectus non differant, saepe promiscue adhibentur. Causa subreptionis vel obreptionis potest esse aut dolus, quo scienter allegatur falsum, vel reticetur verum, aut ignorantia vel simplicitas. Cfr. cap. 20. X. h. t.

Rescriptum obreptitium vel subreptitium *dolose* impetratum est ipso iure nullum, si sit rescriptum *gratiae* (51); at si sit rescriptum *iustitiae*, ipso iure invalidum non est (52), sed ope *exceptionis* irritari potest (53).

Rescripta, in quibus propter *ignorantiam* vel simplicitatem *obreptio* vel *subreptio* locum habuerunt, nulla et irrita sunt, si Rom. Pontifex cognita veritate *non* fuisset concessurus illa rescripta (54). Nam valor rescriptorum ultimim pendet ab intentione et voluntate *legislatoris rescribentis*, non ab ignorantia et simplicitate *oratorum*. Quodsi Rom. Pontifex *cognita* veritate rescriptum dedisset, valet rescriptum *iustitiae* (55) in *forma communi* i. e. secundum solemnitates processus ordinarii, non secundum *formam specialem* in rescripto forte expressam est procedendum; sed rescriptum *gratiae* etiam in hoc casu est irritum non obstante ignorantia vel simplicitate, si in rescripto reperiatur expressio falsitatis vel reticentia veritatis substantialiter vitiosa v. g. quoad causam

(47) Cap. 11. X. de fide instr. ll. 22.

(48) Cap. 7. X. de statu monachor. lll. 36.

(49) Cap. 3. X. de fide instr.

(50) Cap. 11. h. t. X.

(51) Cap. 8. 31. X. h. t.; cap. 1. de praeb. lll. 2. in Clem.; *Pirhing* h. t. n. 85.

(52) *Maschat* h. t. n. 10. et *Sebastianelli* l. e. t. l. p. 62. sq. in casu doli defendunt nullitatem ipso iure habere locum.

(53) Cap. 22. X. h. t.; *Pirhing* h. t. n. 85.; *Scherer* l. e. p. 142.; *D'Annibale* l. e. n. 238.

(54) Cap. 20. X. h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 16.

(55) Cap. 20. X. h. t.

motivam sive finalem secundum ius vel stylum Curiae Romanae (56).

154. Scholion. Quodsi ad casus concretos et particulares sit descendendum:

I. *Generatim* invalida sunt rescripta, *a*) quae data sunt contra ius statutarium (57) vel consuetudinarium (58) vel contra ius et privilegium tertii, nisi horum mentio fiat (59); *b*) in quibus non sit mentio prioris rescripti nondum aliunde inefficacis, nisi prius rescriptum esset generale, alterum vero speciale (60); *c*) quae clausulam habent prohibentem cognitionem causae et veritatis precum, quia in omni rescripto pontificio subintelligitur clausula: “ *Si ita est* „ (61); *d*) quae obtenta fuerunt contra Innocentii XII. decretum “ *Ut occurratur* „ 4. Iun. 1692., quo cavetur, ne quis preces in materia gratiae vel iustitiae alicui ex Sacris Congregationibus Urbis oblatas et reiectas denuo alii S. Congregationi proponat (62). Quae praescriptio innovata est in nova ordinatione Curiae Romanae. Cfr. *Ordo servandus* part. II. c. 1. n. 3.

II. *Speciatim* *invalida* sunt rescripta *iustitiae*, *a*) si in illis dati fuissent incerti iudices arbitrio oratoris eligendi (63); *b*) si reus vi rescripti citandus esset ultra unam dietam (= 20 milliaria italica) extra fines suae dioecesis, nisi specialiter id exprimatur (64); *c*) si litis pendens, sententiae, appellationis, transactionis in eadem causa non fieret mentio (65).

III. In specie ex rescriptis *gratiae* invalida sunt rescripta *beneficialia*, *a*) si prioris benefici etiam modici mentio non

(56) Cap. 23. de praeb. III. 4. in Sext.; *Pirhing* h. t. n. 97. 98; *Schmalzgrueber* h. t. n. 16; *Santi* h. t. n. 11. 12.; *D' Annibale* l. c. n. 237. In dispensationibus matrimonialibus, quae dantur de minoribus gradibus, non amplius habenda est ratio obreptionis vel subreptionis, perinde ac si datae fuissent *motu proprio*: cum in posterum semper concedentur *ex rationabilibus eausis a S. Sede probatis*. *Ordo servandus*, part. II. c. 7. art. 3. n. 21.

(57) Rescriptum si datur contra ius commune, imo etiam Concilii Tridentini decretum, omnino validum est, etiamsi iuris communis vel Concilii Tridentini ordinarie expressa mentio non fiat. Cfr. Pii V. Const. “ *Cum contingat* „ 23. Dec. 1570.; *Sanguineti*, *Inst. iur. eccl.* p. 75. sq. n. 68.

(58) Cap. 4. 10. h. t. in Sext.

(59) Cap. 2. 19. X. h. t.; cap. 1. de const. I. 2. in Sext.

(60) Cap. 1. 2. 3. X. h. t.; *Reiffenstuel* h. t. § 4.

(61) Cap. 2. X. h. t.

(62) *Maselhal* h. t. n. 8.

(63) Cap. 10. X. h. t.

(64) Cap. 28. X. h. t. correctum cap. 11. § 2. h. t. in Sext.

(65) Cap. 12. X. h. t.; cap. 3. X. de confirm. II. 30.; *Schmalzgr.* h. t. n. 9.

fiat (66); *b*) si qualitas beneficii antea obtenti non exprimat (67); *c*) si modus, quo beneficium vacaverit, non insinuetur (68); *d*) si mentio omittatur rescripti primi super beneficio ab alio impetrati (69).

§ 3. DE INTERPRETATIONE ET EXECUTIONE RESCRIPTORUM.

155. I. Rescripta postquam legitime praesentata (70) fuerunt, generatim ita sunt interpretanda (71), ut verba *clara*, etsi videntur esse gravia et a iure communi exorbitantia, accurate sint servanda. Nam *verba clara non admittunt interpretationem nec voluntatis coniecturam* (72).

Quodsi verba sunt *dubia*, rescripta *iustitiae* sunt *strictae interpretationis*; etenim parti colliganti sunt odiosa et iurisdictioni Ordinarii haud raro detrahunt (73). Quare huiusmodi rescripta ad *personas* in supplici libello non expressas, ad *lites post* obtentum rescriptum exortas, vel ad *alias lites prius* existentes et non indicatas nequaquam extendi possunt (74). Rescripta vero *gratiae* cum liberalem contineant Rom. Pontificis concessionem, generatim sunt *largae* interpretationis *contra* concedentem; nam qui liberaliter aliquid concedit neque quidquam excipit, omnia praesumitur concessisse (75).

Nihilominus ab ista regula excipiuntur, strictaeque interpretationi sunt obnoxia omnia rescripta de *beneficiis*, quae speciem quandam *ambitus* exhibent, aut quae *praeiudicium* quoddam *tertia*e personae involvunt (76), aut sunt *contra* ius commune velut ordinariae dispensationes. Si plura impetrata

(66) Cap. 17. 42. X. h. t.

(67) Cap. 8. X. h. t.

(68) Cap. 6. h. t. in Sext.

(69) Cap. 31. X. h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 10. Cfr. de effectu partialis *obreptionis* vel *subreptionis* atque de efficacia *Motus* proprii: *Pirhing* h. t. n. 107. sq. 111. sq.; *Scherer* l. c. p. 142. sq.; *D' Annibale* l. c. n. 238.

(70) *Schmalzgr.* h. t. n. 20. sq.

(71) *Pirhing* h. t. n. 15. sq. Cfr. de interpretatione clausularum h. t. l. n. 133.; *Putzer* l. c. p. 16. sq.

(72) Cap. 15. X. de V. S. V. 40.; cap. 2. h. t. in Sext.; cap. 18. X. h. t.

(73) Cap. 15. 16. X. h. t.; cap. 2. h. t. in Sext. Cfr. obligationem audiendi interesse habentes *ante* concessionem gratiae, cum haec ius aliis quaesitum laedit in *Ordo servandus*, part. II. c. 3. art. 1. n. 1.

(74) Cap. 32. 40. X. de off. et p. i. d. l. 29.; *Pirhing* h. t. n. 156. sq.; cap. 34. 43. X. h. t.; *Scherer* l. c. p. 143.

(75) Cap. 4. de praeb. III. 4. in Sext.; *Schmalzgr.* h. t. n. 28. sq.

(76) Cit. cap. 4. de praeb. in Sext.; cap. 15. X. de off. et p. i. d. l. 29.

sunt rescripta, generatim rescriptum *speciale* praevalet (77) *generali*, et si utrumque est aut generale aut speciale, tunc valet rescriptum *posterius* impetratum, si prioris faciat mentionem; secus valet primum, et alterum censetur subreptitium (78).

II. Rescripta interdum continent *gratiam*, quam Romanus Pontifex *immediate* absque intermedio executore vel delegato *concedit* supplicanti. Quo in casu rescriptum dicitur datum in *forma gratiosa* atque continere *gratiam factam*, quae vim consequitur et ius quaesitum parit oratori (79) a die *datae* sive *expeditae* gratiae, ita ut solummodo *acceptatio* gratiae per supplicantem accedere debeat. Inde consequitur, quod in rescriptis gratiae factae *causa motiva* ipso tempore gratiae *datae* sive *expeditae* existat necesse est. Ordinarie vero rescripta tantum continent *mandatum*, quo Romanus Pontifex aut *imperat* executori necessario, ut servatis servandis gratiam supplicanti largiatur, aut *concedit* facultatem executori voluntario (80) pro suo prudenti arbitrio gratiam supplicanti impertiendi. Quare rescripta dicuntur dari in *forma commissoria* et ad *gratiam faciendam*. Hinc qui rescriptum in forma commissoria obtinet, eo demum die gratiam consequitur, quo delegatus nomine Romani Pontificis *mandatum exequitur*. Quam ob causam in rescriptis *gratiae faciendae* sive in forma commissoria *dies praesentatae* est attendendus. Idem obtinet in rescriptis iustitiae (81). Imprimis rescriptum executori in *forma authentica* est *exhibendum*, ut eidem fides haberi possit. Porro summarie *cognoscendum* est, num pre-

(77) Cap. 1. 14. X. h. t.; *Pirhing* h. t. n. 160. sq.

(78) Cap. 3. X. h. t.

(79) Cap. 7. X. h. t.; cap. 9. h. t. in Sext.; cap. 7. 36. X. de praeb. III. 4. in Sext.; cap. 5. h. t. in Clem.; *D' Annibale* l. c. n. 239. Quodsi complura rescripta gratiae factae ita concurrant, ut ex *diversa* die i. e. ex prioritate *datae* sive expeditionis in Curia quaestio dissolvi non possit, procedatur oportet secundum cap. 14. h. t. in Sext. Cfr. quoque Reg. 27. 31. 34. 44. 52. Canc. Apost.; *Scherer* l. c. p. 143. not. 17. 18.; *Riganti* in Reg. cit. Canc. Apost.; *Putzer* l. c. p. 73. sq. 99. sq.

(80) S. C. C. 21. Mart. 1868. in Act. S. Sed. vol. III. p. 524. Cit. *Ordo servandus*, p. II. c. 3. n. 3., ubi declarantur conditiones illius prudentis arbitrii executoris voluntarii. At in executore necessario solum in duobus casibus permittitur mera *suspensio* executionis cum obligatione S. Sed. certiorandi, se, casus *manifestae* obreptionis vel subreptionis, et casus notoriae indignitatis ex qua offensio seu scandalum in aliis sequeretur.

(81) Cap. 12. 59. X. de appell. II. 28.; *Santi* h. t. n. 18. sq.

ces veritate nitantur saltem tempore executionis mandati (82), et num rescriptum aliis qualitatibus legitimis sit instructum neque ob vitia suspectum.

Executores rescriptorum iustitiae, quae iurisdictionem in foro externo requirunt, sunt personae in ecclesiastica *dignitate* constitutae (83) veluti Episcopi, Vicarii generales, Praelati regulares etiam locales, dignitates et personatus, canonici ecclesiarum *cathedralium*. At canonici ecclesiarum collegiatarum (84), decani rurales, priores claustrales, parochi non sunt idonei. Quodsi iurisdicatio in foro *externo* non requiritur, executio rescriptorum committi solet doctoribus sacrae theologiae vel sacrorum canonum vel confessariis regularibus privilegiatis vel personis ecclesiasticis alias idoneis (85).

§ 4. DE DURATIONE ET CESSATIONE RESCRIPTORUM.

156. I. *Rescripta tam gratiae quam iustitiae* (86) *de se* sunt *perpetua*, nisi determinatum tempus praesentationis sit praescriptum. Quare rescripta *gratiae* quocumque tempore praesentari possunt, dummodo absit dolus aut notabilis negligentia (87). Num dolus vel negligentia adfuerint, iudicis ecclesiastici est diiudicare iuxta analogiam cap. 5. X. de appell. II. 28. Quodsi quis rescripto *iustitiae* intra *annum*, postquam copiam iudicis habuerit, ex malitia vel negligentia non sit usus, valet *secundum* rescriptum ab alia parte obtentum, etsi de priore nullam fecerit mentionem. Cfr. cap. 23. X. h. t.; cap. 9. X. d. off. et pot. iud. d. I. 29. Quodsi unicum obtentum fuit rescriptum iustitiae, id tamdiu durat, quamdiu existit *ius agendi* vel *excipiendi*, super quo impetratum est.

II. *Exspirant vel cessant rescripta*:

a) *lapsu* incerti vel determinati *temporis*, pro quo rescriptum datum est vel impleta *conditione* resolutoria; cfr. cap. 5. h. t. in Sext.; cap. 4. X. de off. et pot. iud. d. I. 29.;

(82) Quare in rescriptis datis in forma commissoria non requiritur, ut eausa motiva dispensationis iam fuerit verificata *tempore* concessionis vel expeditionis gratiae in Curia Romana faetae, multo minus simul *utroque* tempore i. e. et expeditionis et executionis. Cfr. *D' Annibate* l. c. n. 239.; *Giovine*, De dispensat. matr., consult. IV. § 73.; *Pulzer* l. c. p. 101. sq.

(83) Cap. 11. pr. h. t. in Sext.

(84) S. C. C. 9. Sept. 1843. in eaus. Regensi.

(85) *Masehat* h. t. n. 13. 14.; *Scherer* l. e. p. 143. sq.

(86) *Schmalzgr.* h. t. n. 20.; *Sebastianelli* l. c. t. I. p. 56.; *Pulzer* l. c. p. 60. sq. 74. sq.; *Rosset*, De matrim. n. 2773. sq.

(87) Cap. 12. h. t. in Sext.

b) morte concedentis (88) vel alio facto (89), quo iurisdictio in concedente tollitur, si sint rescripta *iustitiae* vel *gratiae faciendae* (90), et res sit adhuc integra (91); secus dicendum, si sint rescripta *gratiae iam factae* (92);

c) morte impetrantis rescripta ad *beneficia* et privilegia personalia, minime vero rescripta iustitiae et privilegia realia, quae transeunt ad haeredes;

d) morte illorum contra quos nominatim rescripta *iustitiae* sunt impetrata, ita ut non transeant ad *haeredes*, si res adhuc sit integra (93);

e) morte denique executoris (94), qui *nominatim* constitutus est, nisi executio censeatur commissa *ratione dignitatis*, quae non moritur, non propter *industriam personalem*;

f) renuntiatione impetrantis rescripta *gratiae*, si illa favorem contineant *soli* impetrantis, quoniam unusquisque favori sibi concesso renuntiare potest; si *duobus* vel *compluribus* gratiam indulgeant, quilibet *suo* favori renuntiare eatenus tantum valet, quatenus id absque laesione favoris alterius fieri potest; si vero favorem *publicum* ipsamque communitatem respiciant, certe renuntiatione ius *tertii* tolli nequit, imo nec *proprium*, cum ob publicam utilitatem favor sit concessus, cui privatus renuntiare non potest; item rescripta *iustitiae* renuntiatione cessant vel ipso adversario invito, *quandiu* iudici delegato non fuerint *praesentata* (95);

g) revocatione concedentis sive expressa sive tacita (96) v. g. rescripto vere legitimeque contrario priori.

(88) Cap. 30. X. de off. et. p. i. d. l. 29.; *Rosset* l. c. n. 2777. sq.

(89) *Pirhing* h. t. n. 185.

(90) Cap. 36. de praeb. III. 4. in Sext.

(91) Cfr. cit. cap. 30. X. l. 29.; cap. 36. de praeb. in Sext.; cap. 16. X. h. t. cum Glossa. Quare ut incommodis occurratur, per Reg. 12. Canc. Apost. convalidantur rescripta iust. et grat. a R. Pontifice infra annum ante mortem suam concessa et nondum praesentata. Cfr. quoque Reg. 10. Canc. Apost.; Regest. Leon. X. (ed. *Card. Hergenroether*) ad d. 19. Martii 1513.

(92) R. l. 16. in Sext.; cap. 9. de off. et pot. i. d. l. 14. in Sext.; *Seherer* l. c. p. 145.

(93) Cap. 36. X. h. t.

(94) Cap. 7. X. h. t.; postulatis Episcoporum Belgii in Conc. Vatic. (cfr. *Martin* l. c. p. 184.) per decreta S. C. Inq. 28. Aug. 1885. 20. Febr. 1888. satisfactum est; *Gasparri* l. c. n. 365. 414.; *Anal. eccl. t. III. p. 373.*; *Rosset* l. c. n. 2787. sq.

(95) *Rosset* l. c. n. 2788. sq.

(96) Cap. 29. X. h. t.; cap. 15. h. t. in Sext.; *Pirhing* h. t. n. 181. sq.; *Gasparri* l. c. n. 400.; *Rosset* l. c. n. 2469. 2792. sq.

TITULUS VII.

DE PRIVILEGIIS

(*Lib. V. tit. 33. de privilegiis*).

Praenotiones.

157. Fontes : Deer. Grat. e. 3. D. 3.; e. 18. C. IX. q. 3.; e. 63. C. XI. q. 3.; e. 8. 17. C. XVI. q. 3.; e. 1. 2. 6. 8. 17. 21. eum diet. Grat. C. XXV. q. 2. (1) — Compl. I l. V. t. 28. d. pr. et exe. pr.; epl. II. l. V. t. 14. d. pr. ete.; epl. III. l. V. t. 16. de pr. et indulgentis; epl. IV. l. V. t. 12. de privilegiis; epl. V. l. V. t. 12. d. pr. et exe. pr. — Deer. Greg. IX. l. V. t. 33. d. pr. et exe. pr.; Deer. Bonif. VIII. l. V. t. 7. ead. rub.; Const. Clem. V. l. V. t. 7. ead. rubr.; Extravg. Ioann. XXII. t. 11. ead. r.; Extravg. eom. l. V. t. 7. ead. r. — Deeretales Clem. P. VIII. l. V. t. 16. ead. rubr. in eit. ed. p. 173. sq., ubi recensentur deeret. Cone. Lat. V. et Cone. Trid. et aliae Const. Rom. Pont. — Aeta S. Sed. vol. I. p. 239. 687., vol. III. p. 433. 443., vol. V. p. 183. 593., vol. XIV. p. 271.; Colleetan. S. C. de Prop. F. v. Privilegia.

Scriptores : Commentatores (2) in h. t.; *Paueapalea* l. e. p. 9. sq.; *Sleptanus Tornae*. l. e. p. 13.; *Zeeh*, Praecognita §§ 546. sq.; *Sanguineti* l. e. n. 114. sq.; *Schulte*, D. Lehre v. d. Q. p. 140. sq.; *Phillips* l. e. t. V. §§ 206. sq.; *Seherer* l. e. § 37.; *Hinsehius* l. e. t. III. p. 805. sq. *Suarez*, De leg. l. VIII., quem de hae materia egregie disputantem recentiores scriptores saepe plane negligunt atque auctoribus inferioris notae postponunt; *Laurentius*, in Arch. f. k. K. t. 81. p. 273. sq.; *Putzer*, Comment. in facult. apost. n. 1. sq.; *Mergenthalium*, D. Quinquennial-fakultäten pro foro externo. *Thomassinus*, Vetus et nov. Eeel. diseipl. variis in locis disserit de historia privileg. v. g. P. III. l. 1. eap. 33. sq. (3).

158. l. Connexio materiae. Quamvis disputatio de privilegiis connexionem quandam habeat cum quaestione de excessibus sive delictis privilegiatorum (4), tamen huiusmodi connexio

(1) L. 16. D. de leg. l. 3. * *Ius singulare est, quod contra tenorem rationis propter aliquam utilitatem auctoritate constituentium introductum est* *; L. 1. § 2. D. de const. prin. l. 4. * *Plane ex his (i. e. constitutionibus) quaedam sunt personales.... personam non egreditur* *; L. 4. Cod. Theod. de itinere muniendo XV. 3. * *Privatorum privilegiorum* *, ab onere eurationis * *privilegia* * (* *rescripta personalia* *).

(2) Ex theologis consuli quoque possunt: *S. Alphonsus*, Theol. mor., ubi post. l. I. traet. 2. reperitur appendix II. de privilegiis; *D' Annibale* l. e. P. I. n. 222. sq. 227. sq., *Ballerini-Patnieri*, Op. theol. mor. t. I. p. 428. sq.

(3) De privilegiis in foro civili scripserunt: *Arnolds-Serafini* l. e. §§ 23. 57.; *Vering*, Geschichte u. Pand. § 36.

(4) *Schmalzgr.* h. t. in prooemio tituli sane optime probat ante quaestionem de abusu privilegiorum disserendum esse de ipsis privilegiis (sal-

est adeo secundaria, ut propter illam titulus de privilegiis propriam sedem in iure *criminali* libri quinti Decretalium apte consequi non possit, sed potius attenda privilegiorum natura (5) et legitimo ordine Institutionum (6) inter fontes iuris ecclesiastici sit collocandus; disputatio vero de altera parte rubricae huius tituli i. e. de excessibus sive abusibus privilegiatorum eorumque poenis, cum sit iuri criminali propria, potius libro quinto est reservanda.

II. **Definitio.** Privilegium cum sensu lato et stricto (7) accipitur, duplicem quoque admittit significationem. Et lato quidem sensu denotat quamlibet *legem singularem*, qua *prae-rogativae* quaedam etsi ordinario et *communi* iure alicui prae aliis etiam *exclusive* conceduntur. Quo sensu vel ipsa *iura ordinaria* Romani Pontificis, Patriarcharum, Episcoporum, clericorum, regularium, minorum, interdum dicuntur privilegia (8), quamvis iure *communi* nitantur (9). Verum privilegium si sensu stricto et obiective spectatur, est: *Lex privata specialem favorem contra vel praeter ius commune concedens* (10); si autem subiective consideretur, definiri potest: *Ius speciale permanens a Superiore contra vel praeter ius commune in gratiam concessum.*

Lex dicitur privilegium, quoniam est *norma* quaedam obiectiva, secundum quam quis ex concessione Superioris obtinet facultatem ordinarie et stabiliter operandi contra vel

tem in genere); at minime haec ratio evincit de privilegiis non iam ab initio libri primi, sed nonnisi immediate ante delicta privilegiatorum (* ideoque *hic?*) in libro quinto esse disputandum. Quare recte docet *Zallinger* l. V. t. 33. §§ 259. 262. tractationem de privilegiis reduci ad theoriam de legibus.

(5) Grat. ad c. 3. D. 3.; *Suarez*, De leg. l. VIII. de privil.; *Zech*, Praecognita i. e. tit. 17. de privileg. § 346.

(6) *Sanguincti*, Inst. lur. eccl. n. 114. sq.; *Scherer* l. c. p. 165. sq. Cfr. interim de excessibus privilegiatorum: *Pirhing* h. t. n. 181. sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 197. sq.; *Hollweck*, D. k. Strafg. p. 153. not. 2.; *Hinschius*, System t. III. p. 818. sq.

(7) *Zallinger* h. t. §§ 263. 264.

(8) Cfr. c. 8. C. IX. q. 3.; *Zallinger* l. c. § 263.; *Scherer* l. c. p. 165.

(9) Concil. Trid. Sess. XXIV. cap. 6. de ref. de facultate Episcoporum dispensandi ab irregularitatibus; decret. S. C. Inq. 20. Febr. 1888., quo potestas Episcoporum dispensandi de impedimentis matrimonii multum aucta est. Cfr. *Gasparri* l. c. n. 405.

(10) Cap. 25. X. de V. S. V. 40. * *Privilegium.... nec esset lex privata, nisi aliquid specialiter indulgeret* *; c. 3. D. 3. cum dicto Grat.; *Suarez* l. c. cap. 1. 2. 3. sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 1. 2. sq.; *Putzer* l. c. p. 2. sq. not. 3.

praeter ius commune (11), et insuper omnibus aliis vera imponitur *obligatio* non turbandi privilegiatum in usu favoris concessi. *Privata* vero est ista lex, quia particulari tantum personae vel communitati, ut sunt *partes* superioris societatis speciale quoddam ius concedit. Quod ius non debet continere favorem *qualemcumque*, sed directum et *specialem*. Quare privilegium non habetur, si favor conceditur in iure communi (12) iam contentus, qui dicitur “ *secundum ius* „. Paucis igitur verbis privilegium dici potest *lex specialis favorabilis* (13).

Facultas autem *subiectiva* ut vere possit dici privilegium, perpetuitate quadam gaudeat necesse est, ut “ *lex* „, cui innititur (14). Privilegium enim est ad modum *iuris* sive potentiae vel *habitus*, non ad modum *actionis*. Quare *dispensatio* ad actum transeuntem vel ad nonnullos actus similes tractum successivum habentes vel *facultas* quaedam *temporanea* v. g. facultates triennes sensu stricto non sunt *privilegia*, sed. v. g. a *Reinffestuel* in app. ad l. IV. n. 20. appellantur “ *quasi privilegia* „.

Quibus notionibus accurate expensis etiam discrimen privilegii a lege ordinaria, a dispensatione, a gratia vel beneficio, a rescripto haud difficulter poterit erui. Cfr. *Suarez*, De leg. l. VIII. cap. 2.; *Schmalzgr.* h. t. n. 23.

III. **Divisio.** Privilegia dividuntur a) in privilegia *contra* et *praeter* ius commune concessa (15);

(11) *Pirhing* h. t. n. 5. reete doet privilegium dari per modum *legis* privatae ad operandum *ordinarie* et *stabiliter* contra (vel praeter) aliquod ius commune.

(12) Cap. 7. X. de proeur. l. 38. iunet. eap. unie. X. de synd. l. 39., eap. 26. X. de iureiur. ll. 24.; *Schmalzgr.* h. t. n. 8. 9.; *Suarez* l. e. n. 4. 6. 7.; *Pirhing* h. t. n. 3. Quodsi quandoque a principe specialiter et expresse ea conceduntur, quae in iure commune iam reperiuntur concessa, id fit per modum declarationis iuris naturalis vel communis ad maiorem securitatem et confirmationem et auctoritatem, ad vitanda dubia, tollendos scrupulos, pacandas conscientias, compescendos adversarios; nam concessio specialis et expressa pluris aestimatur quam generalis aliunde iam obtenta. Cfr. cit. eap. At istae concessiones quamvis *aliquem favorem* principis contineant, tamen stricti privilegii rationem non habent. Cfr. quoque *Putzer* l. e. p. 1. sq.

(13) Cfr. supra h. tom. l. n. 50. de iure vel lege speciali. Quare privilegium non optime appellatur *lex exceptionalis*, quia non satis distinguitur genus a specie; *omne* enim privilegium est *lex specialis* sive exceptio a iure ordinario et regulari, sed non *omnis exceptio* vel *lex specialis* v. g. exceptio odiosa est *privilegium*.

(14) *Suarez*, De leg. l. l. e. 10. n. 16. 17. 18.; *Zallinger* h. t. § 263.

(15) Cap. 7. 9. X. h. t. Quodsi *Hinschius* l. e. p. 808. hanc divisionem

b) in *favorabilia* (16), quae merum favorem continent sine incommodo alterius, et in *odiosa*, quae *tertia*e personae praedudicium afferunt;

c) in *affirmativa*, quae facultatem concedunt aliquid efficiendi vel agendi, et in *negativa*, quibus ius ad aliquam omissionem acquiritur (17);

d) in *gratiosa*, *reñuneratoria*, *onerosa* sive *conventionalia*, quatenus dantur aut ex mera liberalitate aut in compensationem meritorum aut per modum contractus etiam cum reciproca obligatione ex iustitia commutativa (18);

e) in *personalia* et *realia*; nam licet omnia privilegia ultimatum redundant in personas, tamen alia *proxime* et *immediate personis* conferuntur, alia proxime et immediate conceduntur *rei* v. g. loco, dignitati, officio (19);

f) in privilegia *motu proprio* et in privilegia ad instantiam sive ad *preces* concessa;

g) in privilegia *per se* alicui concessa i. e. sine respectu ad privilegium prius alteri datum, et in privilegia *ad instar* sive *accessorie* sive *aeque principaliter* vel *pariformiter* data i. e. secundum ambitum, modum, formam privilegii antea iam alteri concessi;

negat, eo quod tantum existant privilegia *contra* ius, assertionem proponit fundamento solido destitutam et aliis opinionibus eiusdem auctoris in hac materia non probatis omnino adnumerandam. Cfr. *Schmalzgr.* h. t. n. 57. 58.; *Pirhing* h. t. n. 2. Nam multae facultates absolventi vel dispensandi, quae conceduntur propter ius, non contra ius, merito dicuntur privilegia, quia constituunt leges *privatas* concedentes *specialem favorem*, licet minus strictum.

(16) *Suarez* l. e. cap. 6. n. 5. 6. 7. Quare haec divisio alio plane sensu accipitur atque interdum fit a recentioribus iuristis. Cfr. *Ferrari* l. e. n. 41. contra quem cfr. *Schmalzgr.* h. t. n. 8. sq. n. 63. 64.; *Hinschius* l. e. p. 808.; *Zallinger* h. t. § 263.

(17) *Suarez* l. e. n. 9. 10.; *Hinschius* l. e. p. 809. ob rationes inefficaces tenet hanc divisionem non esse completam, atque cap. 25. X. de V. S. V. 40. sub illa non posse comprehendere. Cfr. quoque c. 39. C. XVI. q. 1.

(18) Pius IX. in Const. « *Suprema* » d. 10. Oct. 1867. publicata de abrogatione « *Monarchiae Sive* » derogat « *privilegiis quoque... ex quaeunque causa etiam per viam contractus et remunerationis... concessis* »; *Suarez* l. e. cap. 4.; *Schmalzgr.* h. t. n. 38. sq.; *Giobbio*, 1 concordati p. 53. sq.

(19) Cap. 6. X. de praesumpt. II. 23.; R. l. 7. in Sext.; *Suarez* l. e. cap. 3. n. 3. sq. Cfr. quoque decr. S. O. 24. Nov. 1897. de transitu facultatum apostolicarum Episcopi in Vicarium capitularem ratione officii « *Ordinarii* ».

h) in privilegia *absoluta* atque in *conditionata* et *modalia* (20);

i) in *scripta* et in *non scripta* (21).

Quodsi privilegia etiam dividuntur in privilegia *iuri communi* sive (ut alii minus accurate loquuntur), corpori iuris canonici *inserta* et in privilegia speciali concessione sive *re-scripto data* et *extra ius commune vagantia*, haec divisio nequaquam coincidit cum divisione privilegiorum in *communia* et *privata sive singularia* (22).

§ 1. DE PERSONIS HABILIBUS AD CONCEDENDA
ET ACCIPIENDA PRIVILEGIA.

159. I. *Collator privilegii ecclesiastici potest esse omnis et solus legislator ecclesiasticus in materia et ditione suae potestati legislativae subiecta.* Nam privilegium est lex privata, qua quis ab ordinaria et communi lege observanda permanenter eximitur, et aliis in communitate imponitur obligatio privilegiatum in usu favoris concessi non turbandi; iamvero huiusmodi exemptio et obligatio solummodo a legislatore statui potest (23). At quoniam in foro ecclesiastico maxime agitur de iis privilegiis, quae *contra ius commune* conceduntur, evidenter *solus Romanus Pontifex* (24), non inferior Praelatus (25) talia privilegia concedere potest; nam ipse solus

(20) *Schmalzgr.* h. t. n. 46. sq. 69. 50. sq.; *Suarez* l. e. cap. 13.

(21) *Suarez* l. e. cap. 7., ubi occasione huius divisionis exceptiones, quas *Seherer* l. e. p. 166. et *Hinsehius* l. e. p. 810. contra aquisitionem « *privilegii* », per consuetudinem legitime praescriptam movent, iamdiu praecoccupatae et solutae sunt. Cfr. quoque *Laurentius* in Arch. f. k. K. t. 81. p. 273. sq.

(22) *Suarez* l. e. cap. 6. n. 1. sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 54. 60. 61. Si *Hinsehius* l. e. p. 809. duplicem illam divisionem appellat « *plane indifferentem* » sive nullius momenti, iustos limites excedit neque concludentibus rationibus rem probat. Cfr. *D'Annibale* l. e. n. 227.; *Laurentius* in Arch. f. k. K. t. 81. p. 273. sq.

(23) Cap. 16. pr. X. de maior. et ob. l. 33.; *Suarez* l. e. cap. 8. n. 1. sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 70.; *Pirhing* h. t. n. 9.

(24) Cap. 3. 4. 12. X. h. t.; cap. 5. h. t. in Sext.; *Suarez* l. e. n. 7. 8.

(25) Profecto inferiores Praelati a concedendis privilegiis intra ambitum suae competentiae i. e. in suis legibus et territoriis non arcentur, sed practici momenti sunt potissimum *privilegia pontificia*. Cfr. cap. 14. X. h. t.; *Suarez* l. e. n. 10.; *Seherer* l. e. § 37. II.

Rom. Pontifex indubitanter etiam privilegia *praeter ius* v. g. de absolute et dispensatione concedere potest; nam cum sit *supra* ius commune constitutus, non solum contra ius, sed a fortiori *praeter* ius valet

sive cum Concilio oecumenico sive extra illud est supra ius commune constitutus. Qua potestate legislator ad conceden-

indulgere facultatem libere operandi. Cfr. *Suarez* l. c. n. 7.; *Pirhing* h. t. n. 9. At non omnes doctores conveniunt, utrum *solus* R. Pontifex sit competens ad concedenda privilegia *praeter* ius, an similis praerogativa Prae-
latis quoque inferioribus v. g. Episcopis sit vindicanda.

Profecto *Ballerini-Palmieri*, Op. theol. mor. t. I. p. 428. scribit: « *Etsi* (privilegium) *sit solum praeter legem, solus legislator seu supremus princeps communitatis potest alicui facultatem talem concedere agendi praeter legem, ut ea sit iuridica, et universa communitas teneatur eam servare privilegiato* ». Quae verba ex sensu obvio soli supremo principi i. e. R. Pontifici in Ecclesia videntur tribuere talem potestatem. Aliter opinatur *Biederlack* in Act. theol. Oenip. t. XXII. p. 564. sel. huiusmodi ius *exclusivum* R. Pontificis non posse probari. *Suarez* quoque l. c. l. VIII. cap. 8. n. 10. (quem aliis non raro tacentibus sequitur *Pirhing* h. t. n. 9.) haec docet: « *Denique simili modo dicendum est de privilegiis, quae non sunt contra ius; nam illa etiam concedere possunt Episcopi respectu rerum ad se pertinentium* ».

Quibus ultimis verbis *Suaresius* suam assertionem limitat et nequaquam defendit *generale* principium, Episcopos posse concedere *vera* privilegia *praeter* ius. Quodsi deinde descendit ad particularia privilegia ab Episcopis praeter ius concessa et in corpore iuris canonici relata, fatetur illa potius esse privilegia *impropria* i. e. donationes vel elargitiones in rebus temporalibus secundum disciplinam tunc vigentem. At donare aliquid de propriis bonis, vel concedere usum rei propriae, ut ipse *Suarez* l. c. n. 6. seite observat, non importat proprium privilegium; nam non est actus *iurisdictionis*, sed *dominii*; privilegium vero constituitur per modum *legis* eum vi obligandi alios ad ipsum servandum. « *Et ideo* (privilegium) *per se requirit potestatem iurisdictionis, non solum quando derogat iuri communi, sed etiam quando concedit aliquid praeter ius; nam illud postea respectu privilegiarii tanquam ius servandum est* ».

Deinde inter privilegia *praeter ius* ad instar stabilis exempli praesertim recensentur facultates quaedam absolvendi vel dispensandi a R. Pontifice concessae. At quod ipsi Episcopi per se non habent, id multo minus aliis per modum privilegii concedere valent, ideoque saltem a *generali* assertionem iuris cuiusdam ordinarii Episcoporum impertiendi privilegia praeter ius videtur abstinendum.

Porro *Biederlack* l. c. t. XXVI. p. 156. contra *Saegnweller* defendit, a compluribus saeculis multa, quae sint mere (?) praeter ius commune (i. e. ratione *materialis* legum) potestati legiferae Episcoporum esse *subducta* et R. Pontifici *reservata* v. g. de novis festis, irregularitatibus, impedimentis matrimonii inducendis (ideoque *huiusmodi* leges ab Episcopis latae ratione *subiecti legiferi* sunt *contra* ius commune). At ubi deficit *potestas legifera*, etiam deest potestas concedendi *privilegia*. Nam privilegii concessio non solum requirit potestatem legiferam, ut forte *deroget* iuri communi, « *sed etiam ex ea parte, qua privilegium habet vim obligandi alios ad servandum privilegium ipsi privilegiario est vera lex respiciens communitatem, et ideo ex hac parte requirit publicam potestatem simpliciter legislativam* ». Cfr. *Suarez* l. c. n. 4. Et revera quid sibi vult privilegium non servandi novum festum, quod Episcopus instituere *non potest*?

dum privilegium competens etiam sine iusta causa valide utitur, dummodo aliunde nihil obstet; at huiusmodi arbitraria collatio privilegii sine iusta causa facta semper est illicita (26).

II. *Privilegia ecclesiastica*, quae sunt *contra ius, solis subditis* concedi possunt. Nam haec privilegia concedunt exemptionem ab observantia legis, propterea supponunt obligationem ex lege lata in eo, qui privilegio donandus est; sed obligatio legis tantum veris subditis a legislatore imponi potest; ergo etiam soli subditi acquirendae exemptionis vel dispensationis a lege sunt capaces. Quibus subditis merito adnumerantur illi, qui in aliquo territorio quoad certas saltem leges ab ipsis observandas subditis aequiparantur (27).

Privilegia praeter ius per concessionem legislatoris etiam a non subditis acquiri possunt, dummodo agatur de *materia legislatori* sive collatori privilegii *subiecta*, et de qua eidem competat *potestas* proprios subditos *cogendi*, ne privilegiatum in usu privilegii impediatur. Cuius assertionis ea est ratio,

Sane Episcopus interdum *specialiter* et *expresse* aliquid *permittere* potest, quod iure communi non est prohibitum, sed permissum; v. g. si dicat sponsalia (ubi non viget ius decreti. « Ne temere ») sine scriptura publica coram aliquot testibus valide et licite posse celebrari. Quo in casu *strictum privilegium* omnino non haberetur, ut in not. 12. h. tit. iam est demonstratum. Quodsi vicissim Episcopus *pro suo iure* aliquid *prohibeat* vel *praescribat* quod hucusque *iure communi* non fuit prohibitum vel praescriptum v. g. de admissione sacerdotis extranei ad celebrationem Missae sine speciali licentia etiam Ordinarii loci, procul dubio *contra* hanc legem suam poterit concedere privilegium. Qui favor non nisi *improprie*, non *formaliter* diceretur privilegium *praeter ius* commune; certe in alia dioecesi, ubi similis viget ordinatio, privilegiato in rigore iuris non prodest; nam Episcopus extra suam dioecesim nequit ferre leges. Hinc illa immunitas ibidem solummodo practicam habet utilitatem, si approbatur ab Episcopo quoque alieno, aut a R. Pontifice conceditur, qui universalem habet iurisdictionem v. g. quoad regulares in ecclesiis sui ordinis Missam celebrantes.

Quibus omnibus attentis *Ballerini-Palmieri* recte videtur asserere solum R. Pontificem, non inferiorem Praelatum posse concedere privilegium praeter ius in *universa* communitate servandum. Obligatio vero *iusiurandae* ex privilegio improprio v. g. donationis et translatis dominii nequit aequiparari obligationi ortae ex *stricto privilegio*, quod nititur *actu iurisdictionis*. Atque haec breviter dicta sint, relicta aliis uberiori rei disceptatione.

(26) *Suarez* l. c. cap. 21.; *Schmalzgr.* h. t. n. 16. sq.; *Pirhing* h. t. n. 12.; *Hinshius* l. c. p. 810.

(27) *Suarez* l. c. cap. 9.; *Schmalzgr.* h. t. n. 73.; *Pulzer* l. c. p. 63. sq. 67. sq. 241. sq.

quod talis privilegii concessione nulla exerceatur iurisdictio in privilegiatos, sed actus merae liberalitatis et donationis (28). Quae principia etiam ob oculos habenda sunt, ut iustum iudicium feratur de certis favoribus a potestate civili forte Ecclesiae et personis ecclesiasticis concessis (29), vel vicissim de non paucis favoribus ab Ecclesia guberniis civilibus datis.

§ 2. DE OBIECTO ET FORMA PRIVILEGIORUM.

160. 1. Privilegium ecclesiasticum indulgeri potest generaliter circa *materiam*, quae *legis ecclesiasticae capax* est atque *generales condiciones ad legem* requisitas habet. Praeterea ut patet ex ipsa definitione privilegii, materia debet continere *specialem* quendam *favorem*. Qui favor insuper non debet consistere in mero quodam facto *transeunte*, sed in *permanente* quadam facultate; privilegium enim participat rationem legis. Denique cum privilegium duplicem habeat respectum scilicet unum ad privilegiatum, cui favor specialis conceditur, alterum ad reliquam communitatem, quae obligationi et oneri manet obnoxia, ad honestatem materiae omnino requiritur, ut privilegiatus iure sibi concessio honeste et sine iniuria aliorum uti possit, et ne aliis nimium gravamen imponatur (30).

Hinc *Romanus Pontifex* in universa materia spirituali suae potestati legislativae directe subiecta indiscriminatim tum *contra* tum *praeter* ius commune in toto orbe christiano privilegia concedere potest. Quae potestas nulla ratione sese extendit ad danda privilegia *contra* ius *naturale* et *divinum*,

(28) Quo in casu accurate attendendum est, utrum favor quidam non subdito concessus fuerit per modum *stricti pacti*, an tantum per modum *licentiae* vel *iuris precarii*; porro num concessio fuerit *absoluta*, an *conditionata*. Maxime vero in concedendis *iuribus iurisdictionis* inquirendum est, num legislator sive collator *potuerit* et *voluerit* certa iura iurisdictionis absolute vel conditionate i. e. salvo iure revocandi per successorem personae non subditae directe concedere. Qua diversitate stabilita manifeste consequitur nequaquam indiscriminatim et absolute tanquam axioma iuris defendi posse, favorem non subdito concessum a collatore non amplius posse revocari. Cfr. *Suarez* l. c. cap. 37. n. 3. i. f., ubi pro more suo hanc quaestionem sobrie et solide examinat.

(29) Cfr. e. 35. C. XI. q. 1. et notam praee. et *Suarez* l. c. cap. 9. n. 4. 6.

(30) *Suarez* l. c. cap. 9. n. 1. 2. cap. 22. 23., ubi rem bene exponit. Cfr. quoque *Hinschius* l. c. p. 806. sq.

bonos mores, conservationem atque rectam gubernationem Ecclesiae nervumque ecclesiasticae disciplinae v. g. per depressionem dignitatis et potestatis suae et universae hierarchiae vel contra ius tertii, nisi bonum ex privilegio oriundum sit multo maius quam damnum tertio illatum.

Item *Episcopi* aliique *Praelati* inferiores Romano Pontifice in *suis legibus* suorumque praedecessorum privilegia concedere possunt, *minime* vero contra *ius commune* ne in eisdem casibus, quibus ex iuris communis vel expressa Rom. Pontificis concessione super ius commune tantum *dispensare* valent (31).

II. Privilegia ecclesiastica *acquiruntur* :

a) *concessione competentis Superioris ecclesiastici* primo et directe alicui facta sive motu proprio sive ad preces, sive per scripturam sive oraculo vivae vocis (32); quodsi concessio fiat oraculo vivae vocis (33), curandum est, ut de illa in forma authentica constare possit (34);

b) *communicatione*, qua privilegium uni concessum ad alium quoque ex superioris ecclesiastici ordinatione extenditur. Quae communicatio ad instar alterius privilegii potest esse *absoluta* (sive aequalis sive pariformis sive aequae principalis) et *relativa* sive *accessoria*. In priori casu privilegium uni concessum ita perfecte et independenter cum altero ad instar primae concessionis communicatur, ut aucto, immutato, sublato privilegio *in primo* privilegiato per se non augeatur vel minuat vel tollatur in eo, ad quem "*ad instar aequae principaliter* „ extensum est; v. g. ita non raro inter ordines religiosos privilegia communicantur. Quodsi ad *instar* in forma *accessoria* facta est communicatio, privilegium principali privilegiato ita inhaeret, ut si in illo augeatur, minua-

(31) *Schmalzgr.* h. t. n. 19. 71. sq.; *Suarez* l. c. cap. 8. n. 5.; *Pirhing* h. t. n. 9.

(32) Cfr. e. 7. C. XXV. q. 2.; cap. 2. i. f. de sepult. III. 7. in Clem. * *verbo seu scripto* *; cap. 3. de poenit. V. 9. in Extrvg. com. * *etiam oraculo vivae vocis* *; *Suarez* l. c. cap. 2.; *Hinschius* l. c. p. 811.

(33) Antiqua oracula vivae vocis ablata sunt iuxta tenorem et ambitum Const. Gregor. XV. * *R. Pontifex* * 2. Iul. 1622., Urbani VIII. Const. * *Alias* * 20. Dec. 1631. Cfr. *Ferraris* l. c. v. Oracula vivae vocis n. 7. 8. 10.

(34) Reg. 27. 31. 52. Cauc. Apost.; *Riganti* l. c. in Reg. eit.; *Ferraris* l. c. n. 2. 10. sq. Cfr. * *Ordo servandus in SS. CC. etc.* * part. II. e. 3. art. 1. n. 2., ubi gratiae oretenus obtentae dicuntur petenti in foro conscientiae, sine alia conditione, suffragari; at usum privilegii adversus alium nemo potest sibi vindicare, nisi privilegium ipsum legitime probet.

tur, extinguatur, etiam in privilegiatis “ *ad instar in forma accessoria* „ pariter augeatur, minuatur vel extinguatur v. g. in familiaribus monasteriorum (35);

c) consuetudine vel praescriptione; sane privilegium sensu strictissimo denotat gratiam permanentem a principe specialiter et expresse datam, ideoque consequenter in rigore iuris atque in odiosis v. g. in revocatione consuetudo vel praescriptio legitima non recensentur inter formas vel modos acquirendi privilegia (36); attamen cum consuetudine vel praescriptione possint obtineri iura contra vel praeter ius commune, quae manifeste vim privilegiorum habent, haud sine ratione antiqui canonistae tenent etiam consuetudine vel praescriptione privilegia posse obtineri sive consuetudinem posse habere secundum leges vim privilegii (37);

d) confirmatione (38) *in forma specifica*; nam huiusmodi confirmatio equiparatur novae concessioni. Quare si referatur ad privilegium *invalide* primum concessum vel interim extinctum, invalida concessio sanatur, atque privilegium extinctum restituitur, nisi clausulis adiectis in confirmatione fiat extensio vel restrictio (39).

Quae vis confirmationi privilegii *in forma communi* non convenit (40) multoque minus *merae innovationi authenticae iustrumentorum*, quibus privilegia scripto fuerunt consignata (41).

III. *Promulgatio* (42) *solemnis* in privilegiis proprie dictis

(35) Cap. 25. X. h. t.; cap. 2. h. t. in Sext.; *Suarez* l. 1. cap. 15. 16. 17.; *Schmalzgr.* h. t. n. 77. sq.

(36) *Zallinger* h. t. § 267.; *Schmalzgr.* h. t. n. 96.

(37) Cfr. e. 8. C. IX. q. 3.; cap. 9. X. de off. i. ord. I. 31.; cap. 13. X. de iud. II. 1.; cap. 13. X. de for. comp. II. 2.; cap. 4. 18. X. de praeser. II. 26.; cap. 26. X. de V. S. V. 40., ubi saltem certae consuetudines vel praescriptiones privilegiis equiparantur. *Hinshius* l. c. p. 810. et *Seherer* l. c. p. 176. nullo solido argumento sententiam veterum canonistarum (cfr. *Suarez* l. c. cap. 7. praesertim n. 5. 6. sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 94. 95.; *Zallinger* h. t. § 267.) efficaciter refutant, licet recte admittant consuetudinem esse *medium probandi* existentiam privilegii. Cfr. e. 8. D. 100.; *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. XIII. cap. 8. n. 20. sq.; *Sentis*, D. Monarchia Sicula p. 35.

(38) Cfr. supra de confirm. leg. n. 113. sq.

(39) *Reiffenstuel* h. t. n. 78. sq. 85. 107.; *Suarez* l. c. cap. 18. 19.

(40) Cap. 12. X. de const. l. 2. cum Glossa; *Reiffenstuel* h. t. n. 77.

(41) Cap. 13. 29. X. h. t.; cap. 4. X. de confirm. II. 30.; *Suarez* l. c. cap. 20.; *Scherer* l. c. p. 167.

(42) De forma interna et externa fuse agit *Suarez* l. c. cap. 12. 13. 14.

non requiritur (43). Id enim efficitur ex ipsa praxi ecclesiastica, secundum quam privilegia concessa solemniter promulgari non solent. Quae praxis ratione ex ipsa natura rei petita comprobatur. Nam huiusmodi promulgatio esset necessaria, ut aliis innotesceret obligatio, quae naturaliter sequitur ex ipsa concessione privilegiato data, aut oritur ex directo praecepto a collatore privilegio inserto, ut v. g. fit in Bullis Romanorum Pontificum. Verum ad huiusmodi notitiam procurandam propria promulgatio universae communitati facta non est necessaria, sed sufficit certa intimatio per authentica instrumenta vel aliam aequivalentem probationem a privilegiato facta. Quodsi agatur de privilegio, cuius scopus *principalis* est bonum quoddam *publicum* et *commune*, vel cuius observatio universalis efficaciter est urgenda, profecto ut in aliis legibus, ita etiam in istis privilegiis vera promulgatio per principem requiritur (44).

IV. *Acceptatio privilegii per privilegiatum* per se et ex natura rei non est necessaria, ut privilegium vim et valorem ante omnem notitiam vel consensum privilegiati habeat (45). Nam Romanus Pontifex ut in condenda lege a consensu subditorum non pendet, ita etiam sine acceptatione praevia aliquem subditum ab onere ipsi per legem canonicam imposito liberare potest v. g. clericum ab irregularitate contracta. Praeterea de facto aliquot favores a Romanis Pontificibus ita concessi fuerunt, ut a consensu vel dissensu privilegiati in suo valore non penderent; etenim positiva lex Romani Pontificis, qua *aliis* absolute imponit onus redundans in commodum privilegiati independentem a consensu vel acceptatione privilegiati, est omnino valida (46). At nequaquam generaliter omnia et singula privilegia *de facto* a Romano Pontifice absolute con-

(43) Suarez l. e. cap. 24. n. 6. sq.

(44) Cfr. e. *Si quis suadente diabolo* 29. C. XVII. q. 4. = e. 15. Conc. Later. II. a. 1139.; Suarez l. e. n. 3. 4. 5.; *Schmatzgr.* h. t. n. 28.; Suarez tamen l. e. n. 27. sq. recte eam videtur tenere sententiam, per se intimationem et notitiam in tertia persona, cui forte privilegium praediudicat, ad vim atque valorem privilegii non requiri. Et revera argumenta, quae afferunt *Schmatzgr.* h. t. n. 27. et *Scherer* l. e. p. 167. alique necessitatem illius insinuationis absolute non probant. Quare si *Hinschius* l. e. p. 815. suam sententiam ut opinionem plane novam et "*doctrinae receptae*" contrariam proponit, sub utroque respectu errat, ut patet legenti *Suarezium* l. e.

(45) Suarez l. e. cap. 25. n. 11. seq.

(46) Conc. Trident. Sess. XXV. cap. 3. de regul.; cit. can. *Si quis suadente diabolo*; Suarez l. e. cap. 24. n. 3. 4.; *Scherer* l. e. p. 167.

ceduntur, sed potius regulariter ante notitiam vel acceptationem saltem per procuratorem vel epistolam effectum non consequuntur (47).

§ 3. DE USU ET INTERPRETATIONE PRIVILEGIORUM.

161. I. Privilegia, quae principaliter propter bonum *publicum* et *universale* concessa sunt, quoad usum (48) non pendent ab arbitrio singulorum privilegiatorum, sed omnino applicari debent. Quodsi privilegia directe et immediate *privatum quoddam bonum* intendunt, usus privilegiorum concessorum per se et ordinarie obligatorius non est (cfr. cap. 6. X. h. t.; R. I. 61. in Sext.); per accidens vero potest oriri obligatio utendi privilegio, quatenus *citra grave incommodum* removetur impedimentum alterius obligationis implendae v. g. audiendi Missam die dominica vel festo de praecepto (49).

Privilegiatus in usu sui privilegii contra alium pariter privilegiatum (50) non impeditur, si privilegia sint aequalia et in simili materia; quae si sint sibi manifeste et perfecte opposita, privilegium fortius ob maiorem auctoritatem aut ex sese magis absolutum omnino praevalet.

Quodsi quaeratur, quonam *tempore* usus privilegiorum validus vel saltem licitus sit, generatim solutio ex principiis § 2. h. tit. de intimatione et promulgatione, notitia et acceptatione est repetenda. In specie vero attendatur oportet, utrum privilegium ad certum tantum tempus, an absolute et sine temporis limitatione sit concessum (51).

(47) L. 60. D. d. R. I. L. 17. « *In vilo beneficium non datur* »; Suarez l. c. n. 15. sq. Quanta fuerit hae de re opinionum diversitas, inde patet, quod praeter duas sententias principaliter sibi oppositas quatuor aliae recenseantur. Cfr. Suarez l. c. n. 2. sq.; Putzer l. c. p. 48.; Ballerini-Palmieri, Op. th. m. t. 1. p. 684. de privilegio etiam ignoranti concessio. Quare Hinschius l. c. p. 813. sq. non satis distinguens inter ius et factum nimis generaliter necessitatem acceptationis privilegii negat.

(48) Quae quaestio de *usu* privilegiorum coincidit cum disputatione de *effectibus* privilegiorum. Cfr. Suarez l. c. cap. 22. 23.; Putzer l. c. p. 8. sq. 63. sq.

(49) Schmalzgr. h. t. n. 97. sq. eum Suarez, Pirhing aliisque; alii mitius opinantur.

(50) Schmalzgr. h. t. n. 100. sq.; Zech l. c. § 355.; Seherer l. c. p. 167. sq.; Hinschius l. c. p. 816. sq.

(51) Suarez l. c. cap. 25. cap. 5.; Pirhing h. t. n. 8.

Quoad *locum* (52), quo quis privilegio concesso uti potest, profecto restrictio in privilegio apposita accurate est servanda. Si restrictio desit, privilegium in universo territorio collatoris usui esse potest (53). Quare cum Romanus Pontifex limitatum territorium non habeat, privilegia ab ipso sine ulla restrictione ad certum locum concessa ubique valide et licite adhibentur.

Scholion. Si quis in usu vel exercitio legitimo suorum privilegiorum impediatur, privilegiato laeso etiam in foro ecclesiastico varia praesto sunt remedia tuendi sua iura. Quare cum actus contra privilegium gesti sint nulli atque irriti (54), privilegiatus pro diversa materia sese defendere potest detractione obedientiae (55) aut postulatione declarationis nullitatis (56) actuum privilegiis contrariorum aut per recursum ad Rom. Pontificem (57) aut per *actionem* personalem vel realem v. g. per actionem iniuriarum, per actionem spoli, per actionem confessoriam utilem vel per exceptiones (58).

II. *Interpretatio* doctrinalis privilegiorum imprimis iisdem innitatur oportet principiis, quae de universa legum ecclesiasticarum interpretatione statuta sunt (59). Quare primo loco attendenda sunt *verba* forte iam ex sese clara, deinde *intentio* sive mens collatoris est eruenda ex supplicatione, materia, ratione atque connexione ipsius privilegii (60). Speciatim privilegia, quae merum continent favorem nec iuri communi derogant nec tertiae personae praeiudicium afferunt, ceteris paribus potius large sunt interpretanda (61); regulariter vero magis strictae sunt interpretationis, si iuri communi derogant

(52) *Suarez* l. e. cap. 26.; *Schmalzgr.* h. t. n. 106. sq.; *Putzer* l. e. p. 73. sq.

(53) Quodsi privilegium sit *personale*, etiam extra territorium concedentis adhiberi potest. Cfr. *Schmalzgr.* h. t. n. 108. sq.; *Zech* l. e.

(54) Cap. 10. X. de elect. l. 6.

(55) Cap. 4. X. de excess. prael. V. 31.

(56) Cap. 7. X. eod.

(57) Cap. 4. 24. 26. X. h. t. Cfr. de conservatoribus Clem. XIII. Const. * *Cum omnium* *, 23. Apr. 1762.; *Scherer* l. e. p. 168.

(58) *Zech* l. e. § 356.; *Hinschins* l. e. p. 824.

(59) *Suarez* l. e. cap. 27. 28.; *Pirhing* h. t. n. 13. sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 117. sq., ubi tractant universam materiam de interpretatione privilegiorum.

(60) Cap. 7. X. h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 117. sq.

(61) R. l. 15. in Sext.; cap. 16. X. de V. S. V. 40. * *Cum beneficia principum sint interpretanda largissime* *.

atque potissimum, si tertiae personae praeiudicant (62). Nunquam vero lata illa interpretatio potest esse ita larga, ut fiat iniusta aut ultra propriam verborum significationem extendatur ad personas vel res in privilegio minime comprehensas (63), quemadmodum stricta interpretatio inter eos limites est coarctanda, ut privilegium non sit plane inutile (64).

§ 4. DE AMISSIONE PRIVILEGIORUM (65).

162. I. *Ipsa facto* amittitur privilegium a) per mortem personae privilegiatae, si sit *personale* (66);

b) per *interitum rei* totalem et absque spe reaedificationis, si sit *reale* (67);

c) per *lapsum temporis*, pro quo est concessum;

d) per *non impletam conditionem*, sub qua erat datum (68);

e) per *cessationem causae finalis* in contrarium, si agatur de privilegiis odiosis etiam integre iam concessis et tractum successivum habentibus (69);

f) per *mortem collatoris* tantum in casibus a iure exceptis, non vero regulariter (70).

II. *Renuntiatione* libera et expressa privilegiati in forma legitima facta amitti potest privilegium, si *principaliter* in *solius privilegiati favorem* fuit concessum (71). Nam unicuique liberum est iuri ex sese alienabili et in proprium tantum commodum collato vere renuntiare. Quodsi concessio privilegii principaliter facta sit *ob causam publicam* in *favorem communitatis* vel dignitatis vel loci, *particulares* personae huic favori renuntiare nequeunt (72). Multo minus renuntiatio ar-

(62) Cap. 12. X. de off. iud. ord. l. 31.

(63) Cap. 9. X. h. t.; *Pirhing* h. t. n. 20. sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 130. sq.; *Putzer* l. c. p. 11. sq.

(64) Cap. 30. X. h. t.; *Zech* l. c. §§ 352. 353.

(65) *Suarez* l. c. eap. 29.-40. inel.; *Pirhing* h. t. n. 167. sq.

(66) R. I. 7. in Sext. Eadem regula valet etiam de personis moralibus v. g. de officiis vel corporationibus ecclesiasticis *legitime* extinctis.

(67) Cap. 2. X. de rel. dom. III. 36.; cap. 25. i. f. X. de V. S. V. 40.

(68) Cap. 5. de reser. I. 3. in Sext.; *Suarez* l. c. cap. 29.

(69) *Schmalzgr.* h. t. n. 166. sq.; *Suarez* l. c. cap. 40. Quae *Hinschius* l. c. p. 817. huic sententiae opponit, solida argumenta non sunt.

(70) *Suarez* l. c. eap. 31. 32.; *Schmalzgr.* h. t. n. 150. sq.; *Pirhing* h. t. n. 168. sq.; *Putzer* l. c. p. 49. sq.

(71) Cap. 6. X. h. t.; *Suarez* l. c. cap. 33.; *Schmalzgr.* h. t. n. 176. sq.

(72) Cap. 5. X. de arbitr. l. 43.; cap. 8. X. de rest. I. 41.

bitrio privilegiati est relicta, si privilegia per modum *legum universalium* fuerunt concessa et praescripta (73).

III. *Per non usum* resp. per usum contrarium (74) etiam longo tempore continuatum privilegia mere favorabilia sive affirmativa sive negativa non amittuntur (75). Nam solus non usus resp. usus contrarius, nisi aliae circumstantiae (76) accedant, non est sufficiens signum atque argumentum *tacitae* renuntiationis (77); *praescriptione* vero huiusmodi privilegia tolli non possunt, cum nemini positivum onus imponant.

At privilegia *affirmativa* quae in gravamen aliorum redundant, per non usum amitti possunt, si iste non usus vere fuerit liber, occasione oblata et potestate privilegiati non impedita, et tantum elapsum sit tempus, ut exinde merito praesumi possit tacita renuntiatione, aut quoad durationem conditiones legitimae praescriptionis fuerint impletae. Cfr. *Schmalzgr.* h. t. n. 190. Similiter privilegia *negativa*, quibus aliis onus imponitur, per usum contrarium possunt amitti, si ab ipso privilegiato libere ponantur actus privilegio directe et totaliter contrarii v. g. sine protestatione salvatoria iuris, ut in foro externo merito admittatur renuntiatione, aut post actus contrarios elapsum sit tempus legitimum ad praescriptionem requisitum. Quare tum tacita renuntiatione ex iuris praesumptione statuta tum via praescriptionis amissio istorum privilegiorum locum habere potest (78).

(73) Cfr. e. *Si quis suad. diab.*; cap. 12. X. de for. comp. II. 2.; *Schmalzgr.* l. e. 178. 179.; *Hinschius* l. e. p. 820. sq.

(74) *Suarez* l. e. cap. 34. 35.

(75) Quodsi privilegium quoddam pertineat ad ius *publicum*, et ratione illius non solum singulis concedatur facultas, sed imponatur necessitas, non usus vel usus contrarius manifeste irrationabilis vel illicitus ad renuntiationem privilegii plane est inefficax. Cfr. eap. 36. X. de sent. excom. V. 39.; *Suarez* l. e. eap. 35. n. 5.; *Hinschius* l. e. p. 822. sq.

(76) Quare si aliae illae circumstantiae accedunt vel ex iuris interpretatione accessisse praesumuntur, etiam huiusmodi privilegia per non usum ex tacita renuntiatione cessant, ut quoad rem reete tenent; *Suarez* l. e. eap. 34. n. 17.; *Zech* l. e. § 357.; *Scherer* l. e. p. 168.

(77) Si ex directa legis dispositione propter non usum privilegia cessant (cfr. *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. II. eap. 11. n. 5. 7.; elaus. " *quatenus sunt in usu* "), imprimis haec sanctio ad easus in iure non expressos non est extendenda, et cessatio privilegii in casu tam ex concessione *conditionate* facta quam ex *tacita* renuntiatione *a iure* praesumpta explicari potest. Cfr. *Suarez* l. e. n. 18.; *Zech* l. e.

(78) Cap. 6. 15. X. h. t.; *Scherer* l. e. Quam sententiam *Hinschius* l. e.

IV. Privilegia tandem amittuntur *revocatione* collatoris vel eius successoris vel superioris (79). Quae potestas revocandi sese extendit proportionem servata ad omnes tres principales species privilegiorum scilicet ad privilegia gratiosa, remuneratoria, conventionalia. Verum ut revocatio privilegiorum *gratiosorum* licita sit, iusta requiritur causa. Quae causa multo gravior sit oportet in privilegiis *remuneratoriis* (80). Denique ut valide revocari possit privilegium conventionale, quod transit in verum pactum donationis maxime non subdito factae et ab eo acceptatae, requiritur causa iusta et publica. Praeterea *compensatio* est concedenda, si ius fuerit acquisitum ex contractu oneroso; secus dicendum, si revocatur privilegium datum ex contractu mere lucrativo sive per liberalem donationem (81).

Ipsa *revocatio* potest fieri duobus modis scilicet *tacite* aut *expresse*.

Tacita est, quae fit per actum principis scienter et directe privilegio ita stabiliter oppositum, ut illud non amplius subsistere possit (82). Ita per legem universalem subsequentem revocantur omnia privilegia contraria in iure communi contenta, quamvis ipsorum mentio specialis non fiat; sed non revocantur privilegia *specialia* et iuri communi non inserta. Etenim R. Pontifex cum ista privilegia ignorare praesuma-

p. 823. inefficacibus rationibus impugnat. Cfr. quoque *Sanli* h. t. n. 12. de conciliatione cap. 6. et 14. X. h. t. ob diversum tempus in parte *narrativa* sive historica ad praescriptionem requisitum.

(79) *Suarez* l. c. cap. 37.; *Schmalzgr.* h. t. n. 227. 228.; *Pulzer* l. c. p. 55. sq.

(80) At tum privilegia gratiosa tum remuneratoria ex gratitudine concessa v. g. privilegia regularium etiam sine iusta causa *valide* a R. Pontifice revocari possunt. Cfr. *Suarez* l. c. n. 10.; *Schmalzgr.* h. t. n. 121. sq.; *Pirhing* h. t. 187. Quare *Hinschius* l. c. p. 818. doctrinam canonicam veterum doctorum de hac re non recte proponit.

(81) Quae doctrina solide defenditur a *Schmalzgr.* h. t. n. 224. sq. aliisque et frustra impugnatur ab *Hinschius* l. c. p. 819., qui non satis attendit suos adversarios disputationem nequaquam restringere ad solum forum ecclesiasticum. At in foro ecclesiastico haec quaestio solummodo praeterei momenti esse potest, ubi agitur de bonis *temporalibus*; minime vero est applicanda privilegiis *spiritualibus*, etsi forte in concordato concessis, ut vel ipse *Hinschius* videtur concedere. Cfr. de privilegiis forte Ecclesiae a potestate civili datis supra h. tom. I. n. 124. i. f. et *Suarez* l. c. cap. 9. n. 3. sq. cap. 37. n. 2. 3.; *Tarquini* l. c. p. 77. sq. n. 80.

(82) Cap. 28. X. de reser. l. 3.; cap. 1. de const. l. 2. in Sext.; *Schmalzgr.* h. t. n. 230.

tur, ab abrogandi voluntate censetur esse alienus (83). Neque prius privilegium speciale revocatur per speciale privilegium posterius, nisi prioris privilegii expressa fiat mentio, aut prius privilegium *generale* sit, et tantum posterius existat speciale; generi enim per speciem derogatur (84). Denique per *sententiam iudicis* privilegio contrariam tacite privilegium non revocatur, sed potius directe et expresse tollitur, si sententia fuerit condemnatoria legitime lata, aut habetur declaratio nullitatis privilegii, si sententia lata sit reprobatoria ipsius privilegii (85).

Expressa revocatio privilegii habetur, si aut disertis verbis privilegium determinatum indicantibus (Cfr. cap. unic. h. t. in Extravag. Ioann. XXII.) aut per clausulam generalem cum necessaria amplitudine et efficacia appositam revocatur (86). Inter revocationes privilegiorum praesertim commemorandae sunt, quae per Concilium Tridentinum atque Pii IV. Const. " *In principis* „ 17. Febr. 1565. (87) factae sunt.

Causae, propter quas privilegium quoddam revocari potest, hae potissimum recensendae sunt *a) iusta poena* propter abusum privilegii aliaque delicta (88); *b) nimium praeiudicium* tertiae personae ex privilegio ortum (89); *c) cessatio causae* principalis privilegii concessi (90), quod tractum successivum habet; *d) utilitas publica* (91).

(83) Cap. 1. de const. l. 2. in Sext.; *Suarez* l. c. cap. 39. n. 2.; *Schmalzgr.* h. t. n. 230. sq.

(84) Cap. 19. X. de praeser. II. 26. et R. I. 34. in Sext.

(85) Cap. 21. X. de sentent. et re II. 27.; *Suarez* l. c. n. 4.

(86) *Suarez* l. c. cap. 38. n. 1. sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 229. Exceptiones ab *Hinschius* l. c. p. 819. contra limitationes veterum canonistarum allatae solido fundamento destitutae sunt.

(87) *Scherer* l. c. p. 169.; *Schmalzgr.* h. t. n. 234. sq. et n. 240. sq., ubi disserit de oraculis vivae voeis eorumque revocatione.

(88) Cap. 24. X. h. t.; cap. 45. X. de sent. exeom. V. 39.; Leon. X. Const. „ *Supernae* „ a. 1514. § 39.; Pii IX. Const. „ *Cum catholica* „ a. 1860., ubi usurpatores Status pontificii eorumque complices statuit incurrere: *Omniun quorumcunque privilegiorum, graliarun et indulltorum sibi a Nobis seu a Romanis Pontificibus praedecessoribus quomodolibet concessorum amissionis poenas eoipso* „; *Zech* l. c. § 358.; *Hollweck*, D. kirchl. Strafg. p. 153. sq.

(89) Cap. 9. X. de decim. III. 30.

(90) Cap. 60. X. de appell. II. 28. Quae sententia in textu propugnata non est contraria doctrinae supra h. tit. § 4. n. 1. assertae; nam causa, quae ad *cessationem* non sufficit, potest sufficere ad *revocationem*. Cfr. cap. 9. X. de decim.; *Schmalzgr.* h. t. n. 166. sq.

(91) *Goffred. de Trano* h. t. n. 6.

Denique quoad publicam promulgationem et intimationem privatam revocationis privilegii principia de revocatione legum atque de promulgatione et intimatione concessionis privilegii supra stabilita omnino sunt applicanda, habita tamen ratione diversitatis privilegiorum; alia enim ad instar legum universalium, alia per modum legum privatarum sive per indulta particularia constituta sunt (92). Quare privilegia, quae *per universalem legem* revocantur, non censentur sublata, donec lex revocatoria sufficienter sit communitati promulgata. Quodsi revocatio fiat *sine universali lege* revocatoria ad servandum ordinem et vitanda scandala de facto privilegia non cessant, antequam revocatio privilegiato specialiter intimata fuerit (93).

163. Scholion. Cum disputatione de *privilegiis* intime connexa est tractatio de *facultatibus* a Sede Apostolica Episcopis vel Vicariis et Praefectis Apostolicis remotiorum provinciarum aliisque Praelatis v. g. regularibus ad certum numerum annorum vel casuum concessis, quibus uti possint vel immediate vel per inferiores sacerdotes a se designatos. Quae *indulta* vel *facultates* praesertim triennales, quinquennales atque adeo vicennales cum proxime accedant ad privilegia, interdum vocantur *quasiprivilegia* vel *privilegia personalia* (94).

I. Facultas hoc loco generatim *definitur* potestas, quam Superior ecclesiasticus iurisdictione in foro externo praeditus subdito concedit aliquid sive in foro poenitentiali vel conscientiae tantum, sive etiam pro foro externo valide vel licite aut saltem tuto (95) agendi.

II. *Dividuntur facultates:* a) Ratione *obiecti* in *iurisdictionales* (absolvendi, dispensandi), in *gratias* sive *licentias*, in concessionem *ad cautelam*. b) Ratione *subiecti* concedentis in facultates *papales* a R. Pontifice per se sive per SS. CC. concessas, in *episcopales*, in facultates *Praelatorum regularium*.

c) Ratione *modi* et *extensionis* in *generales* (pro personis in-

(92) Suarez l. c. cap. 24. n. 3. cap. 40. n. 1.

(93) Suarez l. c. cap. 40. n. 2.; Schmalzgr. h. t. n. 244. 245.; Pirhing n. 197. Qua in re Hinschius l. c. p. 820. terminologiam veterum canonistarum frustra reprehendit eorumque doctrinam parum accurate proponit et inefficaciter impugnat.

(94) Collect. S. C. de Prop. F. n. 141. sq. 243. sq.; Benedicti XIV. Const. "Apostolicum ministerium" 30. Maii 1753. § 11.; Reiffenstuel in app. ad l. IV. n. 20. 33.; Putzer l. c. p. 1. sq.; Kirchenlex. v. v. Facultäten, Indult.

(95) Pirhing h. t. n. 3.; Putzer l. c. p. 2.

determinatis) et *particulares* (pro personis determinatis in casibus particularibus). Ratione *formularum* in *ordinarias* et *extraordinarias*. Ordinariarum facultatum *decem* sunt schemata sive formulae *uumeris* latinis distinctae; extraordinarum facultatum formulae sunt quamplurimae, quae regulariter litteris maiusculis vel minusculis distinguuntur (96).

III. Si de *origine* et *historia* illarum facultatum et formularum inquiratur, profecto novae et extraordinariae facultates fuerunt prorsus necessariae, cum post detectas novas regiones opus *missionum* (97) inde ex saeculo decimo sexto mirum in modum reflorescere coepisset. Quare iam ante Urbanum VIII. occurrunt certae facultatum formulae, quae tamen ipsius Const. "*Opevorum* „ 10. Febr. 1637. in novam formam redactae et approbatae sunt (98). Quae *formulae* facultatum quemadmodum propter connexionem cum quaestionibus fidei et morum a sola S. C. Inq. approbari possunt, ita etiam ab initio per eandem S. C. immediate cum Episcopis vel Vicariis Apost. fuerunt communicatae (99). Quae communicatio facultatum pro diversis formulis *approbationi* S. O. reservatis iuxta praestitutam praxim nunc fit per S. C. de Prop. F. etiam cum Episcopis ipsi non subiectis, salvo tamen iure aliorum dicasteriorum Romanorum concedendi "*facultates* „ v. g. S. Poenitent., S. C. pro neg. eccl. extraord., S. C. Inquis. (v. g. matrimoniis mixtis) (100).

IV. *Acquirunt* Episcopi aut Vicarii vel Praefecti Apostolici facultates *papales* immediate a Sede Apostolica per supplicationem penes competentes SS. CC. oblatam, quae illi annuere solent "*non passim et pro cuiusque Episcopi merito, sed iuxta antiquam praestitutam praxim* (mutationi tamen obnoxiam), *prout regionum distantia ab Urbe et dioecesium utilitas postulat* „ (101). Quae facultates papales ita ad potestatem ordinariam vel alias iam delegatam *accedunt*, ut illis

(96) *Putzer* l. e. p. 3. sq.; *Nilles* in Act. theol. Oenip. (a. 1891.) p. 550.

(97) Quae origo non raro in interpretatione facultatum ob oculos est habenda; nam facultas quaedam Missionariis vel Vicariis Apostolicis potuit esse necessaria, quam Episcopi residentiales iam habent ex iure communi. *Nilles* l. e.

(98) *Colleet.* S. C. de Prop. F. n. 141. 142.

(99) *Reiffenstuel* l. e. n. 21.; *Scherer* l. e. t. I. p. 174. not. 12.

(100) *Instr.* S. C. Inq. 16. Aug. 1781. in eit. *Colleetan.* n. 147.; *Putzer* l. e. p. 3.; *Scherer* l. e. t. I. p. 529. not. 45.

(101) *Cit.* *Instr.* S. C. Inq. 16. Aug. 1781.; *Instr.* S. C. de Prop. F. 9. Maii 1877. n. 11.; *Putzer* l. e. p. 3. sq.; *Rosset* l. e. n. 2499.

non praeiudicent (102). Praeterea si quis a duabus Congregationibus v. g. a S. C. de Prop. F. et S. Poenit. *obtineat facultates*, “ *neutra ex Congregationibus facultates per alteram datas coarctare dicenda est, nisi expresse id in rescripto cautum sit* „ (103). At si supplicatio ab una S. C. reiecta postea reticita denegatione ad aliam S. C. dirigatur, petitum forte concessum nullius est valoris (104).

V. *Communicatio*, qua Episcopi vel Vicarii et Praefecti Apostolici etiam sacerdotes a se designatos reddunt participes facultatum obtentorum, tantum fieri potest iuxta modum in clausulis facultatum expressum (105). Quodsi ibidem specialis *restrictio* non fuerit statuta, quoad *subdelegationem* ex disciplina vigenti standum est novo decreto generali S. C. Inq. 14. Dec. 1898. (106). Porro cum nunc facultates speciales habitualiter Ordinariis largiter concessae ipsa iuris dispositione transeant in successores v. g. Vicarios Capitulares (107), difficultates ex indole *personali* facultatum et *communicatione* pro tempore sedis vacantis sunt sublatae.

VI. Episcopi, Vicarii Praefectique Apostolici cum intra *ambitum delegationis* sibi factae *liberi* sint facultates *idoneis* sacerdotibus tenore clausularum non exclusis communicare

(102) *Nilles* l. c. p. 552.; *Putzer* l. c. p. 5. sq. 38. 40. sq., ubi reete docet formularum facultates non concedi *per modum officii*, sed si ex responso Romano allegato a *Konings simpliciter* tradit, non esse delegationes ad *universitatem* causarum, sed *personales*, id sane ex novis responsis Romanis est *limitandum*. Cfr. S. C. Inq. 14. Dec. 1898. 20. Apr. 1898.; *Leitner*, d. k. Eher. p. 493.

(103) Ita teste *Aichner*, Comp. iur. ecel. app. p. 24. S. C. de Prop. F. ad quaestionem sibi propositam respondit.

(104) Innocent. XII. Const. “ *Ut occurratur* „ 4. Iun. 1692.; *Putzer* l. c. p. 6. sq.; *Ordo servandus in SS. CC. etc.* part. II. c. 1. n. 3., ubi etiam post abrogatam in SS. CC. iurium cumulationem eadem praescriptio fuit retenta.

(105) Quae *communicatio* aliquo modo distingui potest a *subdelegatione*, ut patet ex “ *communicatione* „ privilegiorum inter diversos ordines religiosos. Cfr. *Putzer* l. c. p. 40. sq. 44. sq. 47. sq.

(106) *Wernz*, Ius Decretal. t. IV. n. 622. not. 104.

(107) S. C. Inq. 14. Nov. 1897. 20. Apr. 1898. 23. Iun. 1898. 3. Maii 1899. 24. Dec. 1899.; *Leitner* l. c.; *Putzer* l. c. et p. 461., ubi tamen falso docet illas facultates Vicario Apostolico concessas ex deer. S. C. Inq. 24. Novembris. 1897. non transire in successorem, eo quod non sit *Ordinarius*, nisi Vicariatus in dioecesim elevetur. At decret. 24. Nov. 1897., ut patet ex textu, intelligendum est ad tramites deer. 20. Febr. 1888., ubi Vicarii et Praefecti Apostolici et legitimi administratores tempore vacationis expresse nomine Ordinariorum dicuntur venire.

et subdelegare, nequeunt absolute *cogi*, ut omnes suas facultates vel saltem aliquas cum sacerdotibus singularibus communicent (108), sed illas communicabunt, prout opportunum, saepius etiam necessarium erit (109), neque apponent novas condiciones et clausulas irritantes, nisi a Sede Apostolica ad hoc specialem obtinuerint facultatem (110), neque *extendent* ad sacerdotes in formulis non expressos (ad sacerdotes *in dioecesi non laborantes*) vel ultra numerum concessum (v. g. ad sex vel decem sacerdotes).

VII. *Forma* communicandi facultates saltem in casu necessitatis potest esse *oralis* vel *telegraphica*, sed ad servandum ordinem et confusionem vitandam omnino cavendum est, ne facultates praesertim matrimoniales *accurate expressae* aliter quam in scriptistradantur (111). Denique ut valida sit facultatum communicatio, quae fit per modum donationis, de facto requiritur *acceptatio* personae privilegiatae. Quodsi ex *errore* quodam *communi* facultas quaedam iurisdictionalis reputetur concessa, quae de facto non fuit communicata, valor actus v. g. dispensationis est sustinendus, quia Ecclesia censetur iurisdictionem supplere (112).

VIII. *Materia* (113) facultatum iam satis insinuata fuit in divisione ex *obiecto* petita. Etenim ut plurimum *a)* datur aliqua *iurisdictione* v. g. absolvendi a peccatis et censuris, dispensandi super praeceptis Ecclesiae, votis, irregularitatibus, impedimentis matrimonialibus; *b)* conceduntur *gratiae* vel *licentiae* aliquid licite et valide faciendi, quod alias fuisset illicitum, imo forte etiam invalidum v. g. legendi libros prohibitos, binandi Missam, alienandi bona ecclesiastica ultra permissiones iuris communis; *c)* indulgentur concessiones vel dispensationes *ad cautelam*, ut quis sine scrupulo etiam iis in casibus omnino *tuto* procedere possit, ubi doctrina quaedam theologorum non est omnino tuta vel certa.

IX. In *usu* facultatum imprimis curandum est, ne *cui* ap-

(108) Benedict. XIV. Const. "Apost. minist." 30. Maii 1753. § 11.; Putzer l. c. p. 45. sq. 81. sq.; Wernz, Jus Decret. t. IV. n. 622. not. 104.

(109) Pii IX. Epist. ad Episcop. Macaonens. 8. Febr. 1851. apud De Martinis, Iuris pontificii etc. (nov. Bullar. S. C. de Pr F.) P. I. vol. VI. p. 87.

(110) S. C. de Prop. Fide 16. Mart. 1865. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1488.

(111) S. C. de Prop. F. 8. Dec. 1869. in cit. Collect. n. 157.

(112) Putzer l. c. p. 48. sq.; Wernz h. tom. I. n. 160. IV.

(113) Wernz h. tom. I. n. 122. 151. 160.

plicentur, qui gratiae recipiendae *incapax* est v. g. infideli, haeretico, schismatico, excommunicato (114), vel qui Praelato privilegiato ex legitimo titulo iuris vel consuetudinis non est *subditus* nec *determinatus*, nisi novum et speciale obtentum fuerit privilegium (115). Quoad *territorium* vero, in quo facultates exerceri possunt, sedulo attendendae sunt clausulae *restrictivae* forte rescriptis facultatum appositae (116). Denique facultatum usus fiat ex *iusta causa* et cum *debita forma*, sine *rigore* et *laxismo* meroque *arbitrio* (117).

Quoad *interpertationem* facultatum attendendae sunt *generales* normae de interpretatione legum ecclesiasticarum, rescriptorum, privilegiorum, clausularum (118). Speciatim vero servanda est illa regula interpretationis facultatibus propria: Facultates semper *comprehensive*, non *extensive* sunt interpretandae. At cum facultates generales proxime accedant ad privilegia, et facultates pro determinatis personis magis habeant rationem dispensationis, ideo in illis interpretatio *comprehensiva* potest esse lata, in his saltem regulariter magis stricta esse debet (119).

Praesertim vero interpretatio facultatum faciendae est iuxta *stylum* et praxim vigentem *Civitatis Romanae* (120). Quo ex stylo praesertim triplex principium est eruendum: *a)* Episcopus vel alius Praelatus inferior, qui habet varias facultates *papales* dispensandi, nequit iis uti, si plures in *una eademque* persona *cumulate* sint adhibendae (121), nisi facultas cumulandi speciatim sit concessa. *b)* Facultates pro matrimoniis *contrahendis* concessae nequeunt adhiberi pro matrimoniis

(114) Wernz h. tom. I. n. 151.; Putzer l. e. p. 63. sq.

(115) S. C. Inq. 15. Febr. 1780. in Collect. (Paris.) Const. S. Sed. n. 889.; S. C. Inq. 18. Dec. 1872. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1490.; indulta Episcoporum. Angl. in Collect. Lae. t. III. col. 963.; Putzer l. e. p. 66. sq.

(116) S. C. Inq. 22. Nov. 1865. et 2. Maii 1877. in cit. Collect. Prop. n. 156. 158.; Putzer l. e. p. 71. sq. Facultates quaedam, quae nulli iuri repugnant, per se ubique exerceri possunt v. g. facultas *privatim* benedicendi coronas etc., nisi ad huiusmodi actus licite et valide exercendos requiratur facultas sive consensus Episcopi loci. Id, quod non semper obtinet. V. g. confessarii non debent exhibere Ordinario pagellam S. Poenitentiariae. Cfr. quoque cit. Collect. Prop. n. 151. 270. sq. 286. (de missionariis).

(117) Putzer l. e. p. 76. sq.

(118) Wernz h. tom. I. n. 127. sq. 133. 155. 161. sq.

(119) S. C. Inq. 15. Iun. 1875.; Putzer l. e. p. 11. sq.

(120) S. Poenit. I. Iun. 1858.; Zitelli, De disp. p. 49.

(121) S. C. Inq. 18. Maii 1869.; Putzer l. e. p. 20. sq.

contractis et vicissim (122). c) *Facultates pro foro interno tantum concessae nequeunt adhiberi pro foro externo et vicissim* (123).

X. *Cessant facultates generatim iisdem modis, qui iam in cessatione dispensationum, rescriptorum, privilegiorum h. tom. I. n. 126. 156. 162. fuerunt expositi: a) Morte Praelati concedentis vel eius remotione ab officio, si facultas data* (124) *sit ad gratiam faciendam, res adhuc sit integra; secus si facultas concedatur absolute i. e. non ad arbitrium vel beneplacitum Praelati v. g. Papae, sed ratione officii vel dignitatis v. g. Sedis Apostolicae, quae non moritur sive per modum gratiae factae aut pro personis indeterminatis aut pro persona particulari, cui delegatus facultatem applicare debet tanquam executor necessarius. Quare facultates a S. Poenit. vel a S. C. de Prop. F. etc. pro variis formulis cum Episcopis etc. communicatae non exspirant per mortem vel renuntiationem R. Pontificis (aut Poenitentiarii Maioris); sunt enim gratiae factae, nisi specialis apposita fuerit exceptio* (125). *Similiter morte vel remotione Episcopi non cessant facultates, quae generatim ab ipsis pro fidelibus cum parochis vel missionariis fuerunt communicatae* (126).

b) *Morte vel remotione ab officio personae privilegiatae, nisi ratione officii facta sit communicatio, quae transit in successorem* (127).

c) *Lapsu temporis, ad quod concessae fuerunt, etiamsi numerus casuum, si fuerit expressus, nondum sit exhaustus. Quo in tempore computando, nisi aliud specialiter statutum sit, nunc dies datae sive concessionis, non receptionis facultatum tanquam terminus a quo est attendendus* (128). *Pro-*

(122) S. C. Inq. 25. Mart. 1825. in cit. Collect. Prop. n. 1235. 1463; *Putzer* l. c. p. 22. sq.; *Wernz*, lus Decret. t. IV. n. 29. not. 11.

(123) *Putzer* l. c. p. 24. sq.; *Zitelli*, De disp. p. 51. cum Feije aliisque.

(124) *Attentis novis decretis S. C. Inq. de facultate ampla subdetegandi et perduralione facultatum papalium independenter a morte Episcopi, quaestio illa multum practicae utilitatis amisit, utrum facultates ex potestate quadam ordinaria, an ex delegata fuerint concessae. Cfr. Putzer* l. c. p. 50. sq. supra h. tit. not. 106. 107.

(125) *Bened. XIV. Const. « Pastor bonus »* 13. Apr. 1744. § 49.; S. C. de Prop. F. 5. Oct. 1816. in cit. Collect. Prop. n. 149.; *Zitelli*, De dispens. p. 107. sq.; *Scherer* l. c. t. I. p. 174. not. 12.

(126) *Putzer* l. c. p. 50. sq. 52.

(127) S. C. Inq. 24. Nov. 1897. et alia decreta h. tit. n. 106. 107.; *Putzer* l. c. p. 52. sq.

(128) *Zitelli* l. c. p. 35.; *Putzer* l. c. p. 53.; *Wernz* l. c. tom. IV. n. 622. not. 99. Cfr. cit. Collect. Prop. n. 146. 266. 271.

rogatio autem facultatum non fit, nisi exhibitis recentioribus decretis earundem concessionum, salvis favoribus in gratiam retardationis litterarum, oblivionis, inadvertentiae, *bonae fidei* concessis (129).

d) *Numero casuum exhausto*, licet *tempus* forte additum nondum sit elapsum (130).

e) *Revocatione* a competente Superiore facta et rite notificata personae privilegiatae. At facultates illae *speciales* v. g. ad triennium concessae non continentur in revocatione Reg. 14. Canc. Apost. neque in *generali* revocatione privilegiorum v. g. in fine Const. „*Apost. Sed.* „ a Pio IX. facta (131).

f) *Renuntiatione* a persona privilegiata facta et per Superiorem competentem acceptata (132).

g) *Finito negotio*.

h) *Cessatione causae finalis*.

Quae cessatio ipsarum facultatum non est confundenda cum cessatione *effectus* per facultates causati, qui *frequenter*, sed non *semper* perdurat etiam sublatis facultatibus in Praelato privilegiato (133).

Quibus disputationibus finitis de facultatibus *in genere*, de interpretatione singularum facultatum pro diversis formulis concessarum adeundi sunt speciales commentatores praesertim *Putzer* l. c. p. 141. sq. et tractatus singulares *de matrimonio*, in quo usus illarum facultatum est frequentissimus. Cfr. *Wernz*, *Ius Decret.* tom. IV. n. 611. sq.

TITULUS VIII.

DE CONCORDATIS.

(*Lib. 1. tit. 2. de const.*)

Praenotiones.

164. Fontes: *Nussi*, *Conventiones de reb. eccles.*, Rom. 1869. Quae collectio a Brueek in breviorum et magis practicam formam redacta est: *Conventiones etc.*, Mogunt. 1870. — *Syllab. prop.* 43. — *Act. S. Sed.* vol. XXI.

(129) *S. C. Inq.* 7. Aug. 1749. in cit. *Collect. Prop.* n. 144. Cfr. clausulas i. f. pagell. *S. Poenit.* et *S. Poenit.* 27. lun. 1885.; cit. *Collect. Prop.* n. 148. 150. 152. 154.

(130) *S. C. de Prop. F.* 7. lul. 1853. in cit. *Collect. Prop.* n. 1238.

(131) *S. C. Inq.* 1. Febr. 1871.; *Putzer* l. c. p. 55.

(132) *Zitelli* l. c. p. 109.; *Putzer* l. c. p. 57. sq.

(133) *Putzer* l. c. p. 60. sq.

p. 7. sq.; Conventiones..... initae sub Pontificat..... Leon. PP. XIII., Rom. 1893.

Scriptores: Commentatores (1) i. D. in l. III. tit. 5. v. g. *Schmalzgr.* l. c.; *De Angelis* l. c. l. I. tit. 4. Appendix de concordatis; *Zeeh*, Praecognita iur. can. §§ 313. sq. tit. 15. *de concordatis*; *Phillips* l. c. t. III. § 158.; *Tarquini*, Instit. iur. eccl. publ. p. 71. sq.; *Schulte*, D. Lehre v. d. Quellen p. 435. sq.; *Cavagnis*, Instit. iur. publ. eccl. P. I. p. 380. sq.; *Vering*, Lehrb. d. k. Kirchenr. § 62.; *Seherer* l. c. § 33.; *Aichner* l. c. § 11.; *Moullart*, L'église et l'état l. IV. c. 2. *Hammerstein*, De Eccles. et Statu p. 210. sq. — Tractatus singulares de concordatis publicarunt: *Rebufus*, Tractatus concordatorum (inter Leon. X. et Francisc. I., reg. Franc.), Paris. 1538.; *Canisius*, Commentarius in concordata nat. germ.; *Branden*, Super concordatis inter S. Sed. Apost. et inclyt. nat. Germ., Colon. 1600.; *Nicolaris*, Compendiosa praxis beneficiar. ex concordatis etc., Colon. 1658.; (*Cardinal. Cagianò de Azevedo*), Natura e carattere essenziale dei concordati, Parigi 1850., Roma 1872.; *Bonald*, Deux questions sur le concordat de 1801.; *Baldi*, De nativa et peculiari indole concordatorum apud scholasticos interpretes, Romae 1883.; *Fink*, De concordatis, Lovan. 1879.; *Billot*, De habitud. Eccl. ad eivil. societ. p. 126. sq.; *Balbe*, Kirehe u. Staat in Vereinbarungen auf d. Grunde d. Kirchenr.; *Card. Hergenroether*, K. Kirehe u. ehristl. Staat. p. 793. sq. (2); *Phil. Hergenroether* in Kirchenlex. t. III. p. 816. sq.; *Card. Hergenroether* in Arch. f. k. K. t. X. p. 1. sq. t. XI. p. 252. sq. t. XII. p. 46. sq. de concordatis hispanicis; *Sentis* in cit. Arch. t. XII. p. 225. sq. de concord. Americae centralis; *Giobbio*, I concordati; *Turinaz*, Les concordats; *Radini-Tedeschi*, Chiesa e Stato in ordine ai concordati; *Dudon*, in Diceion. Apologét. t. I. p. 628. sq.; *Renard*, in Diceion. de Theolog. Cath. p. 727. sq.; *Constantin*, ibid. p. 744. sq.

165. I. Connexio materiae. De concordatis inter *fontes iuris ecclesiastici* ex professo est agendum (3). Nam propter proprietates *secundarias* et *accidentales* (4) aut propter *principia*,

(1) Ex philosophis et theologis de concordatis scripserunt: *Liberatore*, La Chiesa e lo stato p. 356. sq.; *Addisio*, Iuris naturae et gentium.... fundamenta p. 280. sq.; *Cathrein*, Moralphilosophie t. II. p. 705. sq.; *Satolli*, Prima principia iuris publicae ecclesiasticae p. 45. sq. 166. sq.; *Palmieri*, De Rom. Pontif. ed. I. p. 480. sq. et ed. II. p. 557. sq.; *Billot*, De habitud. Eccl. ad eiv. societ. p. 126. sq.

(2) Non pauci iuristae protestantici pro suis principiis de concordatis scripserunt velut *Sarwey*, *Hinsehius*, *Herrmann*, *Huebler*, *Friedberg*. Cfr. *Friedberg*, Lehrb. d. k. u. cv. Kirchenr. p. 100. sq. et *Friedberg-Ruffini* l. c. p. 222. sb.

(3) *Hammerstein*, De Ecclesia et Statu p. 210.; *Zeeh*, Praecognita iur. can. tit. 15. de concordatis; multi scriptores recentiores.

(4) Quaestio de pacto ad legem pontificiam et eivilem forte aecedente est *secundaria*, neque ex natura concordatorum sequitur, quod illa sint solummodo fons iuris ad *conflictus* componendos, cum etiam nullo praecedente dissidio iniri possint. Leo XIII. Eneycl. * *Immortale* * l. Novembris 1885.; *Hammerstein* l. c.; *Scherer* l. c. p. 232. not. 21.; *Schiffini* l. c. n. 560. II. infra h. tit. not. 139.

quae genuina theoria de natura iuridica concordatorum *supponit* (5), ratio *principalis* fontis iuris ecclesiastici in concordatis non est negligenda, neque ad alios titulos illorum explicatio amandanda (6). Etenim concordata principaliter constituunt *ius particulare* sive complexum quendam iuris, quo pro determinata quadam republica negotia ecclesiastica ordinantur (7). Quod ius particulare cum in concordatis inter Rom. Pontifices et multa gubernia civilia ultimo saeculo initis, re et verbis idem saepe existat, proxime *ad ius commune* accedit exhibetque magna ex parte disciplinam nunc in Ecclesia vigentem (8). Denique cum negari non possit saltem quamplurimos articulos illorum concordatorum habere *vim legum pontificiarum* (9) atque adeo *privilegiorum* Sedis Apostolicae, optimo iure cum disputatione de legibus et privilegiis pontificiis etiam tractatio de concordatis coniungitur, neque per modum appendicis (10), sed pro gravitate materiae sub *competenti rubrica* atque proprio titulo proponitur.

II. Nomen et definitio. Concordata variis temporibus varia consecuta sunt nomina. Cum ordinarie (11) inita fuissent

(5) *Palmieri*, De R. Pont. ed. I. p. 387. sq. 480. sq.

(6) Quare propria sedes huius materiae neque est titulus antiquatus « *de tregua et pae* » (l. I. tit. 34. X.) neque titulus « *de pactis* » (l. e. tit. 35.) neque pro more antiquorum canonistarum titulus « *de praebendis* » (l. III. t. 5. X.) ob *incidentem* quandam quaestionem particularem. Cf. *Schmalzgr.* cit. tit. 5. n. 265. sq.

(7) *Seherer* l. e. p. 152.

(8) *Nussi*, Conventiones v. g. p. 69. sq. 193. sq.

(9) *Tarquini*, Inst. iur. ecel. publ. p. 73. concordatum simpliciter definit « *Lex particularis ecclesiastica pro aliquo regno Summi Pontificis auctoritate edita ad instantiam Principis eius loci speciali eiusdem Principis obligatione confirmata, se eam perpetuo servaturum* ». Qua in definitione: obligatio *R. Pontificis* expressis verbis non enuntiatur. Quae ommissio minus fortunata (efr. h. tit. not. 27. n. 171.) forte effecit, ut *Tarquinius* plane falso diceretur habere *R. Pontificem* in concordatis immunem ab omni obligatione. Cfr. h. tit. n. 171. not. 104. sq. Obligatio autem a *Tarquinio* « *Prineipi* » imposita, si ad meram *legem* ecclesiasticam referretur, esset obligatio tantum *obedientiae* (efr. h. tit. not. 139.); at cum in iure obligatio simpliciter intelligatur obligatio *iustitiae*, quae etiam verbis contentus (*confirmato.... servaturum*) insinuat, *Tarquinius* a defendenda obligatione iustitiae in « *Prineipe* » non videtur esse alienus. Id, quod potissimum obtinet de « *Prineipe* » infideli, in quo directa obligatio obedientiae canonicae ne fingi quidem potest.

(10) *De Angelis* l. e., ubi post l. I. tit. 4. inseritur: « *Appendix de concordatis* »; *Baldi* l. e. p. 77. not. 100.

(11) *Pactis amicitiae* adnumeranda sunt v. g. pactum Carisiaeum

post dissidium inter potestatem ecclesiasticam et civilem, iam concordatum sive pactum Callixtinum (12) (a. 1122.) dictum est *concordia* (13) vel etiam *pax* sive *tractatus*. Idem nomen concordiarum sortita sunt concordata Costantientia (14), atque res in iisdem contentae vocabantur *capitula concordata*. Eadem vel similia nomina occurrunt in subsequentibus concordatis (15). Postquam vero pro more alias iam recepto (16) in concordato gallico anno 1801. adhibitum fuit vocabulum *conventionis*, idem nomen postea in aliis quoque concordatis, quae *formam contractus* habent, pariter retentum vim stabilis cuiusdam termini canonici obtinuit (17).

Cum de natura concordatorum non una sit sententia, facile intelligitur etiam multiplices existere *definitiones*, quae quamvis *verbis* interdum conveniant, tamen propter diversas verborum significationes *re* inter sese discrepant (18).

Quare nihil praesumentes, quod probatum nondum est, concordatum secundum obviam verbi significationem est *consensio sive conventio* (*arrangement, accordi, commune intelligenza*) (19) *auctoritatis ecclesiasticae (Ecclesiae) et auctoritatis civilis (Status)*, qua ordinantur relationes inter Ecclesiam et Statum circa materiam aliqua ratione utramque potestatem concernentem (20).

Quae consensio vel conventio ut sit efficax *pro subditis*, in utroque foro tanquam *lex est promulganda*. Quare concordata habent praeterea vim atque auctoritatem *legis ecclesiasticae et civitis* (21). Denique conventio illa sive consensio non est "*unio voluntatum* „ qualiscunque v. g. *propositi* vel *amicitiae* „ sed *vinculi* cuiusdam *vere obligatorii utrique* parti secundum ambitum et tenorem singulorum articulorum im-

(Chiersy) a. 754. inter Stephanum III. et Pippinum, porro pacta inter Hadrianum I. et Carol. M. a. 774. et alia c. 30. sq. D. 63. relata. Cfr. *Scherer* l. c. p. 232.; *Hefele* l. c. t. III. p. 577. sq.

(12) *Hefele* l. c. t. V. p. 370. sq.

(13) Simili concordia iam ann. 1106. et 1107. dissidium de investituris in Anglia fuit exstinctum. Cfr. *Hefele* l. c. p. 276. sq.

(14) *Hefele* l. c. t. VII. p. 351. sq.

(15) *Nussi* l. c. p. V. sq.

(16) *Nussi* l. c. p. VI.

(17) Syllab. prop. 43. "*Solemnes conventiones vulgo concordata* „.

(18) *Satolli* l. c. p. 46. sq.

(19) *Convent. Leon. XIII.* p. 26. 44. 108. 74.

(20) *Scherer* l. c. p. 153. not. 2.; *Giobbio* l. c. p. 3.

(21) "*Privilegium Callixti Papae II.* „, "*Praeceptum Henrici IV. (V.) Imperatoris* „; *Hefele* l. c. t. V. p. 370. sq.; *Scherer* l. c. p. 153. not. 6.

positi, nisi ludere velimus verbis clausulae finalis (22) multorum concordatorum. Vera igitur *obligatio* (23) *utriusque partis in ipsa definitione* est exprimenda, ut suus veritati sit locus, neve ansa detur exceptionibus saltem specietenus fundatis. Omne igitur punctum videtur tulisse *Schmalzgrueber* (24), qui antiqua concordata Germaniae rationem *legis pontificiae et inperialis* habere omnino tenet, at simul *aliquam vim pacti etiam publici utrimque obligantis* concordatis inesse non negat. Nihil igitur videtur obstare, quominus concordatum inter Sedem Apostolicam et potestatem civilem initum definiri possit, si utriusque partis constitutivae ratio habeatur:

Lex pontificia et civilis lata pro particulari quadam republica ad ordinandas relationes inter Ecclesiam et Statum circa materiam aliqua ratione utramque potestatem sive societatem concernentem, quae adiunctam habet vim (25) pacti publici (26)

(22) *Nussi* l. c. p. 271. sq. Cfr. praesertim Leon. XIII. *Encycl. "Ad extremas Orientis"* 24. Iun. 1893., ubi haec leguntur verba: "*Cum fidelissimo Portugalliae et Algarbiorum rege data acceptaque fide rite pacti sumus*". In ep. ad Ep. Gall. 16. Febr. 1892. concordatum dicitur "*un pacte soleunel el bilateral toujours fidèlement observé de la part du Saint Siège*". Pii IX. P. M. *Acta P.* l. vol. 2. p. 482. haec habent de concordato austriaco: "*Supradictas eoneessiones, paeta, eoneordata lenore praesentium approbamus.... quousque eonditiones et paeta in traetatu expressa servantur*". Cfr. quoque *Sehneider*, D. *particulacren Rechtsquellen* p. 152. sq. 164. sq.

(23) *Satolli* l. c. p. 47. p. 187. sq.; *Hammerstein* l. c. p. 214.

(24) Cfr. l. c. l. III. 5. n. 268. 271. 273.

(25) *Baldi* l. c. p. 55. not. 87. p. 86. not. 109., ubi terminologia optime explicatur.

(26) Quare concordata inter *paeta internationalia proprie dicta* non continentur. Etenim Ecclesia et Status qualiscumque sese non habent ad invicem ut *duae nationes* sive *civitates* aequales in *eodem* ordine, sed sunt *duae societates perfectae* in *diverso* ordine *supremae*, e quibus *societas civilis* Ecclesiae indirecte est subordinata. Hinc conventiones inter istas societates initae sunt plane *sui generis singularis*. Sane Ecclesia catholica non est *civitas*, si hoc nomine intelligatur Status, respublica, perfecta (sovrana) *societas civilis*. Quodsi Ecclesia hoc sensu non est civitas, nequit inferri Ecclesiam non esse *perfectam* (sovrana) *societatem religiosam*, sed solummodo *corporationem* quandam *in Statu*. Quare *Friedberg-Ruffini* l. c. per usum ancipitis verbi "*civitalis*" (Status? societatis perfectae?) inducunt confusionem. Cfr. supra h. tom. I. n. 17.; *Baldi* l. c. p. 34.; *Hammerstein* l. c. p. 210. sq.; *Zech* l. c. § 321.; *Schmalzgr.* l. c. n. 270. et 273.; *Suarez*, *Defensio fidei eath.* l. IV. cap. 34. n. 20. sq.; *Cavaignis* l. c. P. I. p. 396.

inter Sedem Apostolicam et illam rempublicam initi et utramque partem vere obligantis (27).

III. **Divisio.** Concordata dividi possunt:

a) *ratione subiecti* in concordata inita ab *Episcopis* aut *Romanis Pontificibus* cum *gubernio catholico* aut cum *gubernio acatholico* sive schismatico sive haeretico sive infideli (28);

b) *ratione formae* in conventiones *expressas* sive *formales* et in conventiones *virtuales* sive *aequivalentes* (29);

c) *ratione materiae* et *ambitus* in concordata de *particulari* quodam (30) negotio aut de *complexu* quodam materialium (31), sive *cum agnitione* expressa certorum principiorum ex parte Status vel Ecclesiae (32), sive *abstractione* facta a principiis per meram ordinationem practicam introducitur " *modus quidam vivendi* „ (33);

d) *ratione temporis* in *temporanea* et *perpetua* (34);

(27) Pius VII. in concordato anno 1817. cum Ludovico XVIII. inito statuit: " *Haec concordata habent vim veri contractus utrimque obligantis* „. Quare cum hae similesque formae loquendi atque adeo fortiores " **bilateralis pacti** „ usque ad ultimas Enc. Leonis XIII. in ipsis documentis authenticis frequentissime occurrant (efr. *Card. Hergenroether* l. c. p. 794. sq.; *Baldi* l. c. p. 73. sq. 91.) nulla existit ratio ab illa terminologia recedendi, ne simus magis catholici quam Romani Pontifices, sed terminologiae receptae vis genuina est exponenda, demonstranda atque vindicanda contra sinistras interpretationes ut plurimum ex confusis et perversis notionibus de primatu iurisdictionis Romani Pontificis et de relatione inter Ecclesiam et Statum repetitas. Cfr. *Kreuzwald*, *Staatslexikon* t. I. p. 1502. sq.; *Cavagnis* l. c. p. 398. sq.; *Palmieri* l. c. p. 560. sq., ubi reete monet etiam in sententia patronorum theoriae privilegiorum illam obligationem R. Pontificis esse *veram obligationem*, cuius violatio est actus malus et *peccatum coram Deo*; *Giobbio* l. c. p. 26. 30. sq.

(28) Cfr. de concordatis ab Episcopis initis: *Zech* l. c. §§ 324. sq.; *Vering* l. c.; *Seherer* l. c. §§ 16. 33. not. 3.; *Giobbio* l. c. p. 10. sq.; *Nussi* l. c. append. p. 1. sq.

(29) *Moulat* l. c. n. 3.; *Seherer* l. c. p. 153. sq.

(30) Cfr. v. g. conventionem Ferdinandi II. de bonis ecclesiasticis a. 1630. cum Sede Apostolica initam apud *Nussi* l. c. in append. p. 17. sq.

(31) Id ut passim in recentioribus concordatis. Cfr. v. g. concordatum hispanicum a. 1851. in *Arch. f. k. K.* t. VII. p. 377. sq.

(32) Qui modus ordinarie servatur in concordatis cum guberniis catholicis. Cfr. v. g. concordatum hispanicum (a. 1851.) art. 1.; concordatum austriacum (a. 1855.) art. 1. 2. 10.

(33) Profecto sperari non potuit, ut a principe schismatico vel haeretico, qui " *Summi Episcopi* „ munere in suo regno fungebatur, art. 1. cit. concord. hisp. vel art. 1. 2. cit. conc. austr. acceptarentur de primatu iurisdictionis R. Pontificis " *iure divino* „ in universam Ecclesiam obtento.

(34) V. g. concordata Constantiensia excepto anglico a. 1418. fuerunt temporanea sel. ad quinquennium inita. Cfr. *Hefele* l. c. t. VII. p. 365.;

e) ratione *finis* in *amicitiae* foedera et *pacis* denuo stabilitae pacta (35).

IV. **Notae historicae.** Post finitas persecutiones cruentas, a quibus foedera amicitiae et pacis inter Ecclesiam et Statum longe aliena fuerunt, christiani Imperatores Romanorum quamvis proprium atque expressum pactum cum Ecclesia non inirent, tamen non paucis exceptionibus admissis Ecclesiae patrocinium susceperunt (36). Quod disertis quoque pactis factum est, cum Pippinus, Carolus M. aliique in imperio Francorum rerum potirentur (37). Orta celeberrima controversia de investituris post longum dissidium per concordias in Italia, Germania, Anglia pax inter Ecclesiam et potestatem civilem est restabilita. Quare si concordata sumuntur secundum significationem illam restrictam concordiae, cui longum dissidium inter Ecclesiam et Statum praecessit, sane concordia Londinensis (a. 1107.) et concordia Wormatiensis (a. 1122.) tamquam prima quaedam concordata recenseri possunt. Errant igitur *De Angelis* l. c. n. 3., si existimat pactum Callixtinum sive Wormatiense concordatis non esse adnumerandum. Etenim *factum*, quod ibidem asserit scilicet a Callixto II. in illo concordato nullam *veram concessionem* factam esse imperio, est omnino falsum; asserta vero *necessitas concessionis* ad veram notionem concordati solido argumento non demonstratur (38).

Schiffini l. c. n. 560., ubi divisionem foederis internationalis in *realia* et *personalia* reprobat cique potius substituit divisionem in pacta *perpetua* et *temporanea*, quod in pactis *strictis* internationalibus principes gerant *personam totius reipublicae*, cui praesunt.

(35) *Moulart* l. c. n. 2. ex fine concordatorum magis ingeniosam quam accuratam repetit divisionem concordatorum. Cfr. *Hammerstein* l. c. p. 210.

(36) *Satolli* l. c. p. 50. sq.; *Phil. Hergenroether* l. c. p. 825. sq.

(37) Supra h. tit. not. 11.

(38) Cfr. supra h. tit. not. 4. 6.; Acta theolog. Oenip. t. IV. p. 530. aliter *Giobbio* l. c. p. 6. 8., ubi rationibus haud efficacibus pariter sententiam *De Angelis* sustinere conatur. Nam Callixtus Papa in concordato Wormatiensi *tria* Imperatori « *concedit* » 1) ut electiones Episcoporum regni teutonici in praesentia Imperatoris fiant, sed absque simonia et aliqua violentia; 2.) ut si qua inter partes discordia emergerit, Metropolitani et Episcoporum comprovincialium consilio vel iudicio, saniori parti assensum et auxilium praebeat; 3) ut Episcopi *electi* i. e. ante consecrationem in eodem regno teutonico, ex aliis vero imperii partibus i. e. in Burgundia et Italia nonnisi Episcopi iam *consecrati* infra sex menses regalia percipiant ab Imperatore recipiant. Quae hisce verbis Imperatori permit-

Post concordiam inter Sedem Apostolicam et imperium restauratam Callixtus II. aliique Romani Pontifices in con-

tuntur, non tantum expresse *vocantur*, sed etiam quoad *rem sunt* concessiones R. Pontificis.

Etenim si Capitulis cathedralibus imponitur *obligatio*, ut non nisi praesente Imperatore (vel eius Commissario) celebrent electiones Episcoporum, libera electio accipit gravem *limitationem* neque in natura rei neque ullo iuris textu fundatam, sel. saltem congruo quodam tempore *expectanda*. Praeterea ex intentione utriusque partis illa praesentia Imperatoris profecto debuit esse immunis a violentia et simonia, sed nequaquam ab omni licita interventione per preces vel consilia positiva et negativa vel commendationes. Similiter altera concessio, etsi apposita fuerit conditio de consilio et iudicio Episcoporum comprovincialium, tamen denuo admittit veram quandam interventionem Imperatoris in electionibus controversis per se valde onerosam atque adeo periculosam.

Tandem R. Pontifex tertio loco permisit, ut Episcopi pro feudis imperii iuramentum *vasallorum*, non simplicis tantum *fidelitatis* praestarent. Quodsi quis perpendat, quantopere Ecclesia grave istud homagium vasallorum a suis Episcopis voluerit remove, facile intelliget non levem Imperatori factam esse concessionem. Nihil igitur mirum, Conrado, Archiepiscopo Salisburgensi, viro pro libertate Ecclesiae zelantissimo, summo perire displicuisse, quod in concordato Wormatiensi Episcopi ab homagio vasallorum praestando non fuerint liberati. Cfr. *Cavagnis*, Inst. iur. publ. eccles. P. II. p. 27. sq. Cui oneri homagii in se iam gravi accessit illa circumstantia, quod homagium fuerit praestandum saltem in regno teutonico ab Episcopis tantum *electis*, nondum confirmatis et consecratis. At quicumque attendat, quam aegre Ecclesia semper tulerit, si Episcopi tantum electi iura sedi suae adnexa exercuerint, is haud difficulter sibi persuadebit gravem fuisse concessionem, si R. Pontifex in concordato permisit, ut Episcopi teutonici *tantum electi investirentur* feudis imperii suis sedibus unitis. Quae argumentatio ex ipso textu petita imprimis plene confirmatur ex testimonio virorum doctorum in Germania, qui nostra aetate ex professo de concordato Wormatiensi scripserunt et communiter docent Callixtum Papam Imperatori Henrico V. veras nec leves fecisse concessiones. Deinde aequedit alterum gravissimum factum.

Cum Imperator Lotharius III., optimus successor Henrici V., gubernacula imperii teneret, viri ecclesiastici in Germania, quibus summa cura fuit promovendi libertatem Ecclesiae, Imperatori persuadere studuerunt, ut non solum concordatum Wormatiense fideliter servaret, sed etiam renuntiaret suae personali praesentiae in electionibus Episcoporum, loco homagii vasallorum contentus esset simplice iuramento fidelitatis atque etiam in regno teutonico investituram feudalem solummodo praestaret Episcopis iam consecratis. Cui desiderio Lotharius per expressam quandam promissionem non annuit, imo a R. Pontifice studuit potius posteriores obtinere favores. Quae facta denuo evidenter probant coactaneos concordati Wormatiensis firmiter existimasse, Imperatori speciales factas esse concessiones. Cfr. *Hefele* I. e. t. V. p. 371. sq. 388.; *Card. Hergenroether-Kirsch* I. e. t. II. p. 390. sq. 438. sq. Porro si concessiones R. Pontificis dicuntur necessarium elementum genuinae notionis concordati, confunduntur ea, quae de facto communiter fiunt, eam natura rei; praeterea huiusmodi

ciliandis regibus utriusque Siciliae adversa fortuna usi sunt, atque post varias clades et nefastas pacis stipulationes tandem Hadrianus IV. a 1156. eas concordiae condiciones cum Guilelmo I. acceptare coactus est, quas nonnisi iniquissimus Ecclesiae hostis Romano Pontifici imponere potuit. Mirum igitur non est, quod in istis regionibus paulatim orta sit famosa illa “*Monarchia Sicula*”, quae, si cum concordatis aliarum nationum comparetur, vere tyrannica oppressio Ecclesiae in Sicilia est dicenda (39).

Exstinctis dissidiis in Germania, Italia, Anglia de investituris maiorum Praelatorum (40) per concordiam Wormatiensem (a. 1122.) et Londinensem (1107.) potissimum Alexander III. (a. 1159.-1181.) prudenti temperamento adhibito etiam controversias de inferioribus beneficiis per concessionem *iuris patronatus* definivit (41). Quare si quis contendat in iure Decretalium nihil de concordatis reperiri atque magnos illos Romanos Pontifices velut Alexandrum III. et Innocentium III. pro sua plena et expedita potestate *leges* condidisse, non *concordata* iniisse, id nonnisi ex parte verum est. Nam universus titulus 38. de iure patronatus libri III. Decretalium est tacitum quoddam concordatum atque non levium iurium in favorem laicorum facta concessio et futurorum privilegiorum principibus saecularibus datorum vera praeformatio. At illud sane ex principiis iuris Decretalium

opinio refutatur ex natura iuridica *constituti*, quo per verum pactum iura reeognoscuntur iam aliunde debita (cfr. *Schiffini* h. tit. not. 139.) et ex facto plurimum concordatorum *sine* concessionibus pontificiis initorum. Cfr. h. tit. not. 50.

(39) *Sentis*, Die Monarchia Sicula p. 76. sq. p. 48. sq. Cui scriptori omnino adstipulandum est, *authentiam* historicam concessionis Urbani II. (a. 1098.) *non posse solidis argumentis impugnari*, eum Paschalis II. concessionem sui praedeessoris expresse commemoret atque confirmet. Pariter autem certum est regalistas atque perversam praxim illi privilegio Urbani II. eam dedisse *extensionem*, quae in verbis *genuinis* privilegii *nulum* habet *fundamentum*. Cfr. *Sentis* l. c. p. 37. sq. p. 53. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. t. II. p. 378. 449. Quare recentiores quoque scriptores arbitrariam illam extensionem recte impugnant (cfr. *Cavagnis* l. c. P. II. p. 45. sq.; *Palmieri* l. c. p. 592. sq.); at si etiam omnimodam *authentiam* historicam illius privilegii Urbani II. negant, id forte exinde repeti potest, quod ipsis Decretalis Paschalis II. aut saltem novae disquisitiones *Sentis* penitus manserint ignotae.

(40) Cfr. e. 2. Cone. Remens. (a. 1119); *Hefele* l. c.* t. V. p. 355. sq. 349. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. t. II. p. 446. 450. de pacto Eugenii III. et Friderici I. (a. 1153.) inito.

(41) *Phillips* l. c. t. VII. §§ 412. sq.

deducitur *concordata necessaria non esse*, sed ad summum pro diversa conditione temporum *utilia vel convenientia*. Cum vel ipsi Cardinales ex fine saeculi 13. et potissimum ex medio saeculo 14. etiam per capitulationes in conclavi et multo magis tempore magni schismatis occidentalis auctoritatem Romanorum Pontificum deprimere satagerent, facile intelligitur, quod etiam alii principes saeculares et ecclesiastici easdem semitas alacriter secuti sint. Quibus incommodis iam in ipso Concilio Constantiensi Martinus V. per concordata prudentibus concessionibus haud vacua remedium afferre tentavit (42). Deinde Nicolaus V. ad superandas difficultates ex schismate Basileensi ortas exemplum Martini V. secutus in concordatis Vindobonensibus iuris rigorem temperavit atque favores indulisit. Tandem Leo X. ut in Gallia abrogationem plenam pragmaticae sanctionis obtineret, Franciscum I. in concordato a. 1516. inito praeclaris privilegiis cumulavit. Post hanc aetatem rariora sunt concordata (43).

At saeculo decimo octavo cum crescerent mirum in modum controversiae inter Ecclesiam et varias civitates, frequentior fit usus concordatorum (44). Praesertim Benedictus XIV. tum in minoribus constitutus tum ad cathedram S. Petri evectus per concessionem principibus saecularibus factas et media leniora, haud semper felici cum successu, extrema pericula ab Ecclesia avertere studuit (45). Destructo aut perturbato statu Ecclesiae in universa fere Europa per revolutionem gallicam, Napoleon I. a. 1801. ad restaurandam pacem religiosam in Gallia cum Pio VII. solemnem iniiit conventionem (46). Quod exemplum non pauca gubernia postea secuta sunt (47), atque imprimis Pius IX. complura concordata iniiit (48), quibus post longam moram sub Leone XIII. inde ab a. 1881. novae accesserunt conventiones vel stipulationes v. g. propria et formalis conventio cum repu-

(42) *Hefele* l. c. t. VII. p. 351.

(43) *Nussi* l. c. p. VI., ubi refert tantum conventionem initam cum Ferdinando II. (a. 1630.).

(44) *Nussi* l. c. p. VI. sq.

(45) *Sentis*, D. Monarchia Sicula p. 162. sq.

(46) *Crétineau-Joly*, Bonaparte, le concordat de 1801. et le Card. Consalvi (contra Theiner); *Bonald*, Deux questions sur le concordat de 1801.; *Scherer* l. c. p. 58. sq.

(47) *Nussi* l. c. p. VIII. sq.; *Scherer* l. c. p. 60. sq.; *Vering* l. c. §§ 38. sq.

(48) *Nussi* l. c. p. IX. sq.

blica Columbiae a. 1887., pacta adstipulata cum gubernio Magnae Britanniae (49).

§ 1. DE SUBIECTO CONCORDATORUM.

166. I. *Ex parte Ecclesiae* concordata inire possunt:

a) *Episcopi* ut principes ecclesiastici intra ambitum suae iurisdictionis de rebus mere ecclesiasticis. Et revera saeculis elapsis non raro Episcopi (50) v. g. cum gubernio austriaco vel bavarico (51) concordata inierunt. Quoniam autem Episcopi nihil contra ius commune aut de causis maioribus statuere valent, nostra aetate haec potestas Episcoporum sumopere est restricta et vix ullius practici momenti. Imo huiusmodi pacta inter Episcopum et gubernium civile inita a Romanis Pontificibus fuerunt expresse reiecta aut saltem non probata (52).

b) *Romanus Pontifex* tanquam *supremus rector* et pastor *Ecclesiae universalis* (53) suprema et plena potestate instructus est ad ineunda concordata de rebus ecclesiasticis cum guberniis quibuscunque etiam infidelibus. Quinimo ius ineundi conventiones, quae nostro saeculo vulgo vocantur concordata, Romanis Pontificibus simpliciter est reservatum neque ulla ratione Episcopis proprium. Nam saepe in istis concordatis *ius commune* aliquo modo *innutatur*, cum v. g. laicis aliquid indulgetur, quod solis clericis est permissum, aut ipsis acatholicis conceduntur favores, quos Ecclesia solis fidelibus catholicis impertiri solet (54). At ius commune a solo Rom. Pontifice, non ab Episcopis immutari potest (55). Praeterea concordata, ut ex textu illorum patet, de gravissimis et plurimis rebus ecclesiasticis universae cuiusdam reipu-

(49) Act. S. Sed. vol. XXI. p. 7. sq.; Convent. Leon. XIII.

(50) *Nussi* l. c. append. p. 1. sq., ubi refertur concordia inita a. 1288. inter regni Portugalliae Praelatos et regem Dionysium, quae a. 1289. a Nicolao IV. est confirmata; *Nussi* l. c. p. 11. sq.; Arch. f. k. K. t. XXIV. p. 223.

(51) *Zech* l. c. § 324.; *Scherer* l. c. p. 153. not. 3.; *Cavagnis* l. c. p. 390.

(52) *Vering* l. c. § 89. not. 21. § 44. not. 31.

(53) Quare Romanus Pontifex concordata, de quibus agitur, non inquit ut princeps civilis Status pontificii. Cfr. de conventionibus a R. Pontifice ut princeps civili initis: Atti del Pontefice Pio IX. P. II. vol. 2. p. 21. sq. 79. sq. 101. sq. 180. sq. 212. sq.

(54) *Nussi* l. c. p. 105.

(55) Cap. 4. X. de concess. praeb. III. 8.

blicae decernunt (56). Quae rerum ecclesiasticarum ordinatio optimo iure *causis maioribus* adnumeratur; sed causae maiores in Ecclesia Romanis Pontificibus sunt reservatae (57). Tandem negari non potest gubernia civilia ideo expetere concordata, ut habeatur norma determinata et stabilis ad negotia ecclesiastica in universo regno expedienda, ad quam servandam vel *ipsi Episcopi* et *Concilia provincialia adstringantur*; manifestum vero est huiusmodi normam sive interventione Romani Pontificis non posse constitui.

II. *Ex parte reipublicae* sive *Status* subiectum, quod inire potest concordata est is, qui secundum constitutionem reipublicae iure conventiones publicas et internationales ineundi et leges ferendi praeditus est (58). Quo iure reges vel praesides guberniorum civilium ordinarie uti solent per suos delegatos sive plenipotentarios sibi que solummodo reservant potestatem pacta conventa in forma legitima ratificandi. Quodsi reges vel praesides plenam et absolutam, ut dici solet, habent potestatem iurisdictionis, sine consensu comitiorum publicorum non solum ratificationem conventionis factae dare, sed etiam concordatum ratificatum tanquam legem Status etiam fundamentalem (59) in omne futurum tempus valituram promulgare valent (60). At non raro constitutiones civitatum ad omnia *pacta* publica multoque magis ad omnem *legem* Status praesertim fundamentalem requirunt consensum comitiorum publicorum datum in forma legitima pro diversitate actuum approbandorum. Quo in casu absque consensu comitiorum publicorum ratificatio concordati per solum principem vel praesidem facta absolutam firmitatem non obtinet, neque concordatum tanquam lex Status promulgari potest (61). Hinc Sedes Apostolica ne evidenti ludibrio exponatur, conventiones in forma solemni inire non solet, nisi gubernium civile necessitati petendi consensus comitiorum publicorum

(56) Cfr. cit. concord. hisp. (a. 1851.) h. tit. not. 31.

(57) Quod a fortiori valet, si non paucae causae velut nova diocesium circumscriptio iam ex sese Romano Pontifici sint reservatae.

(58) Arch. f. k. K. t. VI. p. 141. sq. (responsio Card. Antonelli ad gubern. Badense); Scherer l. c. p. 153.; Vering l. c. § 44. X.; Arch. f. k. K. t. VII. p. 318. sq. (resp. Card. Antonelli ad gubern. Wuerttemberg.).

(59) Cfr. concordatum bavaricum (a. 1817.) art. 18. et Vering l. c. § 38.

(60) Cfr. concord. austriac. (a. 1855.) art. 35.; Vering l. c. § 37.

(61) Concord. inter S. Sed. et rempubl. Columbiae (a. 1887.) art. 31. 32.; Act. S. Sed. vol. XXI. p. 12.

non sit adstrictum, aut de consensu illo certo praestando rationabile quoddam dubium existere non possit (62).

167. Scholion. In concordatis nunc ex longo iam tempore initis subiectum ex parte Ecclesiae est *sola Sedes Apostolica* et ex altera parte *solus Status* sive gubernium civile (63). At concordata Constantiensia a Romano Pontifice cum "*natione germanica* „ conclusa nequaquam ex altera parte tanquam proximum et unicum subiectum paciscens habuerunt regem Germaniae vel Imperatorem, sed congregationem Praelatorum ecclesiasticorum (64) ex *Germania, Polonia, Hungaria, Dania, Suecia, Norvegia*. Quare Romanus Pontifex huiusmodi concordata potius iniit tanquam rector Ecclesiae universalis cum coetu pastorum ecclesiarum particularium (65). Ipsa quoque concordata Vindobonensia Nicolaus V. iniit cum Imperatore Friderico III. et cum aliis principibus *saecularibus* et *ecclesiasticis* Germaniae i. e. cum gubernio civili et hierarchia ecclesiastica Germaniae (66). Verum inde a tempore, quo Franciscus I., rex Galliae, concordatum iniit cum Leone X. (a. 1516.) solum gubernium civile ex altera parte est subiectum paciscens obligationis. Quinimo ultimo saeculo Romani Pontifices cum *guberniis schismaticis* et *haereticis* concordata iniierunt, atque iam in eo videtur fuisse (67), ut inter Pium IX. et Imperatorem Turcarum solemniter fieret conventio (68). Ex his quoque animadversionibus denuo patet inter concordata *antiqua* et *nova* haud levia esse discrimina; minime vero omnes illae differentiae sunt admittendae, quas recensuit *Schulte* l. c., cum adhuc catholicus esset. Ipsi enim prote-

(62) Cfr. Card. Antonelli l. c. Quae agnitio legis ecclesiasticae quamvis aliunde iam sit Ecclesiae *de iure* etiam in foro civili debita, tamen ut eo certius *de facto* et *efficaciter* obtineatur ab Ecclesia, per *specialem* promissionem in *forma solenni* dandam exigitur. Cfr. *Zallinger* l. c. vol. II. p. 348.; *Biederlack* in Act. theol. Oenip. t. XXVI. p. 161.

(63) *Nussi* l. c. p. V. sq.; *Baldi* l. c. p. 114.

(64) *Hefele* l. c. t. VII. p. 358. sq., ubi etiam agit de concordatis initis cum "*natione gallica* „ vel verius cum nationibus latinis sive romanis, item de concordato perpetuo cum natione anglica. Cfr. de concordato cum Hispania inito: *Giell* in Lit. Handw. a 1893. p. 215.

(65) Cum hisce concordatis magnam similitudinem habent pacta et capitulationes Cardinalium vel canonicorum in electionibus Rom. Pontificum vel Episcoporum.

(66) Nicolai V. Const. "*Ad sacram Petri Sedem* „ 19. Mart. 1448.; *Schmalzgr.* l. c. n. 265.; *Scherer* l. c. p. 289.

(67) *Nussi* l. c. p. V. sq.

(68) *Tarquini* l. c. p. 79. sq.; *Vering* l. c. § 62. p. 365.; *Baldi* l. c. p. 96.

stantes, quamvis intentionem Schulte laudarunt, tamen singularem illam opinionem in fontibus iuris canonici catholicorum fundamentum non habere recte eidem obiecerunt (69).

§ 2. DE FORMA CONCORDATORUM.

168. *Forma* concordatorum diversa fuit pro diversitate temporum; attamen generatim *tres formae* principales recenseri possunt.

I. Concordatum Callixtinum sive Wormatiense constat duabus declarationibus sive legibus, de quibus inter partes contrahentes antea conventum fuerat, atque una inscribitur: “ *Privilegium* Callixti Papae II. „, altera vero: “ *Praeceptum* Henrici IV. (V.) Imperatoris „. Quae Henrici declaratio insuper hanc habet subscriptionem: “ *Haec omnia acta sunt consensu et consilio principum, quorum novissima subscripta sunt* „ (70).

Concordata Constantiensa formam habent *Bullarum pontificiarum*, quae post concordiam de tenore stabilitam publicatae fuerunt (71).

II. Propriam quandam *formam pactorum bilateralium* referunt concordata Vindobonensia Nicolai V. et Friderici III. et conventio inita inter Leonem X. et Franciscum I. Praesertim saeculo nostro in quamplurimis conventionibus eadem omnino forma externa servata est atque in pactis internationalibus, v. g. “ *Conventio inter Sanctitatem suam Pium IX., Summum Pontificem, et Maiestatem suam... Franciscum Iosephum I., Imperatorem Austriae. In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis. Sanctitas Sua... et Maiestas Sua... concordibus effecturi studiis, ut fides, pietas et omnis recti honestique vigor conservetur et augeatur, de Ecclesiae catholicae statu in eodem iuperio solennem inire conventionem decreverunt* „. Deinde plenipotentarii ab unaquaque parte contrahente no-

(69) *Richter*, Lehrb. d. k. u. pr. K. p. 260. *Herrmann* quoque vocabulum concordati nimium restringit, ut recte observat *Scherer* l. c. p. 152. not. 1.; nequaquam enim *concordata* tantum eae dicuntur *conventiones*, in quibus relationes inter Ecclesiam et Statum ordinantur *secundum iuris principia*, non abstractione facta a principiis iuris ad stabiliendum modum quandam vivendi. Cfr. not. 33. h. tit.

(70) Cfr. quoque conventionem inter Benedictum XIII. et Victorem Amadum, regem Sardiniae, (a. 1727.) in forma *Brevis et Instructionis* R. Pontificis atque *notificationis regiae*; *Scherer* l. c. p. 153.; *Giobbio* l. c. p. 17. sq.

(71) *Hefele* l. c. t. VII. p. 358.

minati postquam sibi mutuo instrumenta plenipotentiae tradiderunt, de certis articulis conveniunt. Tenor illorum articulorum in formalem quandam conventionem redigitur, ubi in fine determinatur tempus, intra quod ratificationum mutua traditio fiat necesse est; denique conventio a plenipotentiaris subscribitur sigilloque munitur. Quibus tractatibus praemissis Romanus Pontifex conventionem initam in consistorio publico et per propriam Bullam (saepe non satis a scriptoribus examinatum) ratificare et tanquam legem ecclesiasticam pro illa regione promulgare solet. Principes civiles vero consuetis formis ratificationem conventioni impertiuntur eamque suis edictis vel alio legitimo modo ut leges Status promulgant (72).

III. Cum principes quidam acatholici (73) de sua maiestate multum solliciti ineunte ultimo saeculo nollent Romano Pontifici vel in ipsa inscriptione conventionis concedere praecedentiam, singuli articuli, de quibus inter Romanum Pontificem et principem acatholicum v. g. per diplomaticas notas signatas sive per litteras reversales (note reversali) i. e. per mutuum acceptationem promissionum ab utraque parte datarum vere, sed minus solemniter conventum fuerat, speciali Constitutione Romani Pontificis promulgabantur, atque deinde iidem articuli edicto regio rati habiti sunt (74).

§ 3. DE OBIECTO CONCORDATORUM.

169. *Obiectum* sive materia concordatorum possunt esse et de facto sunt:

I. *Res temporales* (75), i. e. bona temporalia. Qua ratione Romanus Pontifex v. g. propter maius bonum spirituale *renun-*

(72) Novissimum exemplum talis conventionis est conventio Columbiae cum S. Sede (a. 1887.). Cfr. Act. S. Sed. vol. XXI. p. 7. sq. vel Conventiones Leon. XIII. p. 75. sq.; *Vering* l. c. §§ 37. sq. de conventionem austriae aliisque concordatis.

(73) *Scherer* l. c. p. 154.; *Vering* l. c. §§ 39. 40. 44.

(74) Cfr. Conventiones Leon. XIII. p. 21. sq. 57. sq. 96. sq.; *Giobbio* l. c. p. 17. sq. interdum articulis publicatis concordati adiunguntur aliae *secretae* declarationes et instructiones, de quibus pariter inter R. Pontificem et gubernium civile concordia inita fuit. Cfr. *Scherer* l. c. p. 153.; *Vering* l. c. §§ 37. 44.; *Collect.* Lac. t. V. col. 1321. sq.

(75) Cfr. conventionem Ferdinandi II. cum Sede Apostol. a. 1630. initam (apud *Nussi* l. c. in append. p. 17. sq.), quae exclusive agit de bonis temporalibus; convent. Columb. (a. 1887.) l. c. in Act. S. Sed. art. 22-29. incl.; *Nussi* l. c. tit. 22. p. 213. sq.; *Tarquini* l. c. p. 74.; *Cavagnis* l. c. p. 389. sq. iunct. p. 387. sq.

tiat dominio bonorum ecclesiasticorum forte tempore religionis vel civilis revolutionis dilapidatorum atque ad summum modicam quandam exigit compensationem; porro *iudulget*, ut Ecclesiae proprietates possint publicis *vectigalibus* subiici (76). Gubernium civile vero pro sua parte sese obstringit, ut loco compensationis pro bonis Ecclesiae sublatis *vi publici debiti* a Statu suscepti Episcopis aliisque clericis constituat dotem, aut etiam promittit se futuro tempore ad novas dioceses erigendas sufficientes redditus vel ad alios scopos ecclesiasticos subsidium pecuniarium esse subministraturum (77).

II. *Res mixtae*, quibus sensu stricto eae tantum causae adnumerari possunt, de quibus sub *diverso* respectu utraque potestas *per se* iure *proprio* et nativo aliquid statuere potest velut regiae universitates, scholae municipales (78), matrimonium (79). At latiori sensu eae quoque res vocantur mixtae, quae *per se uni* tantum potestati ex iure proprio et nativo subsunt, sed *a)* ob *difficultatem* suam exigunt cooperationem alterius potestatis v. g. haeresis (cfr. artic. 1. concord. hisp. a. 1851.), vel *b)* per *concessionem* sive delegationem unius potestatis in alteram sunt aliquo modo translatae, v. g. si civitas Episcopo concederet magistratum civilem v. g. senatoris, iudi-

(76) Convent. cit. Columb. art. 6. 29. Haud abs re est illa animadversio, inter varias concessionis Sedis Apostolicae etiam circa bona temporalia factas *non levia esse discrimina*. Nam si Rom. Pontifex certis bonis temporalibus renuntiat (cfr. cit. convent. Columb. art. 29.), illa bona non amplius manent in dominio *proprietatis* Ecclesiae constituta neque *iurisdictioni* ecclesiasticae tanquam vera bona Ecclesiae exclusive et directe sunt subiecta. Quod si Ecclesia v. g. in cit. convent. Columb. art. 6. *permittit*, ut bona ecclesiastica *legibus tributariis* Status sive publicis vectigalibus subiici possint, nequaquam Rom. Pontifex dominio *proprietatis* Ecclesiae in illa bona renuntiavit neque Statui *ius* quoddam *proprium* et nativum *iurisdictionis* inesse agnovit ad condendas *leges* tributarias de bonis temporalibus Ecclesiae, sed ex *concessione* Ecclesiae absolute revocabili atque limitata ius illud Status repetendum esse sufficienter insinuavit. Cfr. *Nussi* l. c. p. 200. et de *decimis* p. 261. sq. et append. p. 11. sq., ubi refertur concordatum de *decimis* inter Praelatos et regem Lusitaniae initum et a Leone X. 1516. confirmatum, et p. 222. art. 8. concordati a. 1753. cum Hispania initi de *compensationibus* solvendis v. g. 310000 scutorum Romanorum pro *annatis* a Sede Apostolica in provisione *beneficiorum* perceptis.

(77) Convent. Columb. art. 22. 25.; *Nussi* l. c. p. 222. sq.

(78) Convent. Columb. art. 12. 13. 14.; l. c. p. 69. sq.

(79) Convent. Columb. art. 17. 18. 19.; *Nussi* l. c. p. 197. sq.; *Vering* l. c. § 37. p. 153. sq. de praxi hungarica; *Vering* l. c. §§ 63. 157. de iurisdictione civili Episcoporum in imperio Turearum.

cis (80), aut vicissim si Romanus Pontifex principi civili indulget ius (81) nominandi Episcopos sui regni, c) generatim eae res, in quibus civilis gubernii et Ecclesiae *utilitas* intervenit, vel facilius inter utramque potestatem dissidia oriuntur vel orta sunt (82).

III. *Res spirituales*, quae per se *soli* potestati ecclesiasticae ex iure proprio et nativo sunt subiectae v. g. liturgia, indulgentiae (83). Qua ex notione rei mixtae patet non pauca obiecta concordatorum nonnisi *lato sensu* rebus *mixtis* esse adnumeranda, et *per se optimo iure inter causas spirituales* recenseri, velut *privilegium nominandi Episcopos*. Quodsi potestas civilis iura divina et canonica Ecclesiae *agnoscit* seque inviolabiliter illa observaturam esse *promittit* (84), et vicissim Ecclesia propria iura Status solemniter agnoscit (85), sane

(80) Cap. 4. X. de raptor. V. 17. Profecto nequaquam omnes praerogativae et facultates, quae tempore medii aevi elero competebant, ex iure divino vel canonico possunt derivari, sed non paucae ex concessione potestatis civilis iure mere historico fuerunt acquisitae. Cfr. *Nussi* l. c. p. 29.; *Hefele* l. c. t. VI. p. 131., ubi refertur transactio regis et Episcoporum Norvegiae de iure eligendi regem a. 1273. facta et a Gregorio X. in Concil. Lugdun. II. a. 1274. confirmata. Cum rex in compensationem *iuris* certe *temporalis* ab Episcopis dimissi promitteret singularem protectionem Ecclesiae, profecto ista protectio regia nequit haberi res in se spiritualis, secus non potuisset tanquam *aequivalens* permutari eum re *temporali*. Porro cum pro protectione Ecclesiae possit accipi praemium *temporale*, denuo efficitur illam rebus spiritualibus non posse adnumerari. Quibus praerogativis mere politicis Ecclesia mutata temporum eonditione potuit *renuntiare*. Cfr. e. 35. C. XI. q. 1.; *Schmalzgr.* l. c. lib. V. t. 33. n. 75.; *Vering* l. c. § 37. p. 153. de praerogativis antiquis cleri hungarici, attenda tamen distinctione inter privilegia, quae per se iure canonico nituntur, et privilegia ex solo iure civili repetenda. Quare nequaquam omnia iura a *Vering* recensita indiscreminatim possunt dici « *iura mere politica* ». Cfr. quoque *Areh. f. k. K. t. XXIII.* p. 413. sq. Item in singulis easibus accurate inquirendum est, qualis fuerit *natura iuridica* illarum concessionum Status. Cfr. *Hammerstein* l. c. p. 211.

(81) Quod ius etiam disertis verbis in concordatis vocatur *privilegium* vel *indultum*. Cfr. *Nussi* l. c. p. 34. sq.

(82) V. g. de parochiarum et dioecesium erectione, de immunitate eccl. Cfr. *Nussi* l. c. p. 19. sq. 95. 151. sq.; convent. Columb. art. 16.

(83) *Nussi* l. c. p. 109. sq., convent. Columb. art. 23.; *Giobbio* l. c. p. 13. sq.

(84) V. g. cit. concord. Praelatorum Portugalliae (a. 1288.) apud *Nussi* l. c. p. 281. sq.; concord. austr. (a. 1855.) art. 1. 2.; concord. hispanic. (a. 1851.) artic. 1.; *Nussi* l. c. p. 1. sq.

(85) Concord. Wormat. (a. 1122.) in praeepto Henrici Imp. apud *Nussi* l. c. p. 29.; concord. Columbiae art. 19. de effectibus civilibus matrimonii. Cfr. quoque *Nussi* l. c. p. 197. sq.

utraque pars *in se novum ius* non acquirit, sed *ex novo titulo* iura sua propria contra alteram possidet (86) secundum analogiam *constituti* (87) vel obligationis aliunde iam debitae, sed *promissione* vel *irramento* confirmatae.

IV. Practice vero et *de facto* obiecta concordatorum *ordinarie* ad *duplicem speciem* reducuntur. Continent enim concordata regulariter 1) *solemnnes sponsiones guberniorum civilium* pro suo *officio* aliunde iam certo servandi et tuendi *iura* Ecclesiae in concordatis expressa, 2) *leges et concessiones speciales* Rom. Pontificis *fide publica Sedis Apostolicae* corroboratas. Quare gubernia civilia nonnisi *extraordinarie* in concordatis aliquid Ecclesiae promittunt, ad quod aliunde non iam obligantur, aut vicissim aliquid de proprio concedunt Ecclesiae.

§ 4. DE NECESSITATE ET CONVENIENTIA CONCORDATORUM.

170. I. *Necessitas* quaedam absoluta et ordinaria concordatorum ad ordinandas relationes inter Ecclesiam et Statum admittenda non est. Nam huiusmodi necessitas ex logica consequentia solummodo esset asserenda, si inter Ecclesiam et societatem civilem existeret *perfecta aequalitas* sive *coordinatio*. Quae cum ob finium utriusque societatis subordinationem contineat manifestam absurditatem et errorem dogmaticum, nullo modo sustineri potest (88). Quodsi potestas civilis potius potestati ecclesiasticae *indirecte subordinata* est (89), sane Ecclesiae competit limites inter utrumque potestatem partim pro suo *infallibili magisterio authentice declarare*, partim, ubi agitur de personis et rebus cum bono Ecclesiae connexis, pro sua *iurisdictione decretorio imperio* figere (90). Cui infallibili declarationi atque imperio potestas

(86) Acta theologica Oenip. t. IV. p. 530. ; Scherer l. c. p. 154. not. 9. ; De Angelis l. c. n. 5. « Nisi (?) eadem obligatio naturalis ancla vi pacti » ; Costa-Rosselli, Synopsis philoph. mor. p. 684. sq.

(87) Arndts-Serafini l. c. § 240. ; Schiffini l. c. n. 560. II.

(88) Tarquini, Instit. p. 48. sq. p. 74. III. ; Act. theol. Oenip. t. XI. p. 385. sq. ; Krentzwald l. c. p. 1502. sq. 1506. sq. ; Hammerstein l. c. p. 111. sq. p. 144. sq. ; Giobbio l. c. p. 20. sq. ; Billot l. c. p. 126.

(89) Leon. XIII. Encycl. « *Inmortale* » l. Nov. 1885. ; Syllab. prop. 24. 30. ; scriptores all. in nota praeced.

(90) Syllab. prop. 30. ; Suarez, De leg. l. IV. cap. 11. n. 12. ; Hammerstein l. c. p. 166. sq.

inferior necessario obedire debet (91). Hinc liquet concordata secundum certam et indubitatum theoriam de indirecta Ecclesiae superioritate *absolute* non esse necessaria (92). Quare Hinschius aliique patroni Status moderni, qui Ecclesiam Statui subordinatam esse defendunt (93), per legitimam consequentiam pariter ad negandam necessitatem concordatorum recte adducuntur, sed legitima illa consequentia non potest efficere, ut *principia falsa* illorum virorum fiant vera. Cfr. Pii IX. Encycl. " *Quanta cura* „ 8. Dec. 1864.; Leon. XIII. Encycl. " *Immortale* „ 1. Nov. 1885.; Syllab. prop. 19. sq.; *Hammerstein*, l. c. p. 131. sq.

Quinimo etiamsi agatur de rebus mere ecclesiasticis vel mere civilibus, ad quas obtinendas concessio unius potestatis et acceptatio alterius necessaria est, tamen strictum *pactum bilaterale* vel *praevium concordatum* non requiritur. Nam Ecclesia Statui certos favores per modum *meri privilegii* sine ulla forma pacti vel concordiae dare potest, atque similiter Status Ecclesiae res suae iurisdictioni subiectas citra pactum tradere valet (94).

II. Quodsi concordata absolute necessaria non sunt, tamen ea possunt incidere tempora, ut tum *Ecclesiae* tum *Statui* sint *utilia* atque *convenientia*. Cuius assertionis luculentum argumentum est ipsa longa series concordatorum, quae si neque Ecclesiae neque Statui essent utilia, a tot guberniis non fuissent expetita neque a tot Rom. Pontificibus inita. Porro summopere Ecclesiae interest, ut *pax* vigeat et *concordia* inter utramque potestatem, atque iura ipsi propria a potestate civili sint agnita et protecta. Quem scopum si Ecclesia obtinere non potest per usum suae plenae et perfectae potestatis legislativae, sapienter ex novo titulo solemniter conven-

(91) *Suarez*, De leg. l. IV., cap. 9. n. 2. " *Conclusio haec certa et communis apud catholicos* „.

(92) Leo XIII. l. e. § " *Sed quia utriusque imperium* „, ubi pervenit ad ordinandas res mixtas, de quibus potissimum conventiones fiunt, concordatis non vim medii primarii et ordinarii, sed subsidiarii et extraordinarii tribuit. Cfr. quoque *Cavagnis* l. e. p. 387. sq.

(93) *Hinschius*, Staat, u. Kirche p. 269.

(94) *Suarez* l. e. lib. VIII. cap. 37. n. 3.; *Hammerstein* l. c. p. 211.; *Tarquini* l. e. p. 71., ubi pariter admittit fieri posse, ut conventionibus sive concordatis " *Ecclesiasticae potestatis fines vet dilatentur vel contrahantur* „. Cfr. supra h. tit. § 3. compluribus privilegii clerici. Quare quae *Tarquini* l. e. p. 78. sq. asserit, secundum principia a *Suaresio* et *Hammerstein* l. e. propugnata sunt intelligenda vel limitanda.

tionis tranquillum usum suorum iurium praesertim *ab iis principibus* sibi procurare studet, qui iurisdictionem ecclesiasticam ex iure quodam divino constitutam *non aduittunt*, aut privilegiis concessis favorem principum saecularium tum catholicorum tum acatholicorum satagit obtinere (95).

Quodsi concordata etiam ex parte Status aequi iustique studio ineantur et serventur, relatio inter Ecclesiam et potestatem civilem quamvis a suprema sua perfectione deficiat, tamen saltem intra limites *verae amicitiae* duarum potestatum independentium manet constituta. Quae relatio *perfectae separationi* inter Ecclesiam et Statum est praeferenda (96).

Bono quoque *communis* ipsius Status per concordata consulitur. Vix enim ulla re pax et tranquillitas civitatum magis turbatur, quam discordiis atque dissidiis religiosis (97). Quae discordiae conventionibus sopiuntur, civibusque catholicis securitas datur. Ipsa enim iura religiosa non iam pendent ab arbitrio guberniorum, sed a iustis *legibus publica fide* firmatis. Neque civitas per concordata inita suam amittit dignitatem atque auctoritatem. Nam Ecclesia nonnisi ex parte recipere solet, quod pro suo iure postulare potest, atque non raro vix ea recuperat iura, quae omni societati honestae vel societatibus religiosis acatholicorum a legibus civilibus conceduntur. At profecto non iam vivimus temporibus Imperatorum Romanorum, quibus Ecclesia catholica collegiis *illicitis* adnumerata est. Quare si Hinschius aliique acatholici iuristae vel ipsi Statui concordata utilia et convenientia esse negant, id nonnisi ex principiis manifeste falsis et studio supprimendi Ecclesiam catholicam est repetendum (98).

§ 5. DE VI ET OBLIGATIONE CONCORDATORUM.

171. *Cum de vi sive uatura iuridica concordatorum agitur, universae quaestionis solutio inde pendet, quae et qualis obli-*

(95) *Tarquini* l. c. p. 75. ; *Kreutzwald* l. c. p. 1503. sq.

(96) *Syllab. prop.* 35. ; *De Angelis* l. c. n. 13. sq.

(97) *Ivo Carnut.* in epistol. (238.) ad Pasehal. II. Cfr. *Migue*, P. L. CLXII. 245. sq. ; *Leon. XIII.* Encycl. « *Immortale* » : « *Illud enim perpetuae legis instar habendum est, quod Ivo Carnulentis ad Pasehalem II. Pontificem Maximum perscripsit: Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed etiam maguae res miserabiliter dilabuntur.* ».

(98) *Kreutzwald* l. c. p. 1504. sq. Cfr. quoque *Friedberg-Ruffini* l. c.

gatio ex concordatis oriatur in *subditis* atque in *supremis rectoribus* Ecclesiae et civitatis.

I. Et *subditi* quidem vi concordati, quatenus istud est consensus quidam duorum in idem placitum (99), *directe* et *immediate* (100) non obligantur. Nam subditi ex neutra parte sunt subiectum concordatorum, sed proxime et directe auctoritas publica Ecclesiae et civitatis. Praeterea concordatum, ut est conventio quaedam, saepe iam est perfectum, nondum autem publicatum; at subditis ex actu occulto neque legitime insinuato vel promulgato obligatio imponi non potest. Ergo ex sola illa conventionem subditis obligatio directe non imponitur, sed tum demum incipit, cum concordatum rite publicatur et etiam ut *lex* promulgatur. Qua publicatione facta partim ex *naturali consecutione* partim ex *obedientia* legi ecclesiasticae et civili debita subditi ad observandum concordatum tenentur (101).

II. Quodsi sententia sit proferenda de imposita obligatione utrique parti conventionem ineunti, scil. Romano Pontifici et principi civili, vix ab ullo viro docto etiam acatholico negatur *aliquam* obligationem vi concordati utrique parti contrahenti esse impositam (102). Quare quicumque *omnem*

(99) Leon. XIII. Encycl. « *Immortale* » 1. Nov. 1885. « *Si qui principes rerum publicarum et Pontifex Romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint* ». Quibus ex verbis nequit deduci concordata esse *stricta* pacta bilateralia. Nam omne pactum bilaterale est sane duorum consensus in idem placitum, at non vicissim omnis consensus duorum in idem placitum est strictum pactum bilaterale; secus confunderetur notio quaedam *generica conventionis* cum notione *specifica* stricti pacti bilateralis. Cfr. supra h. tit. n. 165. II.; paulo aliter *Caltreiu*, *Moralphil.* t. II. p. 707. sq.

(100) Sine dubio etiam *ex ipsa natura rei consequenter* ad talem concordiam in subditis sine expresso praecepto positivo possunt oriri obligationes, v. g. si Rom. Pontifex renuntiet dominio proprietatis in certa bona temporalia Ecclesiae. Cfr. *Suarez*, *De leg.* I. VIII. cap. 24. n. 7. 8.

(101) *Suarez* l. c.; *Baldi* l. c. p. 120. sq. p. 96. not. 120., ubi addendum est, quod princeps civilis infidelis in concordatis ineundis cum Romano Pontifice *non agit personam catholicorum* subditorum. Isti enim subditi catholici sunt subiectum, in cuius *utilitatem* concordatum initur, sed non sunt subiectum, *quod* init conventionem. Nam subiectum, *quod* ex parte Status paciscitur, est princeps civilis *ul princeps civilis legitimus*, non ut « *Suumus Episcopus* » aut « *Chalifa* ».

(102) *Hammerstein* l. c. p. 214.; *Satolli* l. c. p. 187. sq.; *Tarquini* *Inst.* p. 74. 78. sq.; imo vel ipse *Hunsehins* in *Rechtslex.* v. Konkordat p. 505., quamvis neget Ecclesiam et Statum ex stricta iuris obligatione ad servanda concordata teneri, tamen fidem publicam (*Treu und Glauben*) exi-

obligationem vel in uno solo ex contrahentibus etiam in ipso Romano Pontifice reiicit, aperte errat *in iure* (103) sibi que contrariam habet vere communem sententiam doctorum. Neque ab errore facti immunis est is, qui asserere audeat Cardinalem Tarquinium aliosque antiquos et novos patronos doctrinae a modo laudato Cardinali propugnatae Romanum Pontificem absolvere ab *omni* obligatione servandi concordata atque tantum admittere aliquam *decentiam* vel meram congruentiam (104).

Cui errori *facti* alter error *iuris* affinis esset, si quis existimaret omne negotium esse confectum, conclamatum de theoria privilegiorum, stabilitam theoriam stricti pacti bilateralis, eo quod *vera obligatio* etiam in Romano Pontifice esset admittenda (105).

Etenim vera existit obligatio in ipso legislatore *proprias suas leges* servandi neque *temere* vel arbitrarie ab eis recedendi. Id, quod etiam de legibus favorabilibus valet, cum in foro quoque ecclesiastico recepta sit regula iuris 16. in Sext.: “*Decet concessum a principe beneficium esse mansurum*”.

Praeterea Callixtus III. ad Fridericum III. Imperatorem scripsit: “*Quamvis liberrima sit Apostolicae Sedis auctoritas nullisque debeat pactionum vinculis coerceri...., ex zelo, quem gerimus ad pacem, et caritate, qua te tuamque nationem prosequimur, concordatis locum esse volumus nec patiemur ea temere violari, dum Romanae Sedis gubernacula retinebimus*” (106).

gere docet, ut etiam Status concordata servet. Qua assertionem existimat sibi obici non posse patrocinium violationis pactorum, eum *practice* eandem tribuat concordatis *firmitatem* atque defensores theoriae pactorum. Quae responsio a patronis theoriae privilegiorum in simili conditione non est oblivioni danda.

(103) Cfr. clausulas finales concordatorum apud *Nussi* l. c. p. 271. sq.; cit. Leon. XIII. Encycl. “*Ad extremas Orientis*” 24. Iun. 1893.; *Palmieri* l. c. p. 560. sq.

(104) A quo errore non omnino alienus est *De Augelis* l. c. in app. n. 7., cuius refutationem habes in Act. theol. Oenip. t. IV. p. 531. et apud *Baldi* l. c. p. 77. sq. et *Palmieri* l. c. p. 560. sq. et praesertim p. 565. Cfr. quoque *Cavagnis* l. c. p. 391. sq., cuius expositioni non omnes patroni theoriae privilegiorum consentient.

(105) *Vering*, Lehrbuch d. k. K. § 62. in sua disquisitione polemica contra Tarquinium diversitatem illam *causarum*, ex qua *obligatio* oriri potest, non satis videtur attendisse, atque patroni theoriae privilegiorum recte monent inter *cessationem* obligationis ex pacto et *derogationem* concordati per Roman. Pontificem omnino esse *distinguendum*. Cfr. *Baldi* l. c. p. 81. sq. 93.

(106) *Satolli* l. c. p. 195. iunct. *Suarez*, De virt. et stat. rel. tract. V.

Sane in his atque similibus verbis Rom. Pontificum saltem *obligatio fidelitatis* ex promissione orta et *officium legislatoris proprias leges non temere* violandi enuntiantur. Quae obligationes essentialiter differunt ab obligatione *iustitiae commutativae*. Neque dubium quoddam existere potest, quin strictum pactum bilaterale solummodo habeatur, cum *utrique* parti paciscenti imponatur mutua obligatio ex *iustitia commutativa* ita inter se connexa, ut *una* ordinetur ad *alteram* tanquam ad *causam* sive titulum *stricti iuris*. Hinc manifestum est, nisi probetur et in principe civili et in Romano Pontifice ex concordatis veram oriri obligationem *iustitiae commutativae*, non merae *gratitudinis* vel *caritatis* vel *iustitiae* cuiusdam *legalis* vel *obedientiae* vel *religionis* vel *fidelitatis*, ne prima quidem elementa pacti bilateralis haberi. Cfr. *Lugo*, De iust. et iure disp. 22. n. 2. disp. 23. n. 14. disp. 24. n. 312., ubi ultimo loco disputans de commutatione ultimarum voluntatum omnino negat et falsam habet illam sententiam, quae tenet Rom. Pontificem absque iusta causa posse *valide* derogare pactis cum Ecclesia initis.

Inde quoque efficitur, quantopere necessaria sit ad hanc controversiam dirimendam, ut accuratae supponantur *notiones* tum *stricti iuris* sive *iustitiae commutativae* (107), tum

I. 6. eap. 9. n. 13. (de voto): * *Non potest ipse pro suo arbitrio auferre a se obligationem, quam semet contraxit, quia hoc repugnat enim vera ratione et obligatione promissionis etiam inter homines* *; *Schiffini* l. e. n. 359. de promissione eiusque obligatione ex fidelitate vel iustitia.

(107) Sane inter se differt a) *ius* mere **precarium** (cfr. *Schmalzgr.* l. III. tit. 14. de precariis), quod consistit in facultate *vero pacto* non concessa et ad arbitrium concedentis *licite* et *valide* revocabili; cfr. *Suarez*, De virt. et stat. relig. traet. VII. l. 8. eap. 5. n. 29., ubi bene distinguit *meram licentiam* a *stricto iure*, quod voeat illud, quod homini inest ut *proprium*, quo suo nomine operari potest, quod est obiectum *iustitiae commutativae* et sine iniustitia *involuntarie* ab illo auferri non potest; b) **ius quaesitum** (cfr. Reg. Cane. Apost. 18. de non tollendo ius quaesitum et *Riganti* l. e. in hanc Regul. 18. et *Seherer* l. e. p. 138. not. 7.), quod in *tertias* personas est ius omnino *stricte iustitiae commutativae*, at *in ipsum* concedentem Romanum Pontificem, quamvis praesertim in laicis principibus et patronis et propter concordata vel promissiones *maiolem* habeat *firmitatem* quam ius mere precarium, tamen *strictum ius ex iustitia commutativa* non est, et *sine causa* per Romanum Pontificem saltem *valide tolli* potest (cfr. *Hammerstein* l. e. p. 219. sq.); c) **ius strictum** ex vera *iustitia commutativa* debitum ita firmiter domino inhaeret, ut *ipsi invito* i. e. absque ipsius consensu *ordinarie valide* auferri non possit, imo interdum simpliciter sit *inatienabile*. Cfr. *Lugo* l. e. disp. 1. n. 2. sq., disp. 23. n. 14.; *Suarez* l. e.; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor. t. III. p. 548.;

stricti pacti bilateralis. Neque confundenda est notio contractus bilateralis *sensu lato* et *sensu stricto* cum notione *generica* et *specifica* (108) contractus bilateralis *sensu stricto* accepti. Quae notiones, cum versemur in examinanda controversia canonica intime cum doctrina dogmatica colligata, sane non principaliter ex libris modernorum iuristarum (109) sunt hauriendae, sed ad sanam doctrinam philosophorum christianorum, quam theologi et canonistae et iuristae catholici ratam habent, omnino est recurrendum. Cfr. *Lugo*, De iustit. et iure disp. 1. 22. 23.; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. moral. t. III. p. 459. sq. 544. sq.; *Costa-Rossetti*, Synopsis philosoph. mor. p. 280. sq. 362. sq. 684. sq.; *Cathrein*, Philosoph. mor. n. 404. sq.; *Cavagnis*, l. c. p. 395. sq.; *Audisio*, Ius nat. l. 3. tit. 12. n. 17.

172. Tres sunt virorum doctorum sententiae de natura iuridica concordatorum, quae a parte *principali* (110) et a *nota singulari* unicuique propria nomina sortitae sunt :

Cathrein l. c. t. 1. p. 454. sq.; *D'Annibale*, Summul. theol. mor. P. II. n. 127., quod nostrum ius domini in rem *nobis invitis* regulariter a nobis discedere non possit.

(108) Si duae personae inter se duo pacta unilateralia ineunt extrinseca quadam ratione inter se connexa, v. g. Franciseus hodie Tito promittit ex iustitia Missam celebrandam, Titus vero *gratitudine* motus Franciseo promittit donum quoddam pariter ex iustitia dandum, in Tito et Franciseo existit obligatio iustitiae commutativae; at neutra ordinatur ad alteram tanquam ad suam causam vel titulum; ergo *sensu stricto* verum pactum bilaterale non oritur. Similiter in concordatis, quae saepe non *uno actu legitimo* absolvuntur, sed sub *distinctis articulis complexum* quendam negotiorum comprehendunt, forte accedit, ut in uno alterove articulo strictum pactum bilaterale contineatur, in aliis forte tantum pacta unilateralia modo hanc modo illam partem obligantia. Cfr. v. g. art. 11. conc. Columb. Quo in easu propter obligationem iustitiae certo quodam ambitu in utraque parte productam, modo *sensu stricto* modo *sensu lato* pactum quoddam bilaterale habetur. Profecto omne pactum *commutativae, venditionis, emptionis* est bilaterale, sed *non omne pactum bilaterale generice sumptum* est pactum *merae commutativae vel venditionis vel emptionis*. V. g. in stipendiis Missae potest oriri obligatio iustitiae ex utraque parte; commutatio autem simoniaea non habet locum. Similiter quandoque in erectione dioecesium vel concessione iuris patronatus vel provisione canonica solvuntur certae summae pecuniae v. g. pro fundatione, annatis, taxis pallii; at tantum *occasione* illorum actuum legitimorum, non ad instar aequivalentis pretii temporalis pro favore spiritali concessio. Cfr. *Costa-Rossetti* l. c.; *Palmieri* l. c. p. 567.

(109) Quare *Vering* l. c. non apte in hac materia provocat ad definitiones *Savigny, Arndts, Windseheid*.

(110) Quare nec patroni theoriae privilegiorum necessario omne pactum bilaterale a concordatis excludunt (cfr. *Tarquini*, Inst. p. 74.; *Hammerstein* l. c. p. 214.), nec theoriae pactorum defensores concordatis privilegia

I. Prima sententia dicitur theoria *legalis* et *regalistis* est propria (111). Quae sententia in eo consistit, quod imprimis supponat *Ecclesiam* catholicam *Statui* sive potestati civili *vere* esse *subordinatam* et subiectam. Consequenter omne concordatum si esset verum et bilaterale pactum, esset contractus bilateralis inter Statum superiorem et Ecclesiam ipsi subiectam; sed ex ista opinione inter Statum et societatem sibi subordinatam verum pactum bilaterale iniri non potest; ergo illi viri docti concordatis omnino negant naturam iuridicam veri pacti bilateralis et multo magis rationem privilegii sive legis particularis Romani Pontificis iuxta definitionem Cardinalis Tarquini.

Quare concordatis *tantum* (112) eatenus tribuunt vim iuridicam, quatenus illa sunt *leges ab ipsa potestate civili illius reipublicae* latae, quacum Ecclesia concordatum iniit. Cui argumentationi ad impugnandam theoriam pactorum illas addere solent (113) rationes, 1) *quod* Ecclesia et Status inter se non sint iuris aequalis societates; 2) *quod* potestas legislativa (Status) per pacta cum subditis (Ecclesia) inita neque ligari neque per alienationem (114) imminui possit; 3) *quod* Ecclesia concordata vi coactiva contra Statum executioni mandare non possit, cum Ecclesia, quae solummodo tanquam Ecclesia territorialis cum Statu paciscatur, neque de iure neque de facto Statum cogere valeat (115). Cfr. Arch. f. k. K. t. X. p. VI., t. XI. p. 452. sq., t. XII. p. 60. sq.

inesse in dubium voeare possunt. Fatendum vero est huiusmodi concessionem de privilegiis in concordatis existentibus iis limitari et circumscribi assertionibus, quibus concessio facta revera denuo negatur. Id, quod fit v. g. a *Grandclaude*, Ius canonicum, t. I. p. 102. 104. et a *Seherer* l. e. p. 156. Cfr. *Hammerstein* l. e. p. 218. sq.

(111) Minister Electoris Bavariae a. 1770. prima vice solemniter illam theoriam defendit concordata esse *mera privilegia principis civitis* ad ipsius nutum revocabilia. Quam doctrinam nostro saeculo non raro gubernia atque comitia publica secuta sunt, neque viri docti defuerunt, qui illam maiori minorive rigore defenderent v. g. *Hinschius*, *Sarwey*, *Gareis* alii-que. Cfr. *Hinschius* in *Rechtslex. v. Konkordat*; *Friedberg-Ruffini* l. e. p. 223. not. 2.

(112) Concordata *etiam* habere vim legum civilium non est ambigendum. Cfr. artie. convent. apud *Nussi* l. e. p. 277. sq.; *Seherer* l. e. p. 155. iunctum eum *Kreuzwald* l. e. p. 1510.; Convent. Leon. XIII. p. 12.

(113) Ita praesertim *Sarwey*. Cfr. *Seherer* l. e. p. 155. not. 13.

(114) Etiam *Hinschius* l. e. p. 505. huic argumento ex impossibilitate imminutionis potestatis civilis petito vim probandi negat.

(115) Etiam exinde petebantur argumenta, quod a tempore Concilii Vatieani Ecclesia catholica ob *definitionem infallibilitatis* Romani Ponti-

Profecto paucis istis sententiis magna quaedam reperitur errorum collectio (116). Nam Ecclesia, quae est societas perfecta atque indirecta potestate in Statum instructa, minime dici potest Statui subiecta (117). At facta quoque ista falsa hypothese plane falsa est ulterior assertio omnino generalis inter Superiorem et subditum nullum posse existere pactum (118). Quae exceptio regalistarum eo minorem habet

ficis *essentially* esset mutata, aut propter monarchiam absolutam in monarchiam constitutionalem transformata Status quoque non iam esset idem subiectum. Quorum argumentorum mentio ad refutationem sufficit. Cfr. *Hammerstein* l. c. p. 212. sq.

(116) *Hammerstein* l. c. p. 211. sq.; *Saegmueller* l. c. p. 89. 90.

(117) *Syllab. prop.* 19. sq. 24. 34.; *Tarquini* l. c. p. 30. sq.; *Hammerstein* l. c. p. 117. sq.; *Cavagnis* l. c. P. 1. p. 116. sq. 413. sq., ubi theoriā regalistarum de concordatis solide refutat.

(118) *Suarez*, De leg. l. VIII. cap. 37. n. 5.; *Reiffenstuel* l. 1. t. 25. n. 35.; *Lugo*, De iustit. et iure disp. 21. n. 280.; *Hammerstein* l. c. p. 218. sq.; *Friedberg-Ruffini* p. 223. sq. Quare ad strictum pactum bilaterale perfecta *aequalitas* inter *subiecta* contrahentia non requiritur. Quodsi de iuribus iurisdictionis spiritualis Ecclesiae strictum pactum bilaterale cum Statu iniri non potest, id ex *speciali natura potestatis ecclesiasticae* i. e. ex eius *inalienabilitate*, non ex *generali* quodam principio *philosophico* gratis asserto de absoluta *impossibilitate* pacti bilateralis inter *Superiorem* et *subditum* est derivandum. Cfr. quoque *Giobbio* l. c. p. 48. sq., ubi tamen parum accurate provocat ad "*fictionem iuris*", quae rerum naturam non mutat, multoque minus fundata est assertio etiam patronos theoriae privilegiorum in concordatis cum haereticis et infidelibus recurrere ad aliquam iuris fictionem; haeretici enim veri sunt subditi Ecclesiae, nequaquam vero infideles, nihil igitur est *figendum*. Denique nemo profecto negat R. Pontificem posse concedere principi civili privilegium nominandi Episcopos; at quaestioni a cl. auctore propositae respondemus alia quaestione. Numquid R. Pontifex huiusmodi privilegium ita per pactum concedere valet, ut illud absque consensu principis civilis propter *defectum potestatis* saltem sine causa *valide* revocare non possit? Si affirmativum detur responsum, incidit in errorem Gallicanorum infra h. tit. not. 126. notatum; si negative respondeatur, non iam in principe civili existit *strictum ius* iustitiae commutativae, et consequenter non habetur strictum pactum bilaterale. Cfr. h. tit. not. 107. Tertium etiam hac in re non datur. Nec iuvat cum eodem auctore p. 38. sq. approbare illa argumenta, quibus ex *fine honesto* promovendi bonum Ecclesiae concluditur etiam ad possibilitatem et licitatem ineundi concordatum per modum stricti pacti bilateralis. Quae conclusio non est legitima. Nam imprimis id, quod probandum esset, simpliciter sumitur. Profecto ius ad fidem honestum dat etiam ius ad media possibilis et honesta vel saltem indifferentia. At contractus bilateralis, quo R. Pontifex in concordato de causis spiritualibus (de temporalibus non agitur) ita ligatur, ut *sine consensu* alterius partis *valide* etiam absque iusta causa non amplius disponere possit, nequaquam est mediū *possibile* et *honestum*, ut patet ex argumentis supra allatis. Propterea cl. auctor p. 42. minus accurate contendit *Hammerstein* l. c. p. 217.

vim, quod ex natura rei nihil obstet, quominus principis civilis potestas *vere limitetur* atque *saltem ex parte vere alienetur*. Cfr. *Hinschius* l. c. p. 505. iunct. *Friedberg-Ruffini* l. c. p. 223. not. 3. Qua in re inter potestatem ecclesiasticam Romani Pontificis et potestatem politicam principis civilis *essentiale intercedit discrimen*.

Hinc quoque efficitur positiva argumenta regalistarum etiam contra patronos catholicos theoriae pactorum non esse efficacia. Illi enim facile probare possunt Ecclesiam catholicam *saltem esse societatem perfectam* planeque independentem. Corruit igitur *prima* et *secunda* exceptio patronorum theoriae legalis supra allata. In *tertia* vero exceptione imprimis *evidenter* falsa supponuntur *principia philosophica* de vi coactiva iuris (119). Deinde sustinetur *error dogmaticus*; nam Ecclesiae neque *potestas coercitiva* etiam poenis temporalibus (120) deest neque ius *defensionis* societati perfectae proprium. Tandem plane absurda hypothesis in subsidium vocatur. Nam concordatâ non ineuntur a *Statu* cum Ecclesia quadam *territoriali* (121), sed cum *Romano Pontifice* tanquam *supremo pastore* (sovrano) *Ecclesiae* catholicae i. e. perfectae societatis religiosae (sovrana) (122). Cfr. Syllab. prop. 19.

II. Secunda sententia vocatur *theoria pactorum*, eo quod

asserere principium, quod sustineri non possit. Is enim minime in dubium vocat distinctionem inter *iura primatus in se spectata* eorumque *exercitium*, quod pro diversitate temporum v. g. quoad poenitentiam publicam admittit magnam varietatem. Multo minus *Hammerstein* negat R. Pontificem posse facere delegationes et concessiones. At optimo iure reprobatur *errorem illum dogmaticum*, quod R. Pontifex in *exercitio valido* suae iurisdictionis circa concessiones a se in concordatis factas possit dependere a *consensu* alterius partis. Quodsi denuo respondeatur (cfr. *Giobbio* l. c. p. 60. sq.) *nullitatem* illam provenire a defectu *voluntatis*, non *potestatis* in R. Pontifice, denuo quoque concedatur necesse est ius illud principis civilis esse ius mere *quaesitum*, non strictae iustitiae *commutativae*, quod in vero contractu essentialiter requiritur.

(119) *Cathrein* l. c. t. I. p. 376. sq.

(120) Syllab. prop. 24.; Pii IX. *Encycl. « Quanta cura »* 8. Dec. 1864.; *Nilles* in *Act. theol. Oenip.* t. VII. p. 170., ubi contra similem erroneam doctrinam optimo iure provocatur iam ad Constitutionem dogmaticam *« Licet iuxta »* Ioannis XXII. Aliter *Seherer* l. c. t. I. § 33. not. 10. 20.

(121) *Dove* quoque istud figmentum Ecclesiae catholicae territorialis reicit. Cfr. *Seherer* l. c. p. 155. not. 13.

(122) *Hinschius* l. c. p. 505. genuinam naturam huius potestatis supremae R. Pontificis nullo solido argumento impugnat. Cfr. *Pinchetti*, *Guida diplomatica ecclesiastica* p. 104. sq. (della sovranità spirituale spettante al R. Pontifice).

concordato *vim legis pontificiae et civilis inesse non neget, sed principaliter* (123) *vim pacti bilateralis* propriam esse contendat. Quae opinio profecto maxime conformis est placitis illorum virorum, qui absolutam coordinationem inter Ecclesiam et Statum aperte propugnant (124) aut tacite supponunt aut veram doctrinam de relatione inter Ecclesiam et Statum plene perspectam non habentes etiam de natura concordatorum oscitanter disserunt (125).

At negari non potest non deesse viros etiam catholicos, qui ab illa theoria *coordinationis* omnino alieni sunt, et nihilominus concordatis vim pactorum bilateralium vindicant. Quibus scriptoribus praesertim adnumerandi sunt De Angelis, Cavagnis, Fink l. c. aliique v. g. *Palmieri*, De R. Pont. in secund. ed. l. c. *Billot* l. c. p. 132. (126). Quin imo non raro

(123) *Krcutzwald* l. c. p. 1509.

(124) *Schulte* l. c. summo rigore theoriam pactorum defendit, quem non pauci tanquam antesignanum et suasorem secuti sunt. Qui scriptor eo progressus est, ut indiscriminatim assereret potestatem legislativam etiam Romani Pontificis in *obiecta* concordatorum *ligatam* esse atque *invita altera parte valide non posse exerceri*. Certum vero est talem *ligationem* potestatis Romani Pontificis esse contrariam doctrinae catholicae et huiusmodi theoriam concordatorum *a theoria Gallicanorum* de ligata potestate Romani Pontificis per antiquos canones *re omnino non differre*. Cfr. *Satolli* l. c. p. 174. sq.; *Palmieri*, De Rom. Pont. p. 387. sq. ed. l. p. 462. sq. iunct. p. 566. ed. II.; Arch. f. k. K. tom. XI. p. 454., ubi theoria pactorum tanquam *absoluto* valore praedita defenditur, cum Huebler ipsi tantum *relativum* valorem concedit sel. pro tempore vigentis coordinationis inter Ecclesiam et Statum. Qui scriptor tempore medii aevi, quo viguerit maioritas et superioritas Ecclesiae, sane theoriam privilegiorum praefendam esse putat; at si vigeat superioritas Status, theoriam legalem probat. Sub multiplici sane respectu Huebler in suis assertionibus errat (cfr. Arch. l. c. p. 452. sq. et tom. XII. p. 60. sq. demptis minus accuratis propositionibus a Moy prolatis), tamen aliquid veri assecutus est. Cfr. *Baldi* l. c. p. 114. sq.

(125) *Scherer* l. c. § 33.; *Vering* l. c. § 62. Summa quoque vi *coordinationi*, utriusque potestatis in haec re insistit *Sacgmüller* l. c. p. 89. 90. At coordinatio ista asserta *aut* est terminologia non accurata, et ita versamur in lite de voce, *aut* stricto sensu obviat errorem philosophicum et dogmaticum; tertium salva reverentia non datur. Cfr. supra h. tom. I. n. 10. sq.; *Giobbio* l. c. p. 20. sq.

(126) Etiam Cardin. Soglia in suis Inst. iur. publ. eccl. illam distinctionem Barthelii, perversorum principiorum patroni, inter *ligationem* ipsius *potestatis* et *usus* potestatis in R. Pontifice adoptavit. Quae asserta ligatio usus potestatis pontificiae manentibus et nondum rescissis concordatis, si ad usum *validum* extenderetur, alia via induceret spuriam doctrinam Gallicanorum de vi *coactiva* antiquorum canonum. Qui Gallicani certe suam theoriam tantum defenderunt, quamdiu illi antiqui canones

isti viri vim pacti bilateralis adeo limitant atque in pactum

suum valorem retinebant; nequaquam vero etiam in illo casu, quo forte canones illi antiqui legitime fuissent abrogati. Nemo autem negabit Romanum Pontificem quoad usum *licitum* suae potestatis posse ligari. Cfr. *Mazzella*, De Relig. et Eccles. p. 771.; *Patmieri* l. c. p. 462. sq. 566. ed. II.; *Baldi* l. c. p. 56. sq.; *Hammerstein* l. c. p. 217. Nec solido fundamento nititur alia distinctio a viris quibusdam catholicis ad solvendam hanc controversiam excogitata (cfr. *Grandetande* l. c. p. 102. sq.), scilicet quod concordata quoad *materiam* sint *privilegia*, quoad *intentionem* *contrahentium* et *formam instrumenti* *pacta bilateralia*. Nam profecto Romanus Pontifex cum init concordata *atiud* non intendit quam pro *obiecto* et qualitate contrahentium intendere potest. Item *concessionum* Romani Pontificis factae in concordatis non sunt confundendae cum *modis* concessionum; etenim concessionum fieri possunt per *pacta* v. g. donationis, at etiam per *privilegia*; ergo inquirendum est, utrum *materia* illa *concessionum* privilegio nitatur, an pacto bilaterali. Cfr. *Hammerstein* l. c. p. 218. sq.; *Cavagnis* l. c. p. 412. sq.; *Giobbio* l. c. p. 51. sq., ubi pariter concedit saltem *formulam De Anglis*: « *Concordata sunt concessionum ratione materiae, contractus ratione formae* » non fuisse feliciter inventam; at etiam *ipsa res* per illam formulam minus accurate exprimitur. Quare *Giobbio* l. c. p. 53. sq. praefert formulam: « *Concordata sunt privilegia conventio etiam* » atque hanc doctrinam potissimum confirmat ex notionibus traditis a *Suarez*, De leg. l. VIII. cap. 1. sq. 4. Quae formula *generalis* non caret difficultate, et vix omnia concordata et *singuli* eorum articuli sub illa comprehendi possunt.

Profecto privilegium conventionale est lex privata specialem concedens favorem contra vel praeter ius, non tamen omnino gratiose, sed cum aliqua obligatione iustitiae seu recompensatione recipientis, cui similiter correspondet obligatio iustitiae in concedente. Cfr. *Suarez* l. c. cap. 4. n. 9. sq. cap. 37. n. 13. At sunt concordata v. g. conventio Urbani VIII. et Ferdinandi II. a. 1630. inita et ab ipso *Giobbio* l. c. p. 62. sq. allegata, alique non pauci articuli particularium concordatorum, in quibus reperiuntur *stricta pacta bilateralia*, imo commutatoria, non privilegia conventionalia, nisi quis *favorem in genere* confundat cum *privilegio* in specie. Nam scite notat *Suarez* l. c. l. VIII. cap. 8. n. 6.: « (Privilegium) *per se requirit potestatem iurisdictionis, non solum quando derogat iuri communi, sed etiam quando concedit atiquid praeter ius; nam illud postea respectu privilegiarii tanquam ius servandum est. Quando ergo ittae concessionum, quae per dominia privata fiunt, privilegia dicuntur, tato modo sumitur privilegium pro quotibet honore, favore vel utilitate liberaliter concesso in propriis bonis, tamen illud non dicitur proprie privilegium, sed per quandam imitationem seu analogiam* ». Qui auctor l. c. cap. 8. n. 10. pariter optimo iure observat privilegia, quae episcopalia vocantur, ordinarie in iure esse *donationes liberaliter* ab eis factas, non *propria privilegia*. Deinde alii articuli concordatorum v. g. art. 8. concord. Hispan. (a. 1753.) (cfr. not. 76. h. tit.) sub privilegio conventionali certe subsumi possunt. Nam ibidem tribuitur *immunitas a tege tributaria* simul imposito onere ex iustitia a rege Hispaniae solvendo. Quae pecunia a R. Pontifice *sine titulo* et contra *iustitiam commutativam* fuisset retenta, si is non obstante solutione regis Hispaniae perrexisset etiam in exigendis taxis consuetis. Cfr. *Tarquini* l. c.

p. 77. sq. At nemo non videt in istis privilegiis conventionalibus agi de rebus *mere temporalibus*, in quibus obligatio strictae iustitiae ex utraque parte vi pacti bilateralis non excluditur. Longe aliter res sese habet, si concordatum initur de *exercitio iurisdictionis pontificiae* in rebus *spiritalibus* et mixtis (non de dominio proprietatis rerum temporalium) v. g. de nominatione Episcoporum, immunitate clerici, in quibus principes civiles vi pacti bilateralis strictum ius acquirere nequeunt in ordine ad R. Pontificem. Eadem enim re dicitur argumentatio supra proposita. Nam aut inciditur in errorem Gallicanum de *ligata potestate* R. Pontificis, aut si cum *Giobbio* l. c. p. 60. sq. nullitas actus in contrarium gesti repetitur ex *defectu voluntatis*, non *potestatis* R. Pontificis, certe *ius strictum* in principe civili *non existit*, quippe quod independentem ab ipsius consensu etiam sine causa *valide*, sed non licite per R. Pontificem auferri *potest*. Quod si admittatur, disputatio magis reducitur ad litem de modo loquendi. Eo enim in casu non amplius habetur pactum bilaterale sensu stricto, sed tantum sensu quodam *lato*. Porro si *Giobbio* locis citatis multum insistit doctrinae *Suaresii* de privilegiis conventionalibus in opere *« De legibus »* traditae, forte non videtur satis attendisse ibidem principaliter explicari theoriam genericam privilegiorum conventionalium et in materia *temporali*, quae dominium proprietatis et compensationem permittit; at *Suarez*, *Defensio fidei cath.* l. IV. cap. 34. n. 14. sq., ubi *ex professo* agit de concordatiis sive pactis vel concordatis in materia *spiritali* immunitatis clericorum, non allegatur; iam vero ibidem doctor eximius n. 17. docet: *« Interecedente ergo simili causa (concordatum de immunitate a R. Pontifice) poterit revocari, sine illa vero non poterit saltem licite; si tamen fiat, existitio factum tenere propter supremam potestatem Papae, quae in se minui non potest, ut de privilegio statim dicam »*. Quod factum R. Pontificis si *tenet*, denuo probatur principem civilem ex concordatis illis non acquisivisse *ius strictum iustitiae commutativae*.

Nec satisficit difficultati per illam distinctionem inter *ius ad rem* et *ius in re*, inter actionem *iniustam* et *iuridice invalidam*, cui praesertim fident *Straub* *« De Eccl. Christi »* v. II. n. 1120. sq. secutus *Palmieri* *« De Rom. Pontif. »* ed. altera, p. 564. sq. Nam si R. Pontifex manente concordato non potest valide revocare ius ad rem per ipsum Principi concessum relate ad exercitium iurisdictionis spiritualis in Primatu contentae, potestas Pontificis vere et proprie manet ligata et diminuta, sicut si non potest revocare ius in re. Nam si ius nominandi (quod dicitur *ius ad rem*) est in Principe strictum ius iustitiae commutativae, illud ius nominandi non posset R. P. *valide* concedere alteri, v. gr. Metropolitanae, Capitulo cathedrali, sicut Titius ligatus vinculo sponsalium cum Caia, unde in Caia oritur ius *ad* matrimonium, non posset *nequidem valide* inire sponsalia cum Bertha eique *ius ad* matrimonium secum contrahendum concedere. Ergo libera Titii potestas ad matrimonium contrahendum vere mansit ligata et diminuta per concessionem *iuris ad rem* quod stante contractu non potest valide revocari sine alterius partis consensu.

Certe illi iuri Principis esset contraria lex Pontificia generaliter revocatoria cuiuscumque iuris nominandi ad Episcopatus, quae lex non potest dici actus *iniustus* sed *iuridice validus*; lex enim statuens aliquid iniustum

“ *sensu lato* „ transformant, ut a tertia sententia rite explicata vix iam multum differant (127).

Argumenta pro hac sententia imprimis repetuntur *ex forma* et *solemnitatibus* concordatorum, ex necessitate *mutui consensus* ab ipsis articulis conventionum requisiti, ut pacta *mutari* vel *explicari* possint, ex *solemnibus promissionibus* et sponsionibus ab utraque parte datis, ex *declarationibus* complurium Romanorum Pontificum concordata revera vim pactorum bilateralium habere, ex diversis responsis et notis diplomaticis Cardinalis Secretarii Status et Nuntiorum Apostolicorum et ex decretis Conciliorum provincialium. Quibus rationibus addunt pondus saltem communioris sententiae canonistarum huic theoriae faventium aliaque iuris adminicula ex communi persuasione vel ex difficultate defensionis iurium Ecclesiae petita. Cfr. *Aichner*, Compendium iur. eccles. § 11. et *Vering* l. c. § 62.; *Phil. Hergenroether* l. c.; *Saegmueller* l. c. p. 89. sq.

Quamvis patroni huius sententiae a nonnullis argumentis suorum adversariorum sese expedire possint (128), tamen rigidiores asseclae huius theoriae v. g. Schulte alique contra principalia tela sese tueri non possunt. Cfr. supra h. tit. not. 124. 126. Praeterea *positivis* suis rationibus (129) *univer.*

et inhonestum non est valida lex. Ergo in rem spiritualement per concordatum concessam vere non retinisset R. P. plenitudinem potestatis.

Insuper illa distinctio est minus feliciter excogitata; nam ius nominandi est ius *in re* non *ad rem*, non enim in concordatis *promittitur*, sed *datur* seu *traditur*. (Cfr. v. g. concord. Guatimalense art. 7. « R. P. *concedit* praesidi reipubl. Guatimalen. eiusque in munere successoribus, ius proponendi ad sedem Archiepiscopalem vacantem »; art. 8. « S. P. praesidi **indultum** *concedit* nominandi in quolibet capitulo ad sex praebendas »). Ergo ex ipsa doctrina horum auctorum, si illud est ius strictum in stricto pacto concessum, nequidem valide a R. P. tolli potest, sique vere et proprie manet ligata et diminuta potestas Primatus.

(127) *Cavagnis* l. c. p. 395. sq.; *Giobbio* l. c. p. 50. sq. 35. sq., ubi pariter contra *Soglia* et *Turinaz* tenet concordata non posse *absque limitatione* et *sensu stricto* appellari contractus (bilaterales); Cfr. quoque *Billot* l. c. p. 141., qui supposita concessione nominationis episcoporum in concordato facta, tenet R. P. posse valide instituere episcopos extra formam concordatitiam, sique ius strictum ex stricto pacto bilateraliter ortum principi non concedit.

(128) *Kreuzwald* l. c. p. 1505.; *Scherer* l. c. p. 154. not. 9. i. f.; *Cavagnis* l. c. p. 403. sq.; *Patmieri* l. c. p. 556. sq.; *Giobbio* l. c. p. 29. sq. 44. sq., ubi difficultati ex simonia petita dat responsa.

(129) *Cavagnis* l. c. p. 399. 407., ubi recte monet rigidas clausulas Leon. X. et Benedicti XIV. (cfr. *Nussi* l. c. p. 271. sq.) non ita esse intel-

sam suam atque nimis *generalem* intentionem quoad *stricta* pacta *bilateralia* probare nequeunt. Praesertim vero “ *com-*

ligendas, quasi Romano Pontifici per illas omnis adempta sit *potestas valide* agendi contra articulos concordatorum. Quae potestas R. Pontificis non solum asserenda est, quando ad *rescissionem* concordatorum legitime procedere potest, sed etiam *pro illo tempore*, quo vis concordatorum subsistit; secus saltem tunc R. Pontifex *in valido* usu suae potestatis monarchicae *iure divino* constitutae penderet a consensu suorum subditorum. Hinc nullitas illorum actuum in contrarium gestorum ex *defectu voluntatis*, non *potestatis* Romani Pontificis est eruenda. Cfr. Leon. XIII. decret. per S. C. C. 17. Sept. 1902. datum de choralis disciplina in Urbe, ubi statuitur S. C. C. exclusive esse competentem ad concedendas dispensationes, et in antecessum dispensationes etiam vivae vocis oraculo obtentae declarantur *nullae* et subreptitiae. At numquid Leo XIII. suo decreto *voluit* et *potuit* ligare manus suorum successorum? Nequaquam, sed clausulae decreto adiectae efficiunt, ut revera illae dispensationes sint *invalidae*, nisi de facto successor Leonis XIII. huic decreto specialiter et expresse *derogare velit*; id, quod indubitanter *potest*, quia praedecessor successoris legem imponere *nou valet*. Cfr. cap. 20. X. de elect. I. 6.; *Schmalzgr.* I. III. t. 5. n. 271. sq.

Porro patroni theoriae pactorum nimis confidenter insistunt *formae* concordatorum. Nam si ex sola forma res esset efficienda, non pauca concordata simpliciter *legibus* pontificiis et civilibus essent adnumeranda, quippe quae *formam* contractus bilateralis omnino non habent. Cfr. *Giobbio* I. c. p. 18. Deinde non forma, sed etiam *materia* est attendenda, quae saltem in non paucis articulis stricti pacti bilateralis incapax est. Nec iuvat provocare ad *finem bonum* et utilitatem Ecclesiae; etenim finis bonus non permittit media impossibilia atque adeo inhonesta; impossibile autem et inhonestum est R. Pontificem in causis *spiritualibus* ita suam potestatem ligare per concordata, ut stante concordato actum in contrarium *valide* ponere non *possit*, nisi eae verificentur circumstantiae, quibus R. Pontifex ad dissolvendum concordatum licite et valide procedere valeat. Multo minus dici potest theoriam pactorum *ctare* contineri in documentis authenticis; *Billot* I. c. p. 133. sq. Profecto lex *clara* non indiget interpretatione, atque *unicus* sensus obvius simpliciter est retinendus. Verum inter patronos theoriae pactorum alii v. g. *Turinaz*, *Soglia* aliique concordata putant esse *stricta pacta bilateralia*, alii v. g. *Giobbio* I. c. p. 35. sq. 50. sq. cum Cavagnis aliisque id negant atque iisdem solummodo tribuunt vim contractuum bilateralium *sensu latiori*. At sane inter contractum bilateralem sensu stricto et sensu latiori est essenziale discrimen; unicus igitur ille sensus clarus et obvius non existit. Cfr. *Giobbio* I. c. p. 72. sq. Accedit, quod complures ex patronis huius theoriae non satis distinguant contractum bilateralem *genericè* spectatum a contractu bilateralis *sensu latiori* sive a consensu duorum in idem placitum. Quae “ *claritas* ” rei multum imminuitur, si quis praeterea perpendat antiquos doctores, ut optime exponit P. Baldi saltem communiter in concordatis theoriam pactorum strictorum non admisisse.

Mirum autem esset, si tot viri docti non intellexissent rem iam satis claram. Tandem Pius IX. Bonald laudat, quod oculis subiecerit nativam et peculiarem indolem huiusmodi pactorum seu indultorum. Similiter

munior „ illa sententia doctorum in favorem rigidae theoriae pactorum vel ipsa nostra aetate non subsistit; multo minus inter veteres canonistas probatae doctrinae reperitur, quorum dicta et asserta patroni rigidae theoriae pactorum saepe in suum favorem allegare solent (130) propter terminologiam sibi non satis perspectam. Cfr. *Baldi* l. c. p. 86. sq., ubi solida exhibetur disquisitio et refutatio.

III. Tertia sententia audit theoria *privilegiorum* i. e. pontificiorum. Quae theoria in eo consistit, quod patroni illius, reprobata *perfecta coordinatione* Ecclesiae et Status, subordinationem *indirectam* potestatis civilis sub potestate ecclesiastica tanquam doctrinam certam et indubitam supponant (131). Porro eadem sententia *maxime* innititur doctrinae catholicae de *immutabili* plenitudine potestatis Romani Pontificis iure divino constituta, quae nullis alienationibus vel pactionibus etiam in *valido* ipsius *usu* potest ligari vel coartari. Quibus principiis subiungitur illud, quod spirituale citra crimen *simoniae* non possit cum temporali per *verum* pactum bilaterale *commutari*. Inde deducitur concordata in *certis* articulis habere naturam *veri* pacti bilateralis sensu stricto, at in ple-

Leo XIII., ut probe mihi constat, enixe commendavit, ut quaestio de concordatis serio examinaretur. Quae laus et commendatio plane mira esset, si theoria pactorum bilateralium *simpliciter clareque* a Sede Apostolica fuisset adoptata. Quodsi urgetur, « *coordinatio* » Ecclesiae et Status (cfr. *Saegmueller* l. c. p. 89.), tota theoria pactorum superaedificatur super errore dogmatico aut mera fictione, quae obiectiva realitate caret. Cfr. *Giobbio* l. c. p. 48. sq. Neque multum proficitur, si quis ex notione parum accurata *causae mixtae* argumenta depromit. Cfr. *Saegmueller* l. c. p. 89. 35. sq. iunct. *Wernz* h. tit. n. 169; *Prümmer*, Manuale iur. eccl. q. 25., ubi doctrinam h. t. propugnatam complete non proponit, nec congruam solutionem suppeditat praecipuae difficultati contra nimis generalem theoriam pactorum; nam diminutio libertatis Ecclesiae in causis *spiritualibus* non satis defenditur per hoc quod *non teneatur* facere concessionem, quas facit, cum R. Pontifex nec per obligationem *libere* susceptam possit minuere jura Primatus. Minus quoque accurate theoriam privilegiorum vocat *utopiam*, ex eo quod concordata explicet « non prout hodie sunt, sed prouti deberent esse si relatio inter Eccl. et Stat. esset perfectissima »; nam R. P. sine dubio etiam hodie concordata inquit secundum veram et dogmaticam doctrinam de relatione inter Eccl. et Stat.

(130) Id fit a *Moutart* l. c.

(131) Quare nequaquam haec theoria nititur iure quodam mere historico aevi aut superioritate quadam Ecclesiae in rebus plane politicis pro eodem tempore conficta. Cfr. cap. 13. X. de iud. II. 1.; cap. 7. X. de appell. II. 28.; cap. 13. X. qui fil. IV. 17.; *Nilles* in Arch. f. k. K. t. XI. p. 452. sq. contra *Huebter*.

risque *potius vim privilegiorum pontificiorum* (132). Quae privilegia licet ob citatam regulam iuris 16. in Sext. et solemnes *promissiones* concordatis adiectas ordinarie non sint *temere* sive arbitrarie violanda, tamen extraordinarie et pro plenitudine potestatis Romani Pontificis, cui nunquam sunt subducta, *valide* per derogationem vel abrogationem mutari possunt; imo etiam *licite*, si causa legitima subsit. Id, quod obtinet non solum iis in casibus, in quibus *ex natura rei* et antecedenter ad sententiam quandam *declaratoriam* concordatum vi obiigandi destituitur (v. g. si princeps catholicus in concordato accepit indultum nominandi Episcopos, postea deficiat a fide catholica vel illo privilegio evidenter abutatur)(133), sive obligatio *cessat* et *excusatio* est admittenda, sed etiam quotiescumque ex causa proportionata, quae ad *rescissionem pacti non sufficeret*, manente concordato ad instar *dispensationis* derogatio concordati a Rom. Pontifice decernitur. Qua distinctione attenda denuo patet defensores quosdam theoriae privilegiorum non efficaciter impugnare patronos theoriae pactorum, si ipsis videntur imputare opinionem eo quoque in casu Rom. Pontificem concordatis ligari, quo non solum potest, sed pro suo officio ad avertenda gravissima pericula animarum etiam *debet* a concordatis recedere; at pariter defensores theoriae pactorum modum excedunt, si tenent R. Pontificem tunc solum a concordatis saltem valide posse recedere, cum contractus bilateralis alicuius concordati ex natura rei obligare cessat vel rescissioni fit obnoxius.

Huius sententiae nostra aetate acerrimus vindex fuit *Cardinalis Tarquini*. Sepositis nonnullis secundariis assertionibus huius auctoris, quibus speciale quoddam pondus non est tribuendum (134), et attenda mere *accidentali* differentia ter-

(132) *Schmalzgr.* I. III. t. 5. n. 271. « *Haec concordata licet habcant aliquam vim pacti, ut fatetur Iulius III., tamen magis sunt privilegium papale* »; n. 268. « *Concordata haec non tantum pactionis qualiscumque, sed etiam ordinationis et legis tum imperialis tum apostolicae rationem habent* ».

(133) *Tarquini*, Inst. p. 71. sq.; *Satolli* I. e. p. 166. sq.; *Baldi* I. e. p. 65. sq.; *Kreutzwald* I. e. p. 1508. sq.; *Palmieri* I. e. p. 560. sq.

(134) V. g. terminologia p. 72. sq. proposita neque in se est universaliter recepta neque magnam habet vim probandi, neque ex illa solide deduci potest *generale principium* inter Superiorem et subditum non posse existere verum pactum. Cfr. *Cavagnis* I. e. p. 403.; *Schiffini* I. e. n. 177. not. 1. cum *Molina*, *Suarcz* aliisque. Item pro magno numero articulorum in concordatis, qui privilegia R. Pontificis *non* continent, sed potius so-

minologiae inter Tarquinium et Schmalzgrueber et Wiestner, in qua *modus loquendi Schmalzgrueberi* (cfr. h. tit. not. 132.) eiusque magistri videtur esse *praefendus* (135), dubium existere non potest, quin Cardinalis Tarquinius de natura iuridica concordatorum quoad *substantiam* nonnisi *doctrinam communem veterum canonistarum* defenderit. Quam rem magna cum eruditione demonstrasse, est singulare meritum citati commentarii P. Baldi.

173. Expositis fundamentis triplicis sententiae *positive* videntur hae *conclusiones* tenendae :

I. Concordata Statui sive principibus civilibus in *multis* articulis saltem ex *novo* titulo imponunt obligationem *etiam* (136) ex *iustitia commutativa* sive ex *fide publica* data et acceptata ad observandos articulos concordati, nisi ex speciali *forma* et *materia* articuli atque ex *intentione* contrahentium probeatur exceptio. Hinc Ecclesiae in multis articulis *etiam ex novo titulo* accrescit *ius strictum*, nisi ex speciali indole alicuius articuli eruatur ipsi tantum *ius quoddam precarium* vel *quaesitum*, non *strictum* et absolutum (137) a Statu esse concessum. Quare reiicienda est theoria legalis.

Nam pactum *publicum* est *consensus* a personis *publicis* datus de aliquo praestando in publicam utilitatem *ex iustitia*; iam vero in concordato certe intervenit consensus verus datus a personis publicis propter publicam utilitatem de aliqua re praestanda *ex iustitia* saltem a Statu. Etenim Status non raro in sese suscipit *onus* alicuius partialis *restitutionis* vel etiam

lemnes sponsiones Status implendi officia quaedam erga Ecclesiam et tuendi ipsius iura (cfr. v. g. art. 1.-5. 8. 9. 10. 12. 13. 14. 18. 19. concord. Columbiac eum 33. artic. a. 1887.). non adeo ad amussim urgenda sunt verba p. 73. scil. concordata *ordinarie et regulariter* esse *privilegia pontificia*, etiam abstractione facta a pactis bilateralibus de bonis temporalibus, nisi comparatio restringatur ad ea, quae unaquaque potestas ex *propriis* bonis alteri *liberaliter* concesserit. Qua in hypothesi utique *regulariter* potius *Ecclesia* aliquid liberaliter concedere solet. Cfr. cit. concord. Columb. art. 22.-29. incl.; convent. Dueis Mutinensis a. 1857. in Arch. f. k. K. t. II. p. 490. Item assertio apud *Tarq.* l. c. p. 78. n. 81. genuina indiget expliatione. Cfr. *Hammerstein* l. c. p. 211.; Arch. f. k. K. t. XII. p. 241. de epistolis gratis mittend.); *Seherer* l. c. § 33. not. 20. (de dignitate senatoria Episc.).

(135) *Palmieri* l. c. p. 564., ubi saltem certam *formam* proponendi veterum doctrinam recte non approbat.

(136) *Nussi* l. c. p. 272.

(137) Cfr. de ista limitatione: *Hammerstein* l. c. p. 211.; *Vering*, Lehrb. § 63. p. 375. §§ 158. sq. 202.

liberalis *donationis* bonorum temporalium. Cfr. conc. Columb. art. 22. sq. 31.; *Nussi* l. c. p. 245. sq. Porro in non paucis articulis *solemniter promittit* interposita fide publica se complura iura Ecclesiae religiose servaturum esse. Quae *donationes* et *sponsiones* evidentiter habent naturam obligationum ex iustitia, et quamvis iura illa Ecclesiae saltem ordinarie aliis titulis iam nitantur, tamen vi huius novae donationis vel promissionis ex *novo* titulo a Statu Ecclesiae debentur. Ergo indubitata est *multiplex* Status *obligatio* (138) ex iustitia, et idcirco Ecclesia tenet saltem ex *novo* titulo sua *iura*, qui etiam a Statu infideli et haeretico vel schismatico omnino est admittendus (139). Quae res patet exemplis n. praecedente ex concordato Columbiae allatis et quamplurimis aliis concordatis confirmatur. Cfr. ex 36 artic. concord. austr. art. 1-11. incl. 15. 18. 26. 28. 29. 30. 33.; *Nussi* l. c. p. 1. sq.; Leon. XIII. Encycl. " *Nobilissima Gallorum* ", 8. Febr. 1884.

II. Concordata, prout saepe de facto inita fuerunt, in compluribus articulis Sedi Apostolicae sive *Romanis Pontificibus* strictam imponunt *obligationem iustitiae commutativae* et *Statui strictum* concedunt *ius* saltem ex *novo* quodam titulo obtentum. Ergo theoria privilegiorum *generaliter* et sine limi-

(138) *Tarquini* l. c. p. 73. n. 73.

(139) *Cavagnis* l. c. p. 394.; *Tarquini* l. c. p. 79. sq. n. 84. Imo Leo X. " *in virtute sanctae obedientiae* " mandat (Francisco I.), ut is Litteras Apostolicas de concordato et omnia et singula in eis contenta inviolabiliter observari faciat. Cfr. *Nussi* l. c. p. 272.; *Schiffini* l. c. n. 560. II. recte docet de pactis internationalibus, quae facile etiam concordatis applicari possunt: " *Foedera alia constituunt seu potius confirmant tantum ius naturate, alia vero ei aliquid adiiciunt. Priora duplicem vim obligandi habent ex naturali iure, scilicet immediate, ratione materiae, circa quam versantur, quae antecedenter ad ipsam pactionem naturaliter praecepta vel prohibita; et mediate, ratione scilicet mutuae conventionis, quae accedit, quaeque servanda est vi generatis praecepti legis naturae pacta legitime inita servari iubentis. Non sunt propterea inutilia, ut vult Puffendorf, quemadmodum neque inutiliter censentur complures teges positivae sive divinae sive humanae, quae versantur circa materiam naturali iure praeceptam vel prohibitam. Quin immo proficua valde sunt eiusmodi foedera et quandoque etiam necessaria. Sunt proficua. Nam multa naturali quidem iure praecipiantur vel prohibentur, sed cum indeterminatione quadam.... Porro quae sunt eiusmodi.... valde utiliter per diversa foedera.... declarantur et determinantur. Sunt praeterea necessaria quandoque saltem apud illas gentes, quae nulla officia imaginantur se habere, nisi erga suos.... Quare cum eiusmodi gentibus oportet ipsa naturalia officia stricta iustitiae, quibus erga alias ipsae adstringuntur, in pactum deducere* ".

tationibus non est asserenda (140). Etenim Sedes Apostolica saepe renuntiat in concordatis dominio *proprietas* in certa *bona* ecclesiastica (141). Item interdum dimisit *iura iurisdictionis*, quae certe indiscriminatim ex iure divino vel canonico non fuerunt repetenda (142). Denique disertis verbis agnoscit *iura iurisdictionis in Statu* tanquam propria et nativa v. g. in effectus mere temporales (143) matrimonii ordinandos et diiudicandos, saltem si non sint causae incidentes. Atqui in omnibus istis causis ex natura rei nihil obstat, quominus *Ecclesia* veram contrahat *obligationem iustitiae* et *Status* verum et *strictum* acquirat *ius* saltem ex *novo* titulo. Quare Romanus Pontifex si post concordatum initum v. g. sibi indiscriminatim vindicaret in aliquo regno iudicium de omnibus effectibus mere civilibus matrimonii, et naturale ius *Status* et positivum ex concordato quaesitum violaret et *nullam iritamque* conderet *ordinationem*. *Bona* quoque ecclesiastica, quae *absolute* in favorem *Status alienata* fuerunt, ab *Ecclesia* arbitrarie repeti nequeunt (144).

III. Dubium existere non potest, quin *multi articuli plurimorum* concordatorum *vera* atque *proprie* dicta contineant *privilegia apostolica Statui* sive principibus civilibus concessa. Hinc rigida theoria pactorum ob nimiam suam amplitudinem et generalitatem est reprobanda (145). Quae *privilegia* (146)

(140) Ita reete *Hammerstein* l. e. p. 210. sq.

(141) Cfr. eit. coneord. Columbiae art. 29. ; *Nussi* p. 213. sq. 241. sq. ; *Cavagnis* l. e. p. 409. Quae ratio sola adeo gravis est, ut propter correspondentem obligationem iustitiae in Statu iam ex sese suffieiat, ob quam a *generati* negatione coneordatorum tanquam pactorum sit abstinendum, nisi quis optimum et legitimum medium defendendi iura sua *Ecclesiae* eripere velit. Verum haud abs re est illa animadversio *nequaquam omnes artientes* coneordatorum *de bonis temporatibus*, quibus *Ecclesia* aliquid *concedit, veris renuntiationibus* et *paetis* alienationis esse adnumerandos, ut patet legenti art. 6. eit. coneord. Columb. aliosque apud *Nussi* l. e.

(142) Cfr. renuntiationes factas a Pasehali II. quoad bona et regalia in coneordato Sutrin. (a. 1111.), quibus ex parte potestatis Roman. Pontif. et obiecti nihil obstabat. Cfr. *Hefete* l. e. t. V. p. 298. sq. ; *Vering*, Lehrb. § 37. p. 183. Cfr. quoque salvum conductum a Coneilio Tridentino Protestantibus datum i. e. *solemniter promissum* Sess. XIII. i. f. et praesertim Sess. XV. post decret. prorog.

(143) Cfr. art. 19. eit. cone. Columbiae, art. 11. eiusd. cone. ; *Nussi* l. e. p. 151. sq.

(144) *Cavagnis* l. e. p. 409. Cfr. de revocatione donationis factae : *Lugo*, De iust. et inre disp. 23. n. 167. sq.

(145) *Cavagnis* quoque p. 391. 396. sententiam, quae tenet * *coneordata in omnibus esse veros contractus bitaterates et conventiones internationales* *, pariter reiicit.

(146) Cfr. v. g. concord. austr. art. 19. * *Maiestas Sua Caesarea in se-*

etsi Statui non tantum ius quoddam mere precarium, sed potius *ius quaesitum* ad instar iurispatronatus tribuunt, tamen *strictum ius* solummodo in ordine ad *tertias* personas, non in ordine ad *Romanum Pontificem* concedunt. Quare concordata quoad istos articulos *sensu stricto* neque bilateralia, imo neque unilateralia pacta existunt, quia vel ipsum unilaterale pactum produceret in *Statu ius strictum* in ipsam rem privilegio Romani Pontificis concessam. Id, quod omnino falsum est. Nam Romanus Pontifex huiusmodi *indulta* vel *privilegia* concedere non potest, quin ipse in rem concessam retineat *iurisdictionem* eamque *perfectiorem* quam ipse privilegiatus, ita ut *valide* illud privilegium etiam *sine causa* proportionata auferre possit (147). At facultas in rem, quae *invito* privilegiato etiam *sine causa* proportionata *valide* subduci potest, non est *ius strictum in rem*, nisi plane vagam et arbitrariam substituamus iuris stricti notionem. Ergo cum *ius strictum* non existat, etiam *pactum strictum* non oritur. Nam vel ipsum pactum unilaterale supponit necessario in una parte contra-hente *strictum ius*, quod sine eius consensu usurpari nequit, in altera strictam *obligationem iustitiae commutativae*. Cfr. *Costa-Rossetti* l. c. p. 282. sq.; *Lugo*, De iust. et iure disp. 23. n. 14. 98. sq. Inde denuo efficitur concordata *simpliciter* et in *omnibus* articulis non posse vocari privilegia conventionalia sensu stricto, ut supra h. tit. not. 126. demonstratum est.

Verum inde minime efficitur etiam in, illis *privilegiis* servandis *nullam* existere *obligationem* in Romanis Pontificibus.

ligendis Episcopis, quos vigore privilegii apostolici... ad Ipsam devoluti a Sancta Sede eanonice instituendos praesental seu nominat, in posterum quoque Antistitum imprimis comprovincialium eonsitio utetur ». Alia exempla quamplurima habes apud *Nussi* l. c. p. 29. sq. 151. sq. 271. sq. Probe autem notandum est illam concessionem Statui factam, quod R. Pontifex nolit in certis negotiis procedere nisi « *eollatis consiliis* » vel cum consensu gubernii, esse *privilegium apostolicum*, utique vi promissionis factae sanctius servandum, sicuti est *favor* concessus patronis vel Capitulis, si Romanus Pontifex dependenter ab illorum *eonsensu* in praesentatione vel electione manifestato procedit ad provisionem canonicam Episcoporum. Similiter si regularibus interdum concessa fuerunt privilegia, quae solummodo eum ipsorum *eonsensu* essent revocanda, aut Sixtus IV. Cardinalibus dedit indultum postea revocatum, quod vel ipsi Rom. Pontifices in ecclesiis titularibus Cardinalium absque ipsorum *conseus* beneficia non conferrent, huiusmodi *concessiones* Romani Pontificis tantum cum consensu privilegiatorum revocandi privilegia etiam sunt *privilegia*, quae a Romano Pontifice revocari possunt.

(147) *Suarez*, Defensio fid. cathol. l. IV. cap. 34. n. 23. 24.; *Schmalzgr.* l. c. n. 271.; *Hammerslein* l. c. p. 214. sq.; *Cavaignis* l. c. p. 407.

Nam legislator *proprias* leges pro arbitrio suo et absque causa iusta *licite* non potest revocare. Porro principis beneficia decet esse mansura. Quae “*decentia* „ nequaquam est mera quaedam congruentia, quae salva conscientia et absque culpa pro lubitu violari potest. Etenim princeps, qui sine iusta causa beneficia concessa revocat, praesertim illa, quibus forte post dissidia et longas tractationes pax restituta est, evidenter illicite agit.

Deinde Romanus Pontifex, quod *licite* facere, permittere vel omittere potest, id etiam *promittere* valet, se facturum, vel permissurum vel omissurum, sive se et successores suos **sancte servaturos** esse omnia, de quibus in articulis concordati conventum est, atque vicissim, quod ipsi *illicitum* est, id etiam se *non* facturum esse promittere potest (148). At nemo profecto in dubium vocabit in concordatis multa *licite* fuisse concessa, quae *absque iusta causa* a *nullo* Rom. Pontifice mutari vel abrogari *licite* possent; ergo Romanus Pontifex non prohibetur, quominus pro se et suis successoribus illarum concessionum *licitam* observationem promittat, atque spondeat se usum certorum iurium *non arbitrarie* principibus civilibus esse denegaturum. Quae promissio etiam *de facto* in concordatis a Romanis Pontificibus data est atque eo maiorem habet vim, quod certe “*verbum pontificium* „ non sit *temere* violandum (149). Quae autem sit natura illarum promissionum ipsi Romani Pontifices apertissime manifestarunt. Etenim in ipsis concordatis ea adhibentur verba, quae complures articulos continere *privilegia* vel *indulta* evidenter indicant (150). Ipso quoque tempore transactionum

(148) *Tanner*, Theol. schol. t. III. disp. 1. q. 9.; *Lugo* l. c. disp. 23. n. 127.

(149) Cfr. clausulas finales apud *Nussi* l. c. p. 271. sq.; supra h. tit. not. 102. 103. et 157.

(150) Cfr. cit. art. 19. concord. austr. et alios art. apud *Nussi* p. 29. sq. 95. sq.; *Hammerstein* l. c. p. 216. Quodsi *Saegmueller* l. c. p. 90. opinatur sine ratione asseri in concordatis pro diversitate materiae vel articulorum reperiri privilegia vel strieta pacta, imprimis non videtur satis attendisse ipsum tenorem complurium articulorum, ubi R. Pontifices expressis vel aequivalentibus verbis declarant in concordatis se concedere privilegia vel indulta; at fundamentalis est lex interpretationis, ut stetur expresso et obvio verborum sensui; hinc privilegio vel indulto non substituendum est strietum pactum bilaterale. Porro quamvis in non paucis articulis concordatorum reperiantur *verae pactiones*, inde nequaquam in aliis excluduntur privilegia. Nam generi per speciem derogatur, ideoque si in *specialibus* articulis evidenter et expresse conceduntur privilegia, frustra quis

Romani Pontifices sua principia non occulturnt, sed disertis verbis vindicarunt (151). Speciatim vero solemnibus Constitutionibus declararunt supremam potestatem Romani Pontificis his privilegiis concedendis saltem quoad *validum usum non posse pactionibus* ligari (152). Nam si Rom. Pontifex in *valido* usu suae potestatis pendet a *consensu* principum civilium, quibuscum conventionem inicit, ipsius potestas non amplius est vere *monarchica*, sed sese habet ad instar potestatis in monarchia temperata, in qua rex absque *consensu* comitiorum *valide* leges ferre non potest. Quare Romani Pontifices solemnibus suis promissionibus pro se suisque successoribus eam tantum in se suscipiunt obligationem, quam unusquisque illorum iam aliunde habet atque Callixtus III. apte enuntiavit illis verbis: “ *Nec patiemur ea temere violari* „ (153). Quae obligatio *corroborata* et *aucta* per interpositionem *fidei publicae* a Romanis Pontificibus datae tantam habet auctoritatem et firmitatem, ut *privilegia quoque concordatorum* quamvis strictum ius pactitium non constituent, tamen “ *vim pactorum* „ habeant, quemadmodum ipsi Romani Pontifices optimo iure affirmarunt (154).

§ 6. DE INTERPRETATIONE CONCORDATORUM.

174. I. Si quid dubii oriatur de vi et ambitu concordatorum, ex natura rei desiderandum est, ut orta controversia

in huiusmodi *negotio composito* concordatorum proveat ad nomina *generalia* aliosque articulos. Tandem maxime attendenda est *materia spiritualis* quamplurimorum articuloꝝ v. g. nominatio Episcoporum, quae ipsa natura sua non admittit strictum pactum bilaterale, atque *forma accidentalis* et *extrinseca* concordatorum effici nequit, ut illa materia induat naturam iuridicam sibi repugnantem.

(151) *Consalvi*, Esposizione dei sentimenti di Sua Santità (a. 1819.). Cfr. *Vering* l. c. § 44.

(152) Cfr. declarationem Callixti III. supra h. t. n. 171. II. allegatam; Innoe. V. Const. “ *Sollicitudo* „ 6. Iul. 1353.; *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. XIII. cap. 13. n. 19. sq.

(153) Quod *Hammerstein* l. c. p. 218. talem explicationem promissionis videtur habere “ *nugatoriam* „, eo quod illa supponat timendum esse, ne Summus Pontifex ex levitate quadam et sine causa revocet, quae concessit, huiusmodi exceptio non habet solidum fundamentum. Nam ipsi obstat *factum* Callixti III., qui certe nihil nugatorii fecit; praeterea ex eadem ratione etiam *iuramenta* quaedam Rom. Pontificum possent dici nugatoria, eo quod non timenda esset ipsorum levitas in alienandis bonis ecclesiasticis v. g. in favorem consanguineorum.

(154) *Schmalzgr.* l. c. n. 271. 272.; *Baldi* l. c. p. 73. sq. Cfr. quoque *Lugo*, De iustitia et iure disp. 23. n. 14. 98. sq.

per amicabilem compositionem sopiatur. Nam ex natura rei, unde ius ortum est, inde etiam accipit interpretationem (155); iam vero concordata remote ex *mutua* quadam *conventionione* Ecclesiae et Status orta sunt; ergo ipsorum indoli convenit, ut etiam collatis consiliis utriusque partis interpretationem et conservationem accipiant. Cfr. *Tarquini* l. c. p. 79. n. 84. Porro ex natura rei requiritur, ut inter Ecclesiam et Statum saltem vera vigeat *amicitia*; sed mutuae amicitiae congruit, ut orta controversia per amicabilem compositionem tollatur (156).

II. Standum est *tenori* concordatorum; at saepe in fine concordatorum reperitur haec fere clausula inserta: *Si qua vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Praeses (Aequatoris) (vel Regia Maiestas) invicem conferent ad rem amice componendam* „ (157). Quae clausula licet sit *privilegium* et signum specialis benevolentiae Ecclesiae abstinentis ab exercitio *supreni* gradus suae potestatis, tamen in suavi quodam agendi modo Ecclesiae suum habet naturale fundamentum, et tanquam lex sub interpositione *fidei pontificiae* (158) data etiam ab ipso Romano Pontifice non *temere* est violanda (159).

III. Cum non raro fieri possit, ut frustra tentata mutua compositione controversia non cesset, *Ecclesiae* competit potestas *authenticam* proferendi *interpretationem*. Cui iudicio etiam societas civilis stare debet (160). Nam is, qui retinet supremam potestatem legislativam in aliquam materiam, is retinet de eadem materia etiam supremam potestatem interpretandi (161). At Ecclesia in res spirituales et mixtas, quae ordinarie constituunt obiectum concordatorum essentialiter retinet supremam potestatem legislativam. Sicut enim Eccle-

(155) Cfr. quoque R. l. 1. X. V. 41.; Arch. f. k. Kireneur. t. 78. p. 234. sq.; *Giobbio* l. c. p. 82. sq.

(156) Leon. XIII. Eneycl. « *Immortale* » 1. Nov. 1885.

(157) *Nussi* l. c. p. 278. sq.

(158) Bened. XIV. in concord. hisp. a. 1753: « *La Santità Sua in fede di Sommo Pontefice e Sua Maestà in parola di Re Cattolico promettono mutuamente per se medesimi ed in nome dei loro successori la fermezza inalterabile etc.* ».

(159) At inde non sequitur *tantum* mutuo consensu fieri posse interpretationem concordatorum, ut contendere videtur *Moutart* l. c. Cfr. n. III. h. §.

(160) *Tarquini* l. c. p. 77. sq.; *Cavagnis* l. c. p. 394. sq. 404.

(161) Aliter *Scherer* l. c. p. 156. Cfr. quoque *Hammerslein* l. c. p. 117. sq.

sia non potest mutare *formam* suae constitutionis, ita etiam non potest limitare vel alienare ius in res spirituales vel mixtas, quatenus est ipsi divinitus concessum; ergo supremam quoque retinet potestatem interpretandi (162).

§. 7. DE DEROGATIONE ET ABROGATIONE
ET CESSATIONE CONCORDATORUM

175. *Ex parte Ecclesiae*: I. Omnes (163) in eo conveniunt abrogationem vel derogationem concordati iis in casibus Ecclesiae esse permissam, quibus quis legitime *potest* (164) vel etiam *debet* a contractu recedere, v. g. si altera pars non staret pactis vel promissis (165); si res plane mutarentur (166); si necessitas Ecclesiae et salus animarum aliud omnino postularet (167). Nam certe concordatum saltem iisdem tacitis conditionibus subiacet, quibus reliquae conventiones sunt obnoxiae, atque imprimis eam habet conditionem haud difficulter ex scopo concordatorum eruendam, "*nisi bonum publicum Ecclesiae aliud exigat* „. Nisi haec saltem conditio admittatur, vere concordatum non iam esset aptum medium ad finem bonum promovendum, sed potius vinculum iniuriositas.

II. Si Ecclesia *dominium* (168) *bonorum temporalium* vi spontaneae cessionis in concordatis factae in civitatem vel homines privatos transtulit, sane huiusmodi stipulationem

(162) Cum supra propugnata sit sententia, concordata quoad omnes et singulos articulos neque indiscriminatim pacta neque exclusive privilegia dici posse, illico sequitur in singulis concordatis iuxta sana principia interpretationis canonicae examinandum esse, quid pactis, quid privilegiis et legibus specialibus sit adscribendum. Qua distributione facta normae generales de interpretatione pactorum et privilegiorum legumque specialium sunt applicandae. Cfr. *Hammerstein* l. c. p. 214. sq.; *Nussi* l. c. p. 238. sq.; concord. Hispan. (a. 1859.).

(163) *Tarquini* l. c. p. 79.; *Baldi* l. c. p. 93.; *Scherer* l. c. p. 156. sq.; *Vering* l. c. § 62.

(164) *Scherer* l. c. p. 157. sq.; *Cavagnis* l. c. p. 421. sq. 408.

(165) Quod de facto non solum saepe accidit, sed etiam legibus contrariis nova iniuria non raro addita est.

(166) Cfr. artic. 17. concord. gallici a. 1801.

(167) *Si lupi nominant pastores ovium*, male consultum est *gredi*. Cfr. *Hammerstein* l. c. p. 220.

(168) Cfr. cit. concord. Columb. (a. 1887.) art. 29. innectum artic. 6., ubi conceditur *privilegium* imponendi proprietatibus Ecclesiae vectigalia. Alia exempla refert *Nussi* l. c. 241. sq.

pro suo arbitrio abrogare vel immutare nequit, nisi eae verificentur conditiones, quibus quis vel ipsam donationem liberalem revocare potest (169). Nemo enim re *sua* per Ecclesiam spoliari potest, sed per cessionem Ecclesiae in concordatis bona illa ecclesiastica vere facta sunt bona civitatis vel illorum hominum privatorum propria.

III. *Privilegia* et indulta quae a Romanis Pontificibus in concordatis conceduntur, *ex rationabili, iusta et proportionata* causa sive per simplicem *derogationem* sive per *absolutam* abrogationem ex plenitudine potestatis pontificiae et *valide* et *licite* tolli possunt, imo etiam sine causa valide, sed *illicite* (170). Etenim Rom. Pontifex in ea obiecta, quae in concordatis concessit per modum *privilegii*, semper supremam atque maiorem iurisdictionem retinet (171). Praeterea Romani Pontifices sibi etiam disertis verbis vindicarunt ius ex causa rationabili et evidenti derogandi concordatis (172). Quae clausula *ex natura sua* neque ad *unum* tantum privilegium *restringitur* neque adeo rigore est limitanda, ut solummodo locum habeat, cum vel ipse contractus obligare desinit (173). Nihil igitur obstat, quominus illa privilegia valide etiam sine causa revocentur, sicuti valida esset revocatio iurisdictionis in Episcopo per Romanum Pontificem, etiamsi absque *iusta causa* omnino esset *illicita*.

At concedendum est Romanos Pontifices etiam in casibus licitis non facile usuros esse sua potestate, nisi gravissima causa id exigente et servatis solemnitatibus ex stylo Curiae Romanae requisitis, ut constat ex iteratis declarationibus Romanorum Pontificum praxi quoque confirmatis (174).

(169) *Lugo*, De iust. et iure disp 23. n. 167. sq. ; *Suarez* l. c. h. tit. not. 181.

(170) *Schmalzgr.* l. c. n. 271. sq. ; *Zeeh* l. c. § 322. ; *Riganti* l. c. in ind. v. v. Galliarum concordata, Germaniae concordata, paeta conelavis et praesertim Reg. 1. § 7. n. 126. 135. 136. et Reg. 42. n. 78. sq. et Reg. 9. § 3. n. 163. sq. 232. 264. ; *Baldi* l. c. p. 65. sq. ; *Suarez* l. c. Quare *Prümmer*, l. c. p. 45., ex defectu distinctionis factae in materia nimium restringit potestatem R. P.

(171) Cap. 20. X. de elect. l. 6. ; cap. 4. X. de conc. praeb. III. 8. ; cap. 14. de praeb. III. 4. in Sext.

(172) Nicolaus V. in cit. concord. Germaniae ; *Riganti*, l. c. Reg. 2. Canc. Apost. § 1. 132. 133. ; *Bangen*, Die roem. Curie p. 497., ubi refert facultates Secretario S. C. C. concessas *dispensandi* super levioribus quibusdam sanctionibus concordatorum v. g. cum regno Neapolitano vel Sardiniae initorum.

(173) *Baldi* l. c. p. 81. sq. 93. sq.

(174) *Riganti* l. c. ; *Schmalzgr.* l. c. n. 272. ; *Scherer* l. c. p. 156. not. 15. ; *Cavaignis* l. c. p. 394.

Cui sententiae non obstat, quominus concordatis etiam per *consuetudinem* vel *praescriptionem* immemoriam derogari possit (175).

IV. Multo magis Romani Pontifices *cassare* valent *concessionem* (176), quae ipsis in concordatis non nisi per *errorem* substantialem, per *dolum* et *fraudes*, per *vim* et *metum* fuerunt *extortae* (177). Item ex rei natura reprobanda esset omnis concessio, quae fieret de materia illicita velut de iuribus et officiis inalienabilibus Rom. Pontificis, de privilegiis periculosis et nervum ecclesiasticae disciplinae corrumpentibus (178).

176. *Ex parte Status*: I. Si agitur de *bonis temporalibus*, quorum *dominium plenum* et *absolutum* (179) respublica transulit in *Ecclesiam*, v. g. si Status fundavit dioeceses, seminaria etc. (180), illa bona nullatenus a Statu repeti possunt. Donatio enim etiam liberalis, quae insuper non subdito facta est, ordinarie revocari non potest; iam vero in hypothese facta bona illa data sunt per verum *pactum* donationis Ecclesiae, quae certe Statui non est subdita (181). Quae assertio multo magis est tenenda, si elargitiones illae, ut de facto ordinarie obtinet, nihil aliud sunt, quam partiales *restitutiones* bonorum ecclesiasticorum *iniuste* ablatorum; at nemo profecto pro suo arbitrio sese eximere potest ab onere restitutionis iure divino praescriptae et a debitis solvendis, ad quorum solutionem etiam ex *speciali* pacto est obligatus (182).

II. Potestas civilis *si se iura divina* Ecclesiae v. g. liberum exercitium magisterii ecclesiastici, potestatis iudicialis in

(175) Ita recte tenent *Schmalzgr.* I. c. n. 275.; *Scherer* I. c. p. 156. not. 16.; *Moulati* I. c. aliique contra alios veteres et recentiores canonistas.

(176) *Tarquini* I. c. p. 76. sq.

(177) Huc spectant v. g. concordatum Sutrin. Paschalis II. a. 1111. cum Henrico V. initum (cfr. *Hefele* I. c. t. V. p. 307. sq.), concord. Napolconis I. cum Pio VII. a. 1813., neque multum aliena est restauratio "*Monarchiae Siculae*" sub Benedicto XIII. Cfr. *Sentis*, D. *Monarchia Sicula* p. 157. sq.; cfr. quoque de concord. germanicis: *Arch. f. k. K.* I. c. p. 236. sq. 277. sq.

(178) Cfr. de Concil. Lateranensi (a. 1112.), contra "*privilegium*" concordati Sutrin.: *Hefele*, I. c. p. 318.; *Suarez*, De leg. I. VIII. cap. 8. n. 8.

(179) Quodsi donatio quaedam facta est conditionate, sine dubio conditioni ab Ecclesia acceptatae standum est. Cfr. convent. Ducis Mutinens. (a. 1857.) in *Arch. f. k. K. t. II.* p. 490. sq.; *Nussi* I. c. p. 222. sq.

(180) Concord. Columbiae (a. 1887.) art. 25. 31.; *Nussi* I. c. p. 261.

(181) *Suarez*, De leg. lib. VIII. cap. 37. iunct. Def. fid. cath. I. IV. cap. 34. n. 23. 24.

(182) Concord. Columb. art. 22. sq.; *Nussi* I. c. p. 240. sq. 245 sq.

causis matrimonialibus agnoscere, et non solum non impedire, sed pro viribus tueri et sarta tectaque servaturam esse in concordatis promittit, sane nunquam accidere potest casus, quo illa iura Ecclesiae negari et impediri tuta conscientia possint. Ipsa enim divina lege citra omne pactum huiusmodi negatio vel impeditio est absolute prohibita.

Quodsi quandoque ea incidant tempora, ut *positiva* et *exclusiva* tutela Ecclesiae a Statu sine maximo discrimine rerum publicarum non amplius concedi possit, sane ex natura rei illa obligatio concordati cessante obligatione ipsius legis divinae pariter cessat (183). At utrum revera eae circumstantiae adsint, non fingendum, sed probandum et *authentico iudicio Ecclesiae* confirmandum est. Hinc si v. g. contra primum articulum concordati hispanici, quo cavetur: *Religio catholica, apostolica, romana, quae excluso quocunque alio cultu esse pergat sola religio hispanicae nationis, conservabitur semper... cum omnibus iuribus ac praerogativis, quibus potiri debet iuxta Dei legem et canonicas sanctiones* „, absoluta libertas cultuum ob sola falsa principia liberalismi et absque ulla necessitate concederetur, non solum gravis haberetur violatio legis divinae (184), sed etiam solemnissimae promissionis in concordato datae (185).

III. Quodsi agatur etiam de iis rebus, quae *ex lege divina* Ecclesiae iure proprio et nativo *non* sunt reservatae, sed iure proprio et naturali competentiae potestatis civilis subesse possunt, nisi Ecclesia propter connexionem cum bono religionis illas sibi *positive* pro sua potestate reservarit (v. g. *nonnullas*, at *non omnes immunitates* clericorum), potestas civilis sine consensu Romani Pontificis neque licite neque valide quidquam contra concordatorum tenorem immutare potest (186). Omnis enim immutatio esset immutatio facta a legislatore civili ex *duplici* titulo potestate destituto. Nam potestas civilis nequit validam condere legem civilem, qua

(183) *Lugo*, De iust. et iur. disp. 23. n. 127.; *Tanner*, Theol. schol. t. III. disp. 1. q. 9.; *Tarquini* l. c. p. 67.

(184) Syllab. prop. 77. sq.; *Seherer* l. c. p. 152. sq. not. 2., ubi recte limitat arbitrarias assertiones *Schulle*.

(185) Cfr. *Arch. f. k. K. t.* VII. p. 318., ubi Card. *Antonelli* in speciali nota diplomatica rationes gubernij Wuertembergici recedendi a concordato egregie refellit.

(186) Syllab. prop. 43. *Baldi* l. c. p. 94.; *Friedberg-Ruffini* l. c. p. 224.

ordinatio *lege canonica* constituta abrogetur (187), atque lex *contra pactum* concordati a potestate civili lata pariter est nulla et irrita.

IV. Denique in istis favoribus, qui ex *mera liberalitate* Status Ecclesiae fuerunt concessi (nostra aetate rarus casus), natura actus et intentio contrahentium sunt attendendae (188).

177. **Scholion.** De historia et statutis singulorum concordatorum agere non vacat. Quare consulendi sunt auctores, qui ex professo quaestiones istas particulares explicarunt (189)

TITULUS IX.

DE DECRETIS CONCILIORUM

(*Lib. 1. tit. 2. de constit.*).

Praenotiones.

178. **Fontes:** Dist. 3. cum. dict. Grat. ad c. 2.; c. 3. sq. D. 15. 16. 17. 18., cap. 25. X. de acc. V. 1.; Concil. Trid. Sess. XXIV. cap. 2. de ref.; Sixti V. Const. « *Immensa* » 22. Ianuar. 1588.; *Martin*, Collect. doc. Conc. Vatic. p. 132. sq.; Collect. Lacens. Concil. recent.

Scriptores: Commentat. iur. Decretal. in diss. prooem. vel in append. vel in lib. subsid. Cfr. v. g. *Sehmalzgr.* l. c. Dissert. prooem. n. 309. sq. « *de decretis Concilior. horumque auctoritate* »; *Zallinger* l. c. vol. II. p. 292. sq.; — *Paucapalea* l. c. p. 9. 18. sq.; *Stephan. Tornae.* l. c. p. 2. sq. 24. sq.; *Zeeh*, Præcognita §§ 150. sq. tit. 9. de Conciliis; *Phillips* l. c. t. II. § 83. sq.; t. III. § 156.; t. VII. § 365. sq.; *Schulte*, D. Lehre v. d. Q. p. 48. sq. 121. sq.; *Seherer* l. c. §§ 24. 30. 96. sq.; *Soglia*, Inst. iur. publ. eccl. § 38. — *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 6., De fid. cath. disp. 11.; *Bened. XIV.*, De Synod. dioec.; *Ferraris* l. c. v. Concilium, v. Synod. dioec.; *Bouix*, Tract.

(187) Syllab. prop. 30. 31. 42. « *In conflictu legum utriusque potestatis ius civile praevaleat* ».

(188) *Nussi* l. c. p. 213. (concord. Wormatiense); *Haumerstein* l. c. p. 211. 215.; supra de privileg. et favorib. a Statu concessis. Cfr. quoque *Tarquini* l. c. p. 78.; *Palmieri* l. c. p. 565., ubi notanda est *differentia* inter potestatem ecclesiasticam et civilem; haec enim, non illa vere alienari atque imminui potest. Cfr. quoque *Palmieri*, De R. Pontif. (ed. 3.) p. 561. not. a. de vi stricti pacti bilateralis in eodem ordine.

(189) De antiquis concordatis consuli potest *Hefele* l. c. t. V. p. 363. sq. 379.; de concord. hispanicis fuse disserit *Card. Hergewoether* in Arch. f. k. K. inde a t. X. usque ad t. XV. incl.; de concord. Americae meridion. agit *Sentis* in cit. Arch. t. XII. p. 225. sq.; de concordatis germanicis cfr. *Vering* l. c. 32. sq.; de concordato gallico (a. 1801.) cfr. *Crétineau-Joly* l. c.; *Vering* l. c. § 45. aliosque v. g. in *Civiltà cattolica* (a. 1899.) ser. XVII. t. V. p. 654. sq.

de Conc. prov., Traet. de Episc. t. II. p. 347. sq.; *Scheeben* in Kirchenlex. v. Concilien. — *Thomassin*. I. c. P. II. l. 3. cap. 43. sq.; *Hefele* I. c. t. I. prolegom.; *Fuuk*, Abhand. t. I. p. 39. sq.; *Hinsehius* I. c. t. III. p. 325. sq.

179. I. Connexio materiae. In titulis immediate praecedentibus exposita doctrina de constitutionibus ecclesiasticis *in genere* actum est speciatim de diversis legibus a Romano Pontifice, supremo legislatore *singulari* in Ecclesia catholica latis. Restat, ut ea species *scriptarum* legum ecclesiasticarum, quae a legislatoribus ecclesiasticis *tamquam* a collegio sive congregatione conduntur, ex professo explicetur. Inter istas congregationes legislatrices principem locum occupat *Concilium oecumenicum* (1).

II. Nomen et definitio. Leges a Conciliis latae pro diversitate temporum et materiae diversa sortitae sunt *nomina* (2). Primis saeculis ordinarie dicebantur *canones* (3), etiamsi quid de disciplina ecclesiastica continerent.

Inde vero a tempore Concilii Constantiensi canones *disciplinarios* potius nomen *decretorum* consecuti sunt. Quam terminologiam Concilium Tridentinum retinens “ *decretum* „ de rebus disciplinariis in “ *capita* „ distributum suis sessionibus inserere solebat, sed fidei definitiones partim in “ *doctrinis* „ sive “ *capitibus* „ *positive* proposuit, partim in “ *canonibus* „ per condemnationem errorum publicavit.

Quodsi Romanus Pontifex personaliter solemnibus sessionibus Conciliorum oecumenicorum praesidere solet (4), ex medio aevo introductus est mos, quem Concilium Vaticanum simul cum praxi Tridentina de capitibus et canonibus retinuit, promulgandi canones et decreta Conciliorum per *Constitutiones* Romani Pontificis addita clausula: “ *Sacro approbante Concilio* „. Leges Conciliorum particularium ordinarie nunc dicuntur *decreta* (cfr. Collect. Lacens.), leges vero Syn-

(1) *Suarez et Zallinger* I. c. in font.; *Wilmers*, De Christi Eccles. p. 391. sq.; *Billot*, De Eccles. Christi t. III. p. 225. sq.; *Pesch*, Praelect. dogm. t. I. n. 441. sq.; *Weruz* h. tom. I. n. 92.

(2) Cfr. c. 21. 23. Conc. Ancyr. (a. 314.) “ *ῥῶσος* „; c. 5. Conc. Nie. (a. 325.) “ *κατὰ τὸν κανόνα* „; praeterea occurrunt *θεσμοί, διατιπώσεις*, anathematismi, regulae, capitula (capita), statuta, constitutiones, decreta. Cfr. *Benedicti*. XIV., De Synod. dioec. I. l. cap. 3.; *Hinsehius* I. c. t. III. p. 781. sq.

(3) Concil. Illiberit. (a. 300.-306.); c. 8. C. IX. q. 2.; Concil. Lateranen. I. (a. 1123.); Conc. Later. II. (a. 1139.).

(4) *Scherer* I. c. t. I. p. 665.

odorum dioecesanarum non raro appellantur *constitutiones* vel *statuta*, sed *canones* vocari non amplius possunt (5).

Decreta igitur Conciliorum generatim sunt *leges*, quae a competentibus congregationibus *Episcoporum* rite coadunatis de rebus ecclesiasticis legitime promulgantur (6).

III. **Divisio.** *Leges Conciliorum* oecumenicorum eodem fere modo dividi possunt atque *leges ecclesiasticae* in genere et speciatim *Constitutiones Romanorum Pontificum*. Etenim ratione *materiae* dividuntur in definitiones *dogmaticas* et in *leges disciplinares*, ratione ambitus possunt esse *universales* et *particulares*, *generales* et *singulares*, *communes* et *speciales*, *odiosae* et *favorabiles*, ratione formae sunt *epistolae synodicae*, *capitula*, *anathematismi*, *constitutiones*.

IV. **Notae historicae.** *Primis tribus saeculis*, cum Concilia oecumenica nondum fuissent celebrata, atque suprema iurisdictio Romani Pontificis neque adeo frequenter neque tanta extensione interponeretur, ius ecclesiasticum super solido fundamento sacrarum scripturarum et traditionum apostolicarum potissimum ab Episcopis in Conciliis particularibus congregatis est constitutum. Celebratis ex saeculo quarto Conciliis oecumenicis magisque semper explicata plena vi et auctoritate primatus Romanorum Pontificum, et ambitus materiae a Conciliis particularibus ordinandae fuit immixtus et ipsa illorum auctoritas restricta (7). Nihilominus Concilia provincialia pro magna facilitate, qua ipsorum canones receptis collectionibus inserti in aliis regionibus divulgabantur, etiam extra territorium proprium magnam vim et efficaciam consecuta sunt. Quod, quantopere locum habuerit, vel ex ipsis collectionibus posterioris aetatis liquet; in

(5) *Bened. XIV.*, l. c. n. 3. 5.

(6) Quare constitutiones Synodi dioecesanac nonnisi improprie *leges Synodi* vel *Concillii* dici possunt (cfr. *Benedict. XIV.*, De Synod. dioec. l. l. cap. 1. ; *Scherer* l. c. p. 879.), atque in aliis Conciliis essentielle discrimen inter Metropolitanum et Romanum Pontificem est attendendum. Nunquam enim existere potest lex Concilii oecumenici, nisi condatur ab Episcopis *cum Romano Pontifice consentientibus*; at in aliis Conciliis particularibus etiam *contra Metropolitanum* vel *Primates* vel *Patriarcham* dissentientem *a sola maiore parte Episcoporum* lex condi potest, salva tamen amplissima potestate Legatorum Sedis Apostolicae, qui etiam soli pro universa provincia sibi demandata pos.unt condere decreta generalia et perpetua. Cfr. h. tom. l. n. 93.

(7) Cfr. c. 37. Conc. Hippon. (a. 393.) de consulenda Ecclesia transmarina; *Scherer* l. c. p. 146. 148.; *Bened. XIV.*, De beatif. et canoniz. lib. l. cap. 2. sq.

illis enim indiscriminatim canones Conciliorum particularium tanquam auctoritates allegantur (8).

Ipsa quoque *medio aevo* theoria Pseudo-Isidori, secundum quam Concilia quoque *particularia* sine licentia Romani Pontificis celebrari nequeunt, recepta non est, sed tandem per Sixtum V. cit. Const. "*Immensa* „ lege universali statutum est, ut Concilia *provincialia* post celebrationem ad S. C. C. pro subeunda *revisione sive recognitione* transmitterentur. Quae recognitio sane auctoritatem singulorum Conciliorum *auxit* atque uniformitatem disciplinae promovit. Quare licet Concilia provincialia non iam de multis rebus novas plane leges condere possint, tamen ab exequendo iure communi atque in practicam formam redigendis legibus universalibus non fuerunt prohibita. Inde factum est, ut complura Concilia provincialia praesertim ultimi saeculi exhibeant brevem codificationem iuris communis secundum disciplinam nunc in Ecclesia vigentem (9).

§ 1. DE DECRETIS CONCILIORUM OECUMENICORUM.

180. I. Subiectum legitimum condendi leges universales in Ecclesia catholica est Concilium oecumenicum canonice convocatum, celebratum, confirmatum. Quare Concilium oecumenicum, sine Romano Pontifice, cum non sit verum completumque Concilium oecumenicum repraesentans universam hierarchiam ecclesiasticam a Christo institutam, sed potius corpus sine capite, collegium sine rectore, numquam habet potestatem condendi leges universales et perpetuas. Exceptiones autem, quae allegari solent, aut sunt confictae aut verae exceptiones non sunt (10).

Minime tamen potestas Episcoporum in Conciliis oecumenicis ita deprimenda est, ac si successores Apostolorum sint meri *consilarii* Romani Pontificis (11); e contra Episcopi

(8) Cfr. Decretum Gratiani; Alexander III. in cap. 6. X. de despons. imp. IV. 2. provocat ad c. 3. C. XXXIII. q. 1. = c. 20. Conc. Comp. (a. 757.). At cfr. *Stephan. Toruac.* I. c. ed. cit. p. 2.: *Qui autem canones in provincialibus editi fuerint Conciliis, provinciam non egrediuntur nec alios ligant* „.

(9) Collect. Lac. t. V. VI.; cit. Concil. Vallisoletan. (a. 1887.); *Scherer* I. c. t. I. p. 296. sq.

(10) *Suarez* I. c. n. 2. sq.; *Schmalzgr.* I. c. prooem. n. 332.

(11) *Scherer* I. c. p. 669.

cum Romano Pontifice constituunt alterum subiectum supremæ auctoritatis in Ecclesia, utique *inadaequate* tantum a R. Pontifice distinctum. Quamvis enim Episcopi *virtutem* sive *iurisdictionem* etiam in Concilio oecumenico exercendam *non immediate a Deo*, sed a Romano Pontifice accipiant (12), tamen *subiectum*, quod in Conciliis oecumenicis vere *iudicat* sive *leges fidei* definit aut *leges disciplinares* condit, est etiam *collegium Episcoporum* (*Definiens subscripsi*). Neque ex sola *concessione virtutis* sive iurisdictionis eruendum est, num quis sit *auctor legis* (13); secus unaquæque lex Episcopi vel Concilii provincialis esset lex Romani Pontificis, cum ipse concedat Episcopis et Conciliis provincialibus iurisdictionem. Leges quoque Romanorum Pontificum dicendæ essent *divinae*, quoniam conduntur vi virtutis sive *iurisdictionis a Deo immediate* Romano Pontifici datae. Hinc nisi quis pervenire velit ad absonam illam conclusionem, quod inter canonem Concilii oecumenici et legem Romani Pontificis tantum existat eadem fere differentia mere extrinseca atque inter Bullam et Breve Romani Pontificis, admittat necesse est ratione subiecti sive *proximæ causæ efficientis* legis pontificiæ et canonis Concilii oecumenici esse veram, licet inadaequatam distinctionem.

II. Potestas legislativa Conciliorum oecumenicorum tum in definitionibus dogmaticis tum in legibus disciplinariis sese extendit *in easdem materias* atque supra expositum est de Romano Pontifice. Quinimo Concilium Vaticanum (14) ex ambitu potestatis *Ecclesiae* desumit comparisonem ad circumscribendum obiectum infallibilitatis *Romani Pontificis*. Quæ comparatio denuo probat inadaequatum illud discrimen supra commemoratum esse admittendum; secus Concilium Vaticanum quoad rem per miram tautologiam definisset Romani Pontificis infallibilitatem sese extendere in omnia obiecta, in quæ sese extenderet infallibilitas Romani Pontificis i. e. Concilii oecumenici, aut ad summum snpposuisset infallibilitatem Ecclesiae tanquam magis notam et universalis admissam.

(12) Suarez, De leg. l. IV. cap. 6. n. 2., Nilles in Act. theol. Oenip. t. 1. p. 287. sq.; Scherer l. c. p. 663.; Hefele l. c. t. 1. p. 20.; Scheeben, Handb. d. k. Dogm. t. 1. p. 244. sq. 247.

(13) Laynez, Disput. Trident. ed. Grisar. t. 1. p. 2. sq.

(14) Sess. IV. cap. 4. i. f.; Granderath, Constit. dogmat. p. 103. sq. 190. sq.; Pesch l. c. n. 459.

Praeterea res *disciplinae* ecclesiasticae legibus priorum Conciliorum oecumenicorum iam ordinatae iurisdictioni *subsequentium* Conciliorum non sunt subductae.

Denique si in legibus pontificiis *pars historica* et *dispositiva* probe est distinguenda, eadem distinctio, ubi opportunitas datur, etiam canonibus Conciliorum est applicanda. Imprimis vero *actis* vel *actionibus* vel *relationibus* vel *protocollis*, quae ad interpretationem canonum et historiam Conciliorum multum conferre possunt, vis illa obligandi solis canonibus vel decretis propria omnino est neganda.

III. Ad completam *formam* legum conciliarium maxime requiritur, ut *vera* sive *tacita* sive *expressa*, *antecedens* sive *consequens*, *specialiter* et *absolute* data *confirmatio Romani Pontificis* accedat (15). Quod si provincia quaedam ante confirmationem Romani Pontificis tales leges observat, id facit sponte aut forte ex mandato suorum Praelatorum (16) vel secundum desiderium quoddam meramque exhortationem Patrum Concilii oecumenici (17). Nam Concilium oecumenicum non habet immediate a Deo, sed a R. Pontifice suam iurisdictionem in universam Ecclesiam; at Romanus Pontifex neque de facto dat neque dare potest potestatem condendi leges universaliter obligantes *sine* sua confirmatione (18).

IV. Decreta Concilii oecumenici legitime condita per se et ex natura sua eodem modo *publicanda* sunt, quo de legibus etiam pontificiis supra est explicatum. Quae promulgatio coincidit *cum confirmatione Romani Pontificis solenniter data* v. g. statim publice in sessione solemnii aut postea per specialem Constitutionem legitime publicatam (19). Hinc que-

(15) Quare neque *praesumpta* Romani Pontificis confirmatio sufficit, neque approbatio quaedam Legatorum vi-mandati cuiusdam *generalis* forte tantum conditionato et provisorio modo data; at Legati mandato *speciali* R. Pontificis muniti confirmationem decretorum validam et efficacem concedere possunt. Cfr. Concil. Ephesin. (a. 431.) et *Hefele* l. c. t. II. p. 200. sq.; Concil. Chalced. (a. 451.) et *Blotzer* in Act. theol. Oenip. t. X. p. 86. sq.; *Suarez* l. c. n. 2.; *Scheeben* l. c. p. 241. sq. et *Scherer* l. c. p. 136. 688. de confirm. Concil. Trid.; *Pesch* l. c. n. 456.

(16) *Suarez* l. c. n. 2.

(17) Concil. Trid. Sess. XVI. in decret. susp. 28. April. 1552. « *exhortatur* », ut omnes observent « *hactenus statuta et decreta* ».

(18) *Suarez* l. c. n. 2.; *Pesch* l. c. n. 455.

(19) *Hefele* l. c. t. II. p. 504.; *Hinshius* l. c. t. II. p. 346. sq. 774. sq., ubi tamen falso docet publicationem definitionum dogmaticarum in ipsis Conciliis orientalibus non illieo obligationem produxisse, eo quod ad illarum *vim iuridicam* prius *confirmatio* Imperatoris *requireretur*: Pii IV.

madmodum in legibus pontificiis ex natura rei ad valorem non requiritur, ut in singulis dioecesibus vel in Conciliis provincialibus publicentur, nisi speciali iure de contrario caveatur (20), ita idem de decretis Conciliorum oecumenicorum obtinet. Etenim promulgatio illorum uno in loco sufficit, neque facta promulgatione ex iure *communis* vacatio per duos vel tres menses concessa est, sed statim per se valor et obligatio oritur (21).

V. Legibus Conciliorum oecumenicorum *homines baptizati*, quibus datae sunt, obedire tenentur (22). Neque valor ipsarum pendet ab *acceptatione* vel receptione Episcoporum absentium (23). Pro singulari ratione, qua canones conciliares etiam de disciplina ecclesiastica conduntur i. e. ab Episcopis universam Ecclesiam repraesentantibus, non facile in legibus illis disciplinariis admitti potest ius quoddam *remonstrationis* Episcoporum absentium. Nam vix fingi potest casus, quo a Concilio vere oecumenico illorum rationes non fuerint antecedenter discussae et examinatae. Quodsi dubia orientur et difficultates in *executione*, Sedes Apostolica est adeunda. Multo minus decreta Conciliorum oecumenicorum, ut licite et valide promulgentur et vim obligandi in utroque foro habeant, indigent expressa *approbatione potestatis civilis* (24). Extra controversiam tamen est *factum historicum*, quod decreta octo priorum Conciliorum oecumenicorum ab Imperatoribus Romanis aut specialibus edictis aut subscriptione expresse et formaliter fuerint confirmata et tanquam leges imperii promulgata et sanctione poenali munita. Item aequae

Const. « *Benedictus Deus* » 26. Ianuar. 1564., qua Cone. Trid. confirmatum est; Concilii Vaticani decreta in ipsis sessionibus solemnibus a Pio IX. fuerunt solemnissime confirmata et promulgata atque insuper in locis solitis Curiae Romanae eum consuetis formalitatibus sunt publicata. Cfr. epist. Card. Secret. Status ad Nunt. Bruxel. 11. Aug. 1870.

(20) Cone. Trid. Sess. XXIV. cap. 1. de reform. matr.

(21) Pii IV. Const. « *Sicut ad saerorum* », 18. Iulii 1564.; *Hinschius* l. e. t. II. p. 775. sq., ubi recte impugnat *Schulte*.

(22) *Scherer* l. e. p. 136.

(23) *Scheeben* l. e. p. 243. Quare si Concilium Trid. Sess. XXV. cap. 2. de ref. solemnem receptionem suorum decretorum *praescribit*, id ad *executionem* et *divulgationem* spectat, minime ad *valorem* definitionum et decretorum Concilii Tridentini fuit requisitum. *Hinschius* igitur falso philosophatur, si l. e. t. II. p. 632. sq. putat *receptionem* Conciliorum oecumenicorum consistere in comprobatione a *conscientia universali Ecclesiae* tanquam a *superiore quadam instantia* data. Cfr. *Scherer* l. e. p. 669.

(24) *Zallinger* l. e. vol. II. p. 348.

certum est in omnibus subsequentibus Conciliis oecumenicis illam confirmationem imperatoris non iam reperiri (25).

VI. Concilia oecumenica quamvis ex disciplina nunc recepta ordinarie particularibus negotiis *administrationis* ecclesiasticae sese occupare non soleant (26) tamen per se a concedendis *dispensationibus* vel *privilegiis* (27) in legibus suis et Romanorum Pontificum non prohibentur. Item limites suae potestatis non excedunt, si leges disciplinares vel ab ipsis Apostolis vel Romanis Pontificibus vel ab aliis Conciliis oecumenicis latas *abrogant*. Quae abrogatio ut *licita* sit, salva reverentia venerandis illis legibus debita et ex causa proportionata fiat necesse est (28). Verum *Romani* quoque *Pontifices soli* et absque consensu Concilii oecumenici, cum sint supra Concilia oecumenica et universum ius commune constituti, canones Conciliorum oecumenicorum *dispensationibus* relaxare, *derogationibus* aliisque modis immutare atque *abrogatione* tollere *valide* et ex causa proportionata etiam *licite* possunt (29).

§ 2. DE DECRETIS CONCILIORUM PARTICULARIUM.

181. I. *Concilia particularia legitime* convocata, celebrata atque approbata vel recognita a Sede Apostolica, ut iam est demonstratum, sunt subiectum activum legum ferendarum pro universo illo territorio, ex quo Episcopi congregati sunt. Quae potestas legifera a *Romano Pontifice* concessa Concilio particulari tanquam *collegio* sive corpori propria est ideoque *a maiore parte* licite et valide exercetur; minime vero habenda est tanquam *additio* quaedam arithmetica iurisdictionis singulorum Episcoporum. Nam iurisdictionis illa Concilii particularis est *auctoritas* quaedam *superior*, cui singuli Episcopi congregati *vere subiecti sunt*. Quare leges a Concilio provinciali latae non sunt *uniformes* leges *dioecesanae* propter magnum numerum Episcoporum maiori vi *moralis* praeditae,

(25) *Hefele* l. c. t. I. p. 44. sq.; *Scherer* l. c. p. 670.

(26) *Hefele* l. c. de antiquis Conc. oecum. v. g. t. I. p. 343. sq. t. II. p. 491. sq.; Concil. Trid. Sess. XV. de salvo conductu Protestantibus concessio et promisso.

(27) Conc. Trid. Sess. XXV. cap. 16. de regular.

(28) *Scherer* l. c. p. 137.

(29) Cap. 4. X. de elect. l. 6.; Concil. Trid. Sess. XXV. cap. 21. de ref., quod in omnibus decretis Conc. Trid. * *salva semper auctoritas Sedis Apostolicae et sic et esse intelligatur* *; *Laurin*, Introductio in corpus iur. ean. p. 22. sq.; *Scherer* l. c. p. 137. not. 6.; *Hinschius* l. c. p. 792. sq.

sed a *superiore iuris fonte* pro universo illo territorio constituto dimanant (30). Quae superior auctoritas collegio Episcoporum comprovincialium in totam provinciam propria tandem aliquando a R. Pontifice est *derivanda* sive ut *ordinaria* ex iure communi (in Conc. prov.) sive ut *delegata* ex speciali concessione R. Pontificis (*nunc* in Concil. plenar.). Nam par in parem non habet iurisdictionem; Episcopi autem ex iure divino inter se sunt pares solique R. Pontifici subditi.

II. Materia legum, quae a Conciliis provincialibus condi possunt, certe non sunt *controversiae dogmaticae* (31). Conciliorum enim provincialium est definitiones dogmaticas Conciliorum oecumenicorum et Romanorum Pontificum solemniter *recipere* et *divulgare* et fidelibus omni vi commendare (32), non ex propria auctoritate *dare* atque publicare. Praeterea nihil obstat, quominus doctrinam catholicam iam pridem indubitatum etiam in certum ordinem redactam suo clero et populo pro necessitate temporum et locorum denuo proponant (33).

Quodsi *Benedictus XIV.*, De Synodo dioec. l. XIII. cap. 3. n. 3. testatur “*hodie* „ plerumque in eiusmodi Synodis causas *fidei non* pertractari, sed “*sola* „ condi *decreta disciplinam* respicientia, id imprimis cum eodem Romano Pontifice limitandum est, quod Concilia provincialia nihil statuere possint *contra* ius commune (34). Hinc cum iure communi cautum

(30) S. C. Inq. 10. Sept. 1896. ad quaesita reformata: “*I. Utrum Episcopi in Concilio sive plenario sive provinciali legitime coadunati vera potestate legislativa potiri censeantur? II. Utrum decreta Conciliorum sive plenariorum sive provincialium a S. Sede in forma communi sive specifica confirmata vel approbata vel saltem recognita, omnimoda vi careant, nisi in statuta dioecesana iam fuerint incorporata, et quidem tantum valeant, in quantum sic fuerint incorporata?* „ respondit: “*Ad I. Affirmative. Ad II. Negative. Et ad mentem* „. Cfr. Act. S. Sed. vol. XXIX. p. 446. sq.; Nilles, Comment. in Conc. plenar. Baltimor. tert. P. I. p. 27. sq.; Suarez l. c. l. IV. cap. 6. n. 8. sq. l. VI. cap. 15. n. 2. sq.; Wernz h. tom. l. n. 94.

(31) Cap. 3. pr. X. de bapt. III. 42; *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. VII. cap. 1. n. 1. sq. l. XIII. cap. 3. n. 1. 2.

(32) Concil. Trid. Sess. XXV. cap. 2. de ref.; Concil. plenar. Baltimor. III. (a. 1884.) n. 1. sq.

(33) Cfr. praxim Conciliorum recentiorum in Collect. Lac. v. g. t. IV. V. una cum animadversionibus editoris principalis eiusdem Collect. Lac. in praefat. t. VI.

(34) Quam rem late prosequitur et practeis exemplis illustrat *Benedictus XIV.*, De Synod. dioec. l. XII. cap. 1. sq. Cfr. cap. 9. X. de maior. I. 33.

sit, ne inferior attentet immutare statuta Superioris, Concilia particularia nihil statuere valent contra privilegia a Sede Apostolica concessa aut decreta a Concilio particulari superioris ordinis v. g. a Concilio plenario condita.

Speciatim vero Conciliis particularibus data est facultas leges condendi *secundum ius commune* sive ad executionem et applicationem practicam iuris communis (35). Quod ius ipsis potissimum competit in casibus espresse in iure communi commemoratis (36), nisi interim supremus legislator in Ecclesia suis legibus universalibus istos quoque casus ordinarit (37).

Denique Concilia particularia a condendis legibus *praeter ius commune* non prohibentur (38). Qua in re quamvis cavendum sit, ne Concilia provincialia quasi absorbeant liberam iurisdictionem Episcoporum, tamen maxime nostra aetate *nimia diversitas* inter dioeceses praesertim *eiusdem civitatis* vel reipublicae est vitanda et potius curanda *uniformitas* quaedam ecclesiasticae disciplinae (39).

Hinc Sixtus V. (40) in cit. Const. "*Immensa*," decreta Conciliorum provincialium ad S. C. C. (41) transmitti iussit, ut a Sede Apostolica saltem *recognoscantur* et *corriganur*, si quid fortasse in iisdem aut vigenti iuri communi contrarium aut nimis rigidum aut minus rationi et iustitiae atque aequitati canonicae congruum deprehendatur (42), non ut *propriam*

(35) Cfr. v. g. de habitu clericorum : *Bened. XIV.*, l. c. l. XI. cap. 8. n. 3.

(36) Cone. Trid. Sess. VII. cap. 7. de ref. Sess. XXIII. cap. 1. 18. i. f. de ref. Sess. XXIV. cap. 12. i. f. de ref.

(37) Cfr. ad cit. Sess. XXIII. cap. 1. de ref. : Urbani VIII. Const. "*Sancta Synodus*" 12. Dec. 1634. et *Henry*, De residentia benef. p. 76., ad Sess. XXIV. cap. 18. i. f. de ref. : *Benedict. XIV.* Const. "*Cum illud*" 14. Dec. 1742. de forma concursus parochialis.

(38) V. g. ut clerici statis temporibus faciant exercitia spiritualia.

(39) *Scherer* l. c. p. 149.

(40) *Benedict. XIV.*, De Synod. dioec. l. XIII. cap. 3. n. 3. 4.

(41) Ex provinciis ecclesiasticis S. C. de Prop. Fid. subiectis ad hanc S. C. aeta et decreta Conc. particularium pro *recognitione* transmittenda sunt.

(42) Ante recognitionem illam factam aeta et decreta Concil. partic. promulgari valide non possunt. Cfr. S. C. C. 6. Apr. 1596. ; *Bonix*, Tract. de Conc. provinc. p. 370. sq. ; *Nilles*, Comment. in Cone. plenar. Baltimor. tert. p. 27. sq. 34. sq. Quae promulgatio Conciliorum provincialium speetat ad *Metropolitanum*, Conciliorum autem plenariorum ad *Delegatum Apostolicum*, qui iisdem praefuit, nisi alia ratione a Sede Apostolica fuerit provisum. Qua promulgatione facta illorum Conciliorum decreta plena-

confirmationem pontificiam sive in forma communi sive in forma specifica *semper* accipiant.

III. Quae de forma (43) *decretorum* (44) Conciliorum particularium eorumque *confirmatione, interpretatione, promulgatione, vacatione, ambitu, dispensatione, abrogatione* in titulo IV. de legibus Ecclesiae catholicae sparsim iam inserta et explicata sunt, prolixiorem disputationem de iisdem quaestionibus hoc titulo reddunt superfluum (45).

§ 3. DE STATUTIS SYNODORUM DIOECESANARUM.

182. I. *Subiectum*, quod in Synodis dioecesanis statuta *vere condit*, unice est *Episcopus* rite confirmatus atque inthronizatus (46). Nam Synodus dioecesana ut *collegium* vel corpus quoddam morale potestatem legiferam non habet (47) ad instar Concilii provincialis. Quare statuta Synodorum dioe-

rium consequuntur effectum neque ulteriore opus et promulgatione in Synodis provincialibus vel dioecesanis, nisi ut *magis* innotescant et efficacius *executioni* mandentur. Cfr. S. C. Inq. 10. Sept. 1896.; Cone. plenar. Baltimor. III. (a. 1884.) p. XIII. sq. 184. a Delegato Apost. promulgatum; Cone. plenar. Amerie. latin. (a. 1899.) n. 994., cuius obligatio coepit elapso anno a solemni promulgatione per R. Pontificem facta; Coneil. provine. Mexie. V. (a. 1896.) p. XI. sq. d. 12. Oct. 1898. promulgatum eum vacatione obligationis usque ad 12. Dec. eiusdem anni. Cui legi recognitionis in Curia Romana statuta Synodi dioecesanae non subiiciuntur. Cfr. *Bened. XIV.* l. e. n. 7. At nihil obstat, quominus a personis, quae se laesas esse a decretis Concilii partit. vel Synodi dioecesanae existimant, recursus ad superiorem instantiam v. g. ad S. C. C. interponatur. Cfr. *Bened. XIV.* l. e. l. XI. cap. 13. 14. l. XIII. cap. 5. n. 12. 13. l. XII. cap. 6. n. 3.; Cone. plen. Am. lat. n. 998.

(43) Quae *Benedict. XIV.* l. e. l. VI. cap. 2. disserit de *methodo sermonisque stylo* in conscribendis synodalibus constitutionibus, facile ad decreta Conciliorum provincialium applicari possunt. Quae decreta eum sint *leges ecclesiae*, non *homiliae, exhortationes, litterae pastorales*, a stylo quodam oratorio aliena sint oportet atque potius *praeecisione, perspicuitate, brevitate, sobrietate et proprio* quodam *colore canonico sermonis* excellere debent. Quibus qualitatibus accedat necesse est *apta materiae distributio* et facilis quidam *ordo externus*, qui praetereis consultationibus et allegationibus sit accommodatus.

(44) *Bened. XIV.* l. e. l. I. cap. 3.

(45) Cone. Quiten. l. a. 1863. in Collect. Lac. t. VI. col. 411. iunct. *Benedict. XIV.* l. e. l. XIII. cap. 5. n. 14.; Arch. f. k. K. t. XXII. p. 103. sq.; *Scherer* l. e. p. 148. sq.; *Martin*, Collect. doc. Coneil. Vatie. p. 158. sq. de postulato Episcoporum Galliae circa revisionem Conciliorum provincialium Romae peragendam; *Wernz* h. tom. l. n. 99. sq. 113. sq.

(46) Cap. 1. de elect. l. 3. Extrav. com.; *Bened. XIV.*, De Synod. dioeces. l. II. cap. 5. n. 6. 8. l. III. cap. 11. n. 67.; *Scherer* l. e. p. 551.

(47) Pii VI. Const. "Auctorem fidei", 28. Aug. 1794. prop. 9.

sanarum sensu stricto decretis congregationum legiferarum adnumerari nequeunt, et universa disputatio de illis reducitur ad quaestionem de legibus episcopalibus sive statutis dioecesanis. Cfr. cap. 2. 4. X. de maior. I. 33. Quodsi Episcopus ex iure communi (48) adstringitur, ut *ante* publicationem constitutionum Synodi dioecesanae vel legum a se extra Synodum suis subditis latarum saltem consilium Capituli ecclesiae cathedralis audiat vel interdum in casibus a iure speciatim expressis etiam consensum obtineat, exinde sane aliqua ratione in *usu* suae potestatis legiferae *limitatur*, sed legislator unicus et singularis in Synodo dioecesana manet.

Multoque minus tenenda est sententia, Episcopos *extra Synodum* leges veras et perpetuas suae dioecesi dare *non posse* aut saltem ordinarie *de facto* non ferre. Cuius sententiae corollarium est, leges Episcopi etiam audito consilio Capituli ecclesiae cathedralis, sed extra Synodum latas ad instar praeceptorum cum morte Episcopi exspirare. Quae doctrina a *D'Annibale* I. c. P. I. n. 199. not. 4. cum *Benedicto XIV.* l. c. l. XIII. cap. 5. n. 1. merito reiicitur.

II. Episcopus de illis *materiis* leges condere nequit, quae iuri divino et communi vel decretis Concilii plenarii aut provincialis suae regionis sunt *contrariae* (49), specialiter Romano Pontifici reservatae atque expresse potestati legiferae Episcoporum subductae et interdictae (50).

Minime vero prohibetur, quominus alias leges condant *praeter ius commune* atque imprimis de iis rebus, quae *expresse* (51) ordinationi Episcoporum ex sanctionibus iuris communis sunt commissae. Porro competens est ad ferendas ordinationes, quibus *executionem* iuris *communis* *urgeat* et aptis sanctionibus poenalibus *muniat*, servata tamen aequitate canonica (52).

III. Statuta dioecesana ea condantur *forma*, quam sapienter commendat *Benedictus XIV.* l. c. l. I. cap. 3. l. VI. cap. 2.,

(48) Cap. 5. X. de his quae fiunt a prael. III. 10.; *Bened.* XIV. l. c. l. XIII. cap. 1. n. 9. sq. Cfr. quoque cap. 3. de consuet. l. 4. in Sext. de consuetudine, qua obligatio Episcopi expetendi consilium vel consensum Capituli *limitari* vel *extendi* potest; *Benedict.* XIV. l. c.

(49) Cap. 9. X. de maior. I. 33.; *Bened.* XIV. l. c. l. XII. cap. 1.-5.

(50) Cap. 1. X. de reliq. III. 45.; *Bened.* XIV. l. c. l. VII. l. IX.

(51) *Bened.* XIV. l. c. l. XII. cap. 6. sq. Cfr. v. g. Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 6. de ref.

(52) *Bened.* XIV. l. c. l. XI. l. VI. cap. 3. sq. l. V. cap. 4. sq.

si forte in Synodo dioecesana promulgentur. In aliis edictis laudabiles magisque communes consuetudines in Ecclesia receptae v. g. forma *epistolae* pastoralis diligenter sunt servandae, a formulis vero, quae stylum cancellariorum civilium vel militarium sapiunt, omnino est abstinendum.

IV. Episcopi solummodo suis *subditis* in dioecesi constitutis leges condere valent. Nam extra territorium ius dicenti non paretur impune. Cfr. cap. 2. de const. l. 2. in Sext. Quare personae ecclesiasticae a iurisdictione Episcoporum exemptae legibus episcopalibus non ligantur, nisi in casibus a iure exceptis aut forte indirecte ratione scandali etc. (53).

V. Statuta dioecesana cum iure communi praeviae revisioni in Curia Romana non sint subiicienda, et ad censuram ex officio peragendam ne *de facto* quidem admittantur, illico in forma *consueta* sive per insertionem in *ephemerides* dioecesanarum sive per *transmissionem* ad parochos sive per *affixionem* ad valvas ecclesiae cathedralis vel aliarum ecclesiarum vel per *proclamationes* solemnes in ecclesiis *promulgari* possunt. Qua promulgatione legitime facta statuta dioecesana sive leges episcopales mox (per se postridie) plenum vigorem obtinent atque obligare incipiunt, nisi longius vacationis tempus v. g. quindecim dierum vel integri mensis vel complurium mensium in ipsa lege Episcopi expresse sit statutum (54).

VI. Facta promulgatione etiam statuta dioecesana de se *perseverant*, donec per competentem Superiorem ecclesiasticum aut per legitimam consuetudinem abrogentur. Quodsi Episcopus in statuto quodam dioecesano aliquem nimis gravavit vel limites competentiae suae transgressus est, pro diversitate regionum patet recursus ad SS. CC. pro diversa ipsarum competentia. Quae Congregationes sive per se sive per Episcopum temperabunt nimium rigorem aut legem invalide latam cassabunt, nisi forte sanationem potius concedendam esse putent (55).

(53) *Bened. XIV.* l. c. l. IX. cap. 17. n. 1.

(54) *Bened. XIV.* l. c. l. XIII. cap. 3. 4.; Synod. dioec. Alban. d. 12. Octobris 1886. *promulgata* ex articulo finali p. 63. plenum vigorem obtinuit a die 2. Febr. 1887.

(55) *Bened. XIV.* l. c. l. X. cap. 2. l. XI. cap. 13. 14. l. XII. cap. 1. sq. l. XIII. cap. 5.

TITULUS X.

DE CONSUETUDINE.

(*Lib. I. tit. 4. de consuetudine*).

Praenotiones.

183. Fontes: Decret. Grat. c. 2. 4. 5. 6. D. 1.; c. 3. 5. 6. D. 4.; D. 8. 9. 11. 12. (1) — Compil. I. III. V. lib. I. tit. 3. de cons. — Decretal. Greg. IX. et Bonif. VIII. lib. 1. tit. 4. de cons.; Extravg. com. l. 1. tit. 1. de cons. — Conc. Trident. Sess. XXII. cap. 3. de ref. Sess. XXIII. cap. 1. de ref. Sess. XXIV. cap. 12. de ref. — Act. S. Sed. in indic. general. v. Consuetudo.

Scriptores: Commentator. iur. Decretal. in h. t.; *Paneapalea* l. c. p. 16. sq.; *Stephan. Tornac.* l. e. p. 20. sq. — *Zech*, Praecognita §§ 360. sq. tit. 18. de iure non scripto; *Zallinger* l. e. vol. II. p. 310. sq.; *Schulte*, Die Lehre v. d. Q. p. 199. sq.; *Scherer* l. c. t. I. p. 130.; *Phillips* l. c. t. III. §§ 159. sq. — *Suarez*, De leg. l. VII.; *Bouix*, De princip. iur. can. p. 349. sq.; *Hammerstein* in Stimme aus Maria-Laach t. I. (a. 1871.) p. 319. sq., ubi refutat falsam theoriam de iure consuet.; *Kreuzwald*, De eanonica iuris consuetudinarii praescriptione (dissert. Berol. a. 1873.); *Bauduin*, De consuetudine in iure eanonico, Lovan. 1888.; *Lingen* in Arch. f. k. K. t. 73. p. 131. sq. — *Poncius*, De antiquit. iur. can. p. 14. sq. h. t.

184. Connexio materiae. Post finitam disputationem de legibus *scriptis* Ecclesiae ex natura rei (2) et secundum ipsum ordinem titulorum collectionis Gregorianae *de iure non scripto* est disserendum. Quod verbum iuris non scripti (3) evidenter latius patet quam consuetudo, cum ius non scriptum sit *genus*, quod ius *traditum atque ius consuetudinarium* tanquam *duas species* complectitur. Quare si quis sub hac rubrica

(1) D. 1. 3. de legib. senatusque consultis et longa consuetudine; C. VIII. 53. quae sit longa consuetudo. Cfr. *Vering*, Gesch. u. Pand. §§ 20. 21. — Cod. civ. Ital. art. 580.; cod. civ. Gall. art. 671. — *S. Thom.*, Summa theol. 1. q. 97. art. 3. ad 3.; *D'Annibate*, Summula theol. mor. P. I. n. 245. sq.; *Cathrein*, Philos. mor. n. 245., Moralphilosophie t. I. p. 536. sq.

(2) *Suarez* l. e. prooem. l. VII.; *Zech* l. c. § 360.

(3) Inst. § 3. de iur. nat. l. 2. * *Constat autem ius nostrum aut ex scripto aut ex non scripto, ut apud Graecos τῶν νόμων οἱ μὲν ἐγγράφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι, legum aliae scriptae, aliae non scriptae* *; L. 2. § 1. D. de orig. iur. l. 2. * *Inilio civitatis nostrae populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit, omniaque manu a regibus gubernabantur* *.

Ius quoque *naturale* est ius *non scriptum*, sed cum sit ius divinum neque a consuetudine pendeat, certe sub iure consuetudinario, utpote humano subsumi nequit.

“ *de consuetudine* „ sive ex professo sive per transennam (4) agat etiam de iure tradito, aut nigrum latius patet quam rubrum, aut ipsum rubrum sensu latiori accipiat necesse est. Et revera complementum doctrinae videtur requirere, ut hoc titulo *praeter strictum ius consuetudinarium etiam ius traditum* explicetur.

§ I. DE IURE TRADITO.

I. De notione et divisione et historia iuris traditi.

185. I. **Notio.** Dimissa disputatione de *traditionibus divinis* ad theologos, qui de ea re fuse et ex professo agere solent, pauca hoc loco insinuanda sunt de *traditionibus humanis* ad disciplinam ecclesiasticam spectantibus. Huiusmodi traditio humana in Ecclesia catholica intelligitur ius legale immediate imperio ipsius competentis legislatoris ecclesiastici expressis verbis, sed *sine scriptura* antiquitus constitutum et promulgatum et per *testimonium* fidelium testium et *nuores* populi christiani praximque Ecclesiae transmissum.

At quamvis traditio sensu stricto designet *legem*, non est negandum existere traditiones sive potius *institutiones* (5) antiquissimas in Ecclesia, quae saltem ab initio *vim verarum tegum* ecclesiasticarum non habuerunt aut nonnisi postea ex *consuetudine* consecutae sunt, imo forte nunquam obtinuerunt. Insuper traditio sane etiam intelligi potest illud *testimonium de antiquo iure* iam constituto, quod sese habet in iure tradito ad instar *scripturae* in iure scripto; attamen ordinarie potius sumitur *pro ipso iure antiquo* per illud testimonium ad nos transmissum (*Traditio formalis et traditio materialis*) (6). Praeterea facile ex definitione allata intelligitur *discrimen* inter *ius traditum* et *consuetudinarium*. Etenim consuetudo, quae ius legale constituit, nunquam quoad *materiam* determinatur proprio et expresso legislatoris ecclesiastici imperio per scripturam aut verba formaliter *promulgato*, sed *usu*, qui in *factis*, non in *scriptura* aut *verbis* consistit, materia sive obiectum definitur et consensu legislatoris mere *legali* aut ad summum *tacito*, non *expresso* firmatur (7) atque vim legis obtinet.

(4) Suarez l. c. cap. 4. n. 10. 11.; Zech l. c. §§ 360. sq.

(5) Suarez l. c. cap. 4. n. 11.

(6) Zech l. c. § 361.; Pesch, Praelect. dogm. t. I. n. 564. sq.

(7) Suarez l. c. cap. 2. n. 2.; Bauduin l. c. p. 4. sq.

II. **Divisio.** Traditiones humanae in *duplicem speciem distinguuntur*: sunt enim aut *apostolicae*, quae legi vel saltem institutioni ab Apostolis sine scriptura conditae debent originem, aut dicuntur *ecclesiasticae*, quatenus ab immediatis Apostolorum successoribus vel antiquissimis Ecclesiae pastoribus fuerunt introductae neque *per scripturam* promulgatae (8).

III. **Notae historicae.** Ad *antiquas traditiones* et ad ipsas ordinationes *Apostolorum* provocatum est, cum saeculo secundo de tempore celebrandi *festum paschale* i. e. de re mere disciplinari vehemens controversia orta esset. Item ex traditionibus petebatur decisio in controversia de *baptismo* haereticorum, in quorum reditu ad Ecclesiam, si rite erant baptizati, nihil dicitur renovandum, nisi quod *traditum* fuerat. Similiter in disputatione de coelibatu, quae in Concilio Nicaeno dicitur fuisse exorta, iam S. Paphnutius praxim servandi coelibatum ab iis, qui coelibes ordines sacros susceperunt, vocat *antiquam traditionem* (9).

Quamvis paulatim non pauca negotia ecclesiastica expressis et scriptis canonibus ordinarentur, tamen antiqua traditio a SS. Patribus et scriptoribus ecclesiasticis in scripturam relata vim suam nequaquam amisit (10). Quare ut etiam in rebus disciplinariis traditiones vere antiquae distinguerentur ab innovationibus, regula a S. Augustino (11) proposita communi approbatione est recepta: "*Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.*"

II. De testibus iuris traditi eorumque auctoritate.

186. I. Testimonium sane fidelissimum de traditionibus etiam humanis in Ecclesia dare potest ipsum magisterium ecclesiasticum sive sacra *Ecclesiae auctoritas*. Nihilominus Ecclesia nos potissimum remittit ad *SS. Patres*, qui non solum propter honestatem vitae et scientiam sunt testes fide dignissimi, sed propter *antiquitatem, doctrinae praestantiam, vitae*

(8) *Bauduin* l. c. p. 5.

(9) *Hefele* l. c. t. 1. p. 86. sq. 431. sq.

(10) *Suarez* l. c. cap. 4. n. 3. 4.

(11) De baptismo contra Donatist. l. II. cap. 7. et l. IV. cap. 24. (*Migne*, P. L. XLIII. 130. 170.).

sanctitatem tanquam testes authentici ab Ecclesia publica fide muniti et approbati sunt (12).

Quibus praeclaris testibus accensendi sunt ii viri, qui propter *eminentem doctrinam et insignem vitae sanctitatem* per solemnem declarationem Romani Pontificis vel Concilii oecumenici legitime renuntiantur *Doctores Ecclesiae* (13).

Hinc in numero SS. Patrum vel Doctorum Ecclesiae habendi non sunt, quibus omnes illae praerogativae singulis propriae ex Ecclesiae iudicio non competunt, licet forte fama sanctitatis aut scientiae laude floruerint. Multo minus inter SS. Patres vel Doctores computari merentur, quorum vita vel doctrina ab Ecclesia reprobata est. Quare v. g. Origenes et Tertullianus quamvis sibi magnum nomen compararint, tamen SS. Patres vel Doctores Ecclesiae non reputantur.

Cum primis saeculis Ecclesiae nondum existeret ea, quae nunc obtinet sacrarum disciplinarum divisio, SS. Patres non solum habendi sunt fidei praedicatores, traditionis custodes et testes, scripturarum interpretes, praeceptores morum, sed etiam *canonum magistri* atque *iurium Ecclesiae defensores*. Quodsi iam Severus Sulpitius S. Athanasium appellavit iurisconsultum, huiusmodi elogium saltem de canonum notitia est intelligendum et ad alios SS. Patres merito extendendum (14).

Hinc SS. *Patrum scripta in iure* quoque canonico suum habent usum, ut patet ex Decreto Gratiani aliisque collectionibus iuris canonici (15), quibus non pauca capitula ex scriptis SS. Patrum deprompta pro more Triboniani fuerunt inserta. Sententiae enim SS. Patrum ex sese canones non sunt, quoniam ad leges ecclesiasticas condendas nec doctrina eminentis nec sanctitas sufficit, sed *potestas legifera* requiritur (16). At sententiae illae vim sacrorum canonum consecutae sunt, si a SS. Patribus pro sua potestate tanquam *pastoribus* Ecclesiae

(12) Leo IV. (a. 849.) in e. 1. D. 20.; *Zallinger* l. c. p. 310. sq.; *Pesch* l. c. n. 572. sq.; *Bardenhewer*, *Patrologie* §§ 1. sq.

(13) Cap. unie. de reliq. III. 22. in Sext.; *Bened. XIV. Const. « Militanti Ecclesiae »* 15. Octob. 1754., De beatific. et canoniz. l. IV. P. II. cap. 11. 12.; *Bainvet*, de magist. vivo et tradit. p. 73.; *Vallon*, in *Diet. d. Theolog. cath.* t. IV. col. 1509.

(14) *Zallinger* l. c. p. 314.; *Bardenhewer*, *Gesch. d. altkirchl. Literat.* t. II. p. 3. 19. 609.

(15) Cfr. corpus iuris canonici ed. *Friedberg* P. I. p. XXI. sq. P. II. p. XVIII.

(16) Grat. pr. D. 20.

ex alio titulo propria in vim legum fuerunt conceptae aut a Conciliis vel Romanis Pontificibus approbatae (17). Quae approbatio Ecclesiae certe non deest, si unanimes sit SS. Patrum consensus (18). Auctoritas vero paucorum SS. Patrum forte a reliquis dissentientium atque adeo unius v. g. S. Augustini pro more haereticorum Iansenistarum non est exaggeranda, et praesertim Iansenistae ipsum S. Augustinum suis perversis doctrinis habent contrarium (19).

II. *Doctores et interpretes iuris sacri* potestate legifera in Ecclesia catholica non sunt instructi. Neque secundum analogiam iuris Romani existunt responsa prudentum sive canonistarum classicorum, quorum placita a maiore parte probata vim legum habeant (20).

Nihilominus cum non vilis sit auctoritas hominum etiam privatorum, qui in arte sua sunt periti, in iuris quoque quaestionibus dilucidandis vere communis et constans canonistarum sententia magni est facienda. Nam si quamplurimi viri docti ingenio pollentes veritatisque amore ducti libere atque independenter et constanter in eandem sententiam asserendam conveniunt, id non nisi rationum pondere atque evidentia rei factum esse merito tenetur; magna igitur confirmatio veritatis in illa communi doctorum opinione reperitur (21).

Inde quoque efficitur etiam veterum doctorum scholasticorum in iure canonico communem sententiam non temere esse contemnendam (22). Nemini vero imponitur necessitas, “ *ut scholasticorum quorundam aut etiam veterum iuris interpretum barbariem aut doctas nugas aut longas contentiones de rebus obviis aut frequentes digressiones a proposito argumento defendat* „ (23).

Ubicumque igitur doctores in unam sententiam non con-

(17) Leo IV. l. c.; corp. iur. can. ed. eit. P. II. p. VIII.; L. 1. § 6. Cod. de vetere iure enuel. l. 17. et cap. 22. de praeb. III. 4. in Sext. * *Cum ipsa provisio ipsius Legali post impertitam a nobis auctoritatem uostra censetur effecta* „.

(18) Concil. Trid. Sess. IV. decret. de ed. et us. s. lib.; *Pesch* l. c. n. 576. sq. 588. sq.

(19) Cfr. c. 4. 5. 9. 10. D. 9.

(20) L. 1. Cod. Theod. I. 4.; *Veriug*, Gesch. u. Pand. § 18. III.

(21) *Zattinger* l. c. p. 321 sq.; *Pesch* l. c. n. 595. sq. 600.

(22) Quare Benedictus XIV. in Epist. * *Redditae* „ 5. Dec. 1744. § 8. recte reprehendit Archiepiscopum S. Dominici parvipendentem *communes doctorum opiniones*.

(23) *Zattinger* l. c. p. 326.; *Scherer* l. c. p. 135.

veniunt, imprimis *rationes* et *gravior auctoritas* sunt examinandae. Quae auctoritas sine dubio *gravior* est, si quis doctor scribit de re arti suae propria, v. g. si solutio difficultatis pendet ab interpretatione sacrorum canonum. Quo in casu, quod *iuristis* videtur sacris canonibus esse conforme, etiam *pro theologis* sacris canonibus conforme sit necesse est (24).

§ 2. DE IURE CONSUETUDINARIO.

I. De notione et divisione et historia iuris consuetudinarii.

187. I. **Notio.** Consuetudo potest spectari *materialiter*, ut est *factuum* (25), et *formaliter*, ut est *ius*.

Sub priori consideratione nihil aliud est quam *frequentia* libere operandi circa eandem rem uniformi modo; sub altero vero respectu est *ius* (26), quod ex facto sive frequentia illa operandi resultat (27).

Quare si duplex ista significatio applicetur communitati, consuetudo *materialiter* sumptasive facti est frequentia actuum a communitate vel saltem maiore eius parte libere et uniformiter facta; *consuetudo* autem *formalis* sive iuris est *ius legale ex illa frequentia actuum communitatis ortum*.

In foro igitur ecclesiastico consuetudo iuris, quae maxime attendenda est, definitur: *Ius legale non scriptum diuturnis moribus populi christiani cum aliquo consensu competentis legislatoris ecclesiastici introductum*. Quibus verbis satis insinuat differentia a) a consuetudine *facti*, b) a iure *dominii*

(24) *Zallinger* l. c., ubi recte dissentit a modo loquendi *Reiffenstuel*; sed vieissim si quid *theologicae* vel *canonice* certo probatum est, a "*iuristis*" vel ab "*historicis*" non est reiiciendum. Cfr. *Scherer* l. c. p. 175. not. 13.; *Arch. f. k. K.* t. 74. p. 376. sq.

(25) Cap. 1. de const. l. 2. in Sext.; *Suarez* l. c. cap. 1.; *Billot*, De Ecclesia Christi t. III. p. 19. not. 1.; *Vering*, *Gesch. u. Pand.* § 20.

(26) Cfr. c. 5. D. 1. (Isidor.), cuius definitio a *De Angelis* h. t. n. 1. tanquam incompleta et obscura carpitur. Cfr. *Suarez* l. c. n. 6.; *D'Annibale* l. c. n. 245. not. 1.

(27) Recte notat *Suarez* l. c. n. 8. 9. ex frequentia illa actuum duplex quoddam ius posse oriri. Unum consistit in facultate utendi sive in *dominio* vel *quasi dominio*, quod comprehendit ius ad rem et ius in re, atque generaliter dici potest ius *dominii* vel *quasi dominii* sive ius subiectivum scriptorum recentiorum. Quod ius *dominii* per illam frequentiam actuum *etiam* a persona singulari et privata acquiri potest. Alterum ius ex moribus populi ortum dicitur *ius legis* sive *ius legale* (*νόμος*) sive cum S. Isi-

et *praescriptione* (28), *c)* a lege *scripta* et solemniter *promulgata* (29), *d)* a iure *tradito* (30), *e)* a stylo *Curiae* (31).

II. **Divisio.** Consuetudo canonica, de qua unice hoc titulo est agendum dividitur:

a) ratione *ambitus* vel *territorii* (32) in *universalem* sive generalissimam, quae in universa Ecclesia est recepta; in *generalem* (33), quae in se est particularis, sed in tota quadam provincia viget; in *specialem*, quae societates minores, sed aliqua ratione perfectas sive legum capaces adstringit; in *specialissimam* (34), quae observatur a personis privatis atque societatibus plane imperfectis, quibus leges dari non possunt; hinc consuetudo illa specialissima non est verum ius legale, sed ad instar privilegii dat *iura subiectiva*;

b) relatione ad *legem* (35) in consuetudinem *secundum legem*, quae legem scriptam vel traditam usu et moribus *firmat* vel *interpretatur* atque idcirco etiam inhaesiva vel declarativa dicitur iuxta notissimum axioma (36): “ *Optima enim est legum interpretis consuetudo* „; in consuetudinem *praeter legem*, quae deficiente lege aliquem modum agendi communitati

doro l. c., “ *quod pro lege suscipitur* „, sive cum recentioribus scriptoribus “ *ius obiectivum* „. Quod ius legale, ut ipsum nomen insinuat, habet vim *verae legis* communitati impositae.

(28) *a)* *Praescriptio* inter *privatas* quoque personas locum habet et ius subiectivum sive domini vel quasi domini concedit; consuetudo autem introducit *legem*, cuius *communitas*, non vero persona *privata* vel *familia* capax est. *b)* In consuetudine introducenda requiritur *consensus principis*, contra quem forte inducitur; in praescriptione consensus illius, *contra quem* praescribitur, non est necessarius. *c)* Denique praescriptio legitima requirit *bonam fidem* et *titulum*; quae conditiones in consuetudine non requiruntur. Cfr. *Suarez* l. c. n. 10. 11. 12. Quare quamvis in iure occurrat “ *consuetudo legitime praescripta* „, tamen consuetudo cum praescriptione non est confundenda. Cfr. *Suarez* l. c. n. 12. i. f.; *Stimmen aus Maria-Laach* t. I. (a. 1873.) p. 387. sq.; *Scherer* l. c. p. 135. not. 26., ubi nimis generaliter “ *scholam* „ carpit. Cfr. *Bauduin* l. c. p. 56. sq.

(29) *Suarez* l. c. cap. 2.

(30) *Supra* § 1. h. tit.

(31) *Suarez* l. c. cap. 3.; *D'Annibale* l. c. P. I. n. 237. not. 8.; *Zechi*, Praecognita §§ 382. sq.

(32) *Hostiens.*, *Summa* h. t. n. 12.; *Schmalzgr.* h. t. n. 2.

(33) *Cap.* 7. X. h. t.; *cap.* 31. X. de elect. l. 6.; *cap.* 5. X. de us. et auct. l. 8.

(34) *Scherer* l. c. p. 132. not. 9.; *Bauduin* l. c. p. 43. sq., ubi etiam exponitur singularis significatio societatis perfectae et imperfectae h. t. usitata; *Reiffenstuel* h. t. n. 110. sq.; *Laurentius* in *Arch. f. k. K.* t. 81. p. 284. sq.

(35) *Suarez* l. c. cap. 4.; *Bauduin* l. c. p. 8. sq.

(36) *L.* 37. D. de leg. l. 3.; *D'Annibale* l. c. not. 1. sine sufficienti ratione recedit a communiter recepta divisione.

tanquam obligatorium vi legis imponit; cui consuetudini in rigore convenire solet definitio consuetudinis praesertim a S. Isidoro data (37); in consuetudinem *contra legem*, quae legem iam constitutam abrogat aut ei saltem derogat;

c) *ratione uodi*, quo *iuducitur*, in *iudicialeum* et *extraiudicialeum* (38). Illa vocatur etiam *usus forensis* atque est mos iudiciorum longa constantique praxi confirmatus. Qui usus forensis in iure ecclesiastico eo maioris est momenti, quod in Ecclesia iidem Praelati soleant esse legislatores et iudices v. g. Romanus Pontifex, Legati, Episcopi. Si mos ille refertur *ad forum procedendi* tribunalium in causis ecclesiasticis, *stylus Curiae* audit; si ad *materiaum* sententiarum iudicialium, quae de una eademque re uniformiter prodierunt, appellatur "*auctoritas rerum similiter iudicatarum* „. Quamvis enim particulares sententiae iudiciales vim legum non habeant (39), sed ius tantum constituent inter partes, tamen pro rei veritate magnum sunt praeiudicium et argumentum; imo si frequentes fuerint et uniformes atque constantes per approbationem *legislatoris* possunt obtinere vim legis. Cfr. leg. Rom. cit. in not. 38. h. tit. Hinc stylus Curiae vel uniformes decisiones iudiciales v. g. Rotae et SS. Congregationum in Urbe propter accedentem legislatoris consensum possunt obtinere vim iuris consuetudinarii (40). Consuetudo vero *extraiudi-*

(37) Cfr. c. 5. D. 1.; Zeeh l. c. § 365.; Scherer l. c. p. 133. not. 17.

(38) L. 38. D. de leg. * *Nam Imperator noster Severus reseripsit, in ambignitatibus, quae ex legibus proficiscuntur, consuetudinem aut rerum perpetuo similiter iudicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere* „; L. 1. C. quae sit longa consuet. VIII. 53. * *Praeses provinciae probatis iis, quae in oppido frequenter in eodem controversiarum genere servata sunt, causa cognita statuet* „. Qua divisione etiam illud insinuat, quomodo *magistratus iudicantes, viri docti, simplices fideles*, licet vera potestate legifera in Ecclesia careant, in formandum ius ecclesiasticum aliqua ratione influere possint.

(39) L. 13. Cod. de sentent. et interpr. omn. iudic. VII. 45. * *Non exemptis, sed legibus indieandum est* „; Zeeh l. c. § 387., ubi de stylo Curiarum saecularium atque moderato illius usu ea scribit, quae etiam in foro ecclesiastico sunt attendenda; Scherer l. c. p. 135.; Patzer l. c. p. 15. sq. de stylo Curiae Romanae; Reiffenstuet l. l. t. 4. n. 166. de consuetudinibus Ecclesiae Romanae.

(40) Zeeh l. c. §§ 382. sq.; Santi, Prael. iur. can. l. l. t. 31. n. 49. sq. 53.: * *Si in easibus particularibus similibus aliqua Congregatio (et multo magis aliae quoque Congregationes) constanter uniformem sententiam tulerit, ex huiusmodi uniformi iudicio merito certa conficitur regula, quae ius traditionate constituit, cui contraire iudices inferiores nefas est, sed potius ius hoc fideliter est custodiendum et observandum. Hoc enim proprium est*

cialis, quae generatim moribus populi christiani inducitur, sane multo facilius per partem praestantiorē sive per communem quendam consensum *virorum doctorum* vim obtinet (41);

d) ratione *temporis*, per quod *duravit*, in *praescriptam* et *non praescriptam* (42). Huc spectat alia quaedam divisio, quatenus pro diversitate temporis ad praescriptionem sufficientis vel requisiti, ut consuetudo facti transeat in consuetudinem iuris, distingui potest consuetudo *ordinaria* 10 vel 40 annorum, aut *centenaria* aut *immemorialis* (43) sive consuetudo *longi* vel *longissimi* vel *immemorialis* temporis.

Scholion. His divisionibus ad meliorem huius materiae cognitionem utiliter illae addi possunt, secundum quas distinguuntur consuetudo *bona* et *mala*, *rationabilis* et *irrationabilis*, *positiva* et *negativa*, *permissa*, *abrogata*, *prohibita*, *reprobata* tanquam *corruptela* (44).

III. **Historia.** Praeter traditiones primis saeculis etiam mox mores probati atque consuetudines receptae occurrunt (45). Quae consuetudines etsi ab initio sine dubio potius consuetudines facti fuerunt, tamen non saro paulatim in veras consuetudines iuris transformatae sunt. Etenim ipsa auctoritas publica illarum strictam observantiam urget atque vim obligandi iam inductam esse supponit (46). At vix negari potest consuetudines illas antiquas fuisse consuetudines secundum

tribunalium supremorum, ut dum causas particulares resolventes leges in aliquo determinato sensu constanter interpretantur, forenses traditiones progignant, quae certas pro iudicii regulas defigere solent ». Cfr. quoque Vering, *Gesch. u. Pand.* § 21. (de iure Romano).

(41) S. Augustinus in c. 5. D. 9. sapienter monet per *« auctores canonicos vel probabili ratione »* verum esse eruendum; ex qua assertione sane non sequitur communem opinionem parvi esse faciendam. Cfr. Scherer l. c. p. 135.

(42) Cap. 11. X. h. t.; Suarez l. e. cap. 8.

(43) Cum Pitonius non retineret usitatam definitionem consuetudinis immemorialis, i. e. cuius initii *memoria* non existit, sibi viam paravit ad rigidam suam theoriam de iure consuetudinario contra decreta Tridentina non admittendo. Cfr. Biederlack in Act. theol. Oenip. t. VI. p. 633. sq.

(44) Suarez l. e. cap. 6. 7.; Bouix l. c. p. 353. sq.; Bauduin l. e. p. 10. sq.; Dolhagaray, in Dict. d. Theol. cath. t. III. col. 1991.

(45) In controversia de baptismo haereticorum praeter traditionem multum iam ex utraque parte insistitur *consuetudini*. Cfr. Hefele l. e. t. I. p. 126. sq.

(46) Cfr. v. g. legem coelibatus; c. 1. Concil. Arelat. (a. 314.); c. 6. 7. Cone. Nieaen. (a. 325.).

ius et praeter ius, ubi lex forte deficeret (47). Quare cum ius canonicum etiam in hac materia aliqua ratione imitaretur ius Romanum, in quo L. 2. Cod. quae sit longa consuet. VIII. 53. (Constantin. M. a. 319.) statuitur: “ *Consuetudinis ususque longaevis non vilis auctoritas est, verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem* „ (48), non facile in foro ecclesiastico admissae sunt consuetudines saltem particulares *contra legem*. Et revera Gratianus in suo dicto post c. 4. D. 11., ubi cit. L. 2. Cod. retulerat, saltem *particularem* consuetudinem “ *sacris canonibus* „ contrariam non videtur admittere, sed in dicto post c. 3. D. 4. tum leges tum canones, *generaliter* per mores abrogari posse concedit (49). Quam doctrinam magistri Gratiani Glossatores (50) clarius proposuerunt vel potius limitarunt, ita ut consuetudinem *etiam particularem* dicerent praeiudicare iuri positivo, dummodo ipsa sit *praescripta* aliisque *legitimis conditionibus* vestita. Tandem Gregorius IX. cap. 11. X. h. t. authenticam dedit interpretationem c. 4. D. 11., in qua doctrinam limitantem Glossatorum canonizavit.

Qua controversia generali de vi et ambitu iuris consuetudinarii soluta, in Decretalibus Bonifacii VIII. et Extravag. com., ubi tit. de consuetudine non deest, nihil novi de iure

(47) S. Isidor. in c. 5. D. 1. ; D. 11. 12. ; *Bauduin* l. c. p. 36. sq.

(48) Quae lex a *Windscheid*, Pand. § 18. not. 10. perperam intelligitur de sola consuetudine *particulari*, ut recte tenet *Vering* l. c. § 20. III. Cum apud *antiquos* Romanos suprema potestas legifera esset penes *populum*, nihil mirum est, quod Iulianus L. 2. D. de leg. 1. 3. haec de consuetudine etiam contra legem doceat: “ *De quibus causis scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus et consuetudine inductum est, et si qua in re hoc deficeret, tunc quod proximum et consequens ei est; si nec id quidem appareat, tunc ius, quo Urbs Roma utitur servari oportet.* § 1. *Invelerata consuetudo pro lege non immerito custoditur, et hoc est ius, quod dicitur moribus constitutum. Nam cum ipsae leges nulla alia ex causa nos leniant, quam quod iudicio populi receptae sunt, merito et ea, quae sine ullo scripto **populus** probavit, tenentur omnes; nam quid interest, suffragio **populus** voluntatem suam declaret, an rebus ipsis et factis? Quare rectissime etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium **per desuetudinem abrogentur** „ . At postquam universa potestas legifera in Imperatores fuit translata, certe saltem a tempore Constantini M. consuetudo vim legis tantum obtinere potuit per consensum tacitum vel expressum etiam *generaliter* sub certis conditionibus per *legem* ab Imperatore datum. Cfr. *Vering* l. c. § 20. II.*

(49) *Bauduin* l. c. p. 32. sq. ; *Scherer* l. c. p. 133. not. 17.

(50) *Glossa* ad verb. Vincat c. 4. D. 11. Cfr. quoque *Paucapalea* l. c. p. 16. ; *Slephan. Tornac.* l. c. p. 20. sq.

consuetudinario *formaliter* spectato reperitur. Nihilominus complures controversiae remanserunt, quae usque ad nostram aetatem nondum authentice sunt resolutae (51). Inter controversias maxime eminent illa post Concilium Tridentinum orta, num consuetudo procedat etiam *contra decreta disciplinaria huius Concilii* (52). Tandem nostra aetate partim antiquae controversiae sunt repristinatae partim novae recenter excitatae (53).

II. De vera causa efficiente consuetudinis iuris.

188. I. Vera causa efficiens (54) consuetudinis ecclesiasticae, quatenus *ius legale* constituit, est *unice consensus competentis legislatoris ecclesiastici* sive tacitus sive expressus etiam *generaliter* et antecedenter per *legem* sub certis *conditionibus* datus (55), qui propterea consensus *legalis* appellatur.

Hinc consuetudo ecclesiastica vim verae legis obtinet ex

(51) Cfr. v. g. *de tempore* ad praescriptionem consuetudinis requisito: *Suarez* l. c. cap. 8. n. 1. 7. cap. 18. n. 12.; *Bauduin* l. c. p. 79. sq.; de *conditionibus* necessariis ad inducendam consuetudinem facti et iuris v. g. de necessitate absentiae erroris: *Suarez* l. c. cap. 12. n. 2. 3.; *Zeeh* l. c. §§ 369. 372.; *Zattinger* h. t. §§ 229. 234.; *Vering*, Lehrb. d. k. K. p. 350.; *Bauduin* l. c. p. 55. sq.

(52) Cuius controversiae historiam et originem optime exponit *Biedertack* in Act. theol. Oenip. t. VI. p. 453. sq.

(53) *Bauduin* l. c. p. 13. sq.; *Biedertack* l. c. p. 441. sq. contra theoriam *Schulle* atque assertiones insolitas aliorum canonistarum antiquorum et recentiorum. Cfr. quoque *Nilles* in cit. Act. theol. Oenipont. t. XIX. p. 1. sq. de sensu illius sententiae cap. 1. de const. l. 2. in Sext., quod "*Romanus Pontifex iura omnia in serinio pectoris sui* (i. e. in memoria) *censetur habere*" iunct. *Passerin.*, Comment. in prim. lib. Sext. Deer. in cit. cap. 1. de const. n. 4. sq. ac praesestim *Gillmann* in Arch. f. k. K. t. 92. p. 1. sq. qui profundiore instituta investigatione in fontibus historicis denuo erudita admodum disertatione genuinum illius sententiae sensum contra perversas interpretationes efficaciter vindicavit.

(54) *Suarez* l. c. cap. 9. n. 1. 2. cap. 13. n. 1., ubi recte distinguit causam efficientem consuetudinis primariam et proximam, quam alii vocant secundariam vel remotam. Cfr. *Biedertack* l. c. p. 442.

(55) *Suarez* l. c. cap. 13. n. 6.; *Vering*, Gesch. u. Pand. § 20. 11., ubi recte docet non solum in iure canonico, sed etiam in iure Romano atque in legibus antiqui imperii germanici *generaliter* et antecedenter a legislatore consuetudinibus *facti*, quae certis conditionibus sint praeditae, vim *iuris* consuetudinarii sive legum concedi, at eandem vim in codicibus civilibus Borussiae, Austriae, Saxoniae suo tempore consuetudinibus fuisse negatam. Cfr. quoque *Gerber*, Syst. d. d. Privatr. §§ 20. 28. not. 3.; cod. civil. Ital. art. 5.

voluntate legislatoris ecclesiastici, non ex persuasione vel voluntate Ecclesiae, si nomine Ecclesiae intelligantur subditi sive Ecclesia audiens.

Omnis enim lex sola iuridica *ratione* non fit, sed etiam *voluntate* (56); iam vero persuasio Ecclesiae audientis i. e. subditorum est *merus actus rationis*; ergo saltem persuasio illa non potest efficere legem sive consuetudinem iuris.

Neque *voluntas* Ecclesiae sive *subditorum fidelium*, potest inducere legem. Nam ad leges ferendas in Ecclesia catholica requiritur *iurisdictio spiritualis* sive immediate a Deo sive ab hierarchia ecclesiastica collata; atqui ius leges condendi a Deo immediate soli Romano Pontifici est concessum, reliquis Praelatis hierarchiae ecclesiasticae per Romanum Pontificem obvenit; *populus* vero christianus nec iure divino nec iure canonico potestatem legiferam consecutus est; voluntas igitur fidelium nequit dare vim legis obligantis. Quare quemadmodum *populus* christianus *suffragio* quodam *universali* et *expresso* leges ecclesiasticas ferre nequit, ita *tacito* suo suffragio *universali* pariter a condendis legibus ecclesiasticis excluditur, nisi quis monarchicam et hierarchicam constitutionem Ecclesiae catholicae omnino reiicere et negare velit.

II. Nostra aetate *Schulte* (57) theoriam a *Puchta* aliisque sectatoribus scholae historicae v. g. *Savigny, Windscheid, Sohm, Arndts, Gerber* pro iure consuetudinario in foro civili propugnatam iuri canonico applicare tentavit; hinc reiecto *consensu legislatoris praesertim legali* solam communitatem tanquam causam efficientem iuris consuetudinarii admisit. Qua in assertione non solum ipso fatente doctrinam *communem* doctorum sibi habuit contrariam, sed etiam apertum errorem dogmaticum defendit (58).

(56) *Suarez* l. c. l. l. cap. 4, et 5.

(57) *Schulte* l. c. p. 209. sq.

(58) *Stim.* aus *Maria-Laach* l. c.; *Biedertack* l. c. p. 441.; *Scherer* l. c. p. 131. sq.; *Bauduin* l. c. p. 13. sq. Cfr. quae *Suarez* l. c. l. VII. cap. 13. n. 1. sq. vel de ipsis liberis civitatibus quoad introducendum ius consuetudinarium tenet; *Cathrein*, *Moralphilosophie* t. l. p. 537., ubi scite reiicit theoriam scholae historicae de iure consuetudinario etiam pro foro civili. Nam etiam in illo *valor* iuris consuetudinarii nequaquam ultimatim repetendus est ex communi *persuasione iuridica populi independenter* a consensu expresso vel tacito *legislatoris*, ut volunt asseclae scholae historicae. Etenim *obligatio* per legem communitati solummodo imponi potest per *voluntatem* eius, qui habet *potestatem legiferam*. Quare etiam in libera republica, in qua potestas suprema est penes populum, ius consuetudina-

Consensus *expressus* legislatoris ad consuetudinem iuris constituendam sine dubio sufficit, at certe non requiritur (59). Quinimo controversia vera non existit ad eundem effectum consensum tacitum sufficere, neque oppositio aliquorum doctorum hanc assertionem potest reddere dubiam (60). Concedendum vero est consensui mere *praesumpto* eandem vim atque consensui tacito non esse tribuendam, multoque minus ex silentio mere *oeconomico* approbatio consuetudinis deduci potest. Nam interdum accidit, ut “ *multa per patientiam tolerantur* „ vel etiam dissimulentur (61).

Minime vero exinde sequitur consensum *tacitum* generaliter (62) *requiri* et consensum *legalem non sufficere*. Nam certe supremus legislator expresse potest *lege generaliter et antecedenter approbare* consuetudines sive praeter ius sive contra ius certis conditionibus praeditas. Iuxta cap. 11. X. h. t. et cap. 3. h. t. in Sext. hac potestate etiam convenienter, ut patet ex cap. 1. de const. l. 2. in Sext. et ex analogia cum praescriptione, *de facto* usus est (63).

Errant igitur *Fagnanus, Pontius, Diana, editores Analect. iur. pont., Schulte* alique, qui *sufficientiam* et *factum* consensus *legalis* negant.

Neque minus a vero alieni sunt editores operis *Mélanges théologiques*, qui *sufficientiam* consensus *legalis* admittentes *de facto* consensum *legalem* ad introducendas consuetudines *praeter ius* datum esse negant (64).

Qui consensus si consuetudo universalis vel particularis

rium tantum induci potest, si populus “ *rebus ipsis et factis* „ suam *voluntatem legiferam* manifestet. Cfr. L. 32. § 1. D. de leg. l. 3.; *Vering* l. c. § 20. II.

(59) Qui consensus legislatoris etiam expresse et scripto manifestatus non efficit, ut consuetudo ius consuetudinarium esse desinat atque fiat ius scriptum. Cfr. cap. 2. X. h. t.; *Bened. XIV. Const. “ Singulari ”* 9. Febr. 1749. § 10.; *Suarez* l. c. cap. 2. n. 3. 4. cap. 13. n. 7. 8.; *Scherer* l. c. p. 133.

(60) *V. g. Verani, Commentaria* h. t. § 4. n. 7.

(61) Cap. 18. i. f. X. de praeb. III. 5.; cap. 3. X. de cogn. sp. IV. 11.; *Suarez* l. c. l. VII. cap. 13. n. 12.; *Bouix, De princ. iur. canon.* p. 371. sq.; *Bargilliat* l. e. n. 114.; *Scherer* l. c. p. 131.

(62) *Zech* l. c. § 376.; *Biederlack* l. c. p. 445. Cui sententiae non obstat, si *Suarez* l. c. cap. 13. n. 11. saltem tacitum consensum legislatoris requirit, ut consuetudo *nondum praescripta* obtineat vim iuris *legalis*. Cfr. *Scherer* l. c. p. 131. not. 7.

(63) *Suarez* l. c. n. 8. 9.; *Schwaldgr.* h. t. n. 15.; *Zech* l. c. § 376. *Bauduin* l. c. p. 29. sq.; *Scherer* l. c.; *Bouix* l. c. p. 382. sq.

(64) *Bauduin* l. c. p. 28. sq. 36. sq.

contra ius commune aut consuetudo universalis *praeter* ius sit inducenda, profecto debet esse supremi et universalis legislatoris in Ecclesia; ille enim solus ex iure divino est *supra* ius commune constitutus atque *universam* Ecclesiam obligare valet. Episcopi vero consensus *sufficit* ad inducendam consuetudinem dioecesanam *praeter* ius commune aut *contra* ius dioecesanum; at minime sufficit, licet consuetudo mere dioecesana sit introducenda, *contra legem* etiam particularem, sed a superiore auctoritate v. g. a R. Pontifice vel Concilio plenario vel provinciali latam; nequit enim Episcopus suo consensu tacito vel legali efficere, quod *expresse* facere omnino non potest. Pariter consuetudo particularis per plures dioeceses forte integri regni divulgata a R. Pontifice ita *suo consensu* potest ratificari, ut Episcopi etiam in Conciliis provincialibus vel plenariis nihil in contrarium statuere valeant. Cfr. concord. Austr. (a. 1855.) art. 22. de consuetudine conferendi canonicatus per concursum; S. C. C. in caus. Placent. 31. Ian. 1882. de consuetudine Hispaniae requirendi scripturam publicam ad validam sponsalium celebrationem.

III. De conditionibus requisitis in consuetudine facti ad inducendam consuetudinem iuris.

189. *Consensus legislatoris ecclesiastici* quamvis optimo iure dicatur *causa efficiens iuris legalis* ex consuetudine materiali orti, tamen consuetudinem *facti* certis conditionibus vestitam necessario *supponit* a populo christiano iam esse productam. Postquam autem moribus populi ipsa *materia* legis est accurate definita et singulari plane forma *promulgata*, *voluntas consentientis legislatoris* huic consuetudini facti adiungit complementum iuridicum sive *vim legis obligantis* (65).

Quare sine consensu legislatoris ius legale in Ecclesia existere non potest, et vicissim *sine moribus populi* suppositis ius *consuetudinarium* non habetur, sed forte ius scriptum vel traditum.

Oritur igitur ius consuetudinarium Ecclesiae ex actione quadam conspirante legislatoris ecclesiastici et populi christiani, sed longe alia ratione atque fit in ordine politico Status constitutionalis. *Universa vis iuridica* consuetudinis ecclesia-

(65) Suarez l. c. cap. 9. n. 1. 2.

sticae est *unice* petenda ex *sola potestate* legifera hierarchiae ecclesiasticae. Cuius potestatis ne *pars* quidem (v. g. consensus quidam pro more comitiorum publicorum) est penes populum christianum. Is enim solummodo subministrat *materiali* legis iam debito modo *publicata* tanquam *conditio- neu* sine qua non, neque ullam exercet potestatem iurisdictionis sive ordinariam sive delegatam. *Ecclesia* vero illam materiam conditionibus a iure requisitis praeditam *pro sua potestate* obligatorio modo per legem proponit. Qua re denuo manifestatur dependentia omnimoda tum populi christiani a potestate ecclesiastica tum iuris consuetudinarii *a iure scripto* in introducendo novo iure consuetudinario.

190. *Speciales conditiones*, quae a iure in *consuetudine* facti requiruntur, hae recenseri possunt :

I. Consuetudo facti procedat necesse est a *communitate* (66) vel saltem a *maiore* illius parte, quae legis ecclesiasticae *re- cipiendae* capax est v. g. provincia ecclesiastica, dioecesis, ordo religiosus etiam monialium. In foro autem ecclesiastico non requiritur, ut consuetudo inducatur a communitate, quae *ipsa* legem *dare* possit. Nam vis iuridica consuetudinis ecclesiasticae non oritur directe et formaliter a *communitate*, sed a consensu *legislatoris* ecclesiastici. Hinc personae *si- ngulares* et *privatae* atque *societates* ecclesiasticae plane *im- perfectae*, quibus leges *dari* non possunt, licet simplicibus praeceptis subiici vel consuetudine sive praescriptione *iura subiectiva* (67) vel privilegia acquirere possint, tamen consuetudines *vim legum* ecclesiasticarum habentes neque contra ius neque praeter ius introducere valent (68).

II. *Actus*, quibus *mores* populi constituuntur, sint *frequent-* *es*, *uniformes* (69), *publici* (70), *libere* et sponte, non solum-

(66) Suarez l. c. l. I. cap. 6. n. 18. sq. l. VII. cap. 2. n. 6. 7. cap. 9. n. 3. sq.; Schmalzgr. h. t. n. 3. 4.; Biederlaek l. c. p. 442. sq.; Bauduin l. c. p. 43. sq.; Wilmers, De Christi Ecclesia p. 5. de societate *absolute perfecta*, sed *relative imperfecta* v. g. magna provincia vel colonia, quae est *pars* vasti imperii; Billot, De Ecclesia Christi t. II. p. 123. not. 1.; L. 34. D. de leg. l. 3. « *Cum de consuetudine civitatis vel provinciae confidere quis videtur, prius..... explorandum arbitror.....* ».

(67) Cap. 3. h. t. in Sext.; cap. 1. de praeser. II. 13. in Sext.

(68) Suarez l. c. l. I. cap. 6.

(69) Suarez l. c. l. VIII. cap. 10.; Bauduin l. c. p. 47. sq.

(70) Suarez l. c. cap. 11.; Bauduin l. c. p. 51. 102. sq. Quamvis sententiae iudiciales secundum consuetudinem quandam latae optimum sint medium ad *probandam* existentiam iuris consuetudinarii, tamen ad *con-*

modo ex *ignorantia* de lege quadam per errorem supposita (71) aut ex vi vel metu positi, denique exercitati cum

stituendum ius consuetudinarium et ad publicitatem actuum non requiruntur. Nam sententia iudicialis ius legitime constitutum iam supponit illudque tantum firmat (cfr. *Goffred. de Trano*, Summa h. t. n. 8.), et actus populi possunt esse publici et notorii sine ulla interveniente sententia iudiciali per totum tempus ad praescriptionem requisitum. Cfr. *Bauduin* l. e. p. 48. sq. reete adoptans doctrinam *Suaresii* (l. e. cap. 11. n. 9. sq. cap. 17. n. 4.) *contra Reiffensluet* h. t. n. 176. sq. et *Bouix* l. e. p. 352. sq., qui ex duabus sententiis iudicialibus intra decennium datis perperam putat consuetudinem iuris constitui.

(71) Cfr. *Suarez*, De virt. et stat. relig. traet. VII. l. 9. cap. 14. n. 11., ubi disputans de coelibatu clericorum optime explicat, quomodo res ab initio non praecepta transeat in obligatoriam, si per usum *pautalin mullelur iudicium*. Si a populo unice propter *tegem* quandam *putativam* per multos annos servaretur v. g. aliquod festum vel ieiunium, consuetudo *praeter ius* non oriretur, atque detecto errore nulla remaneret obligatio. Consuetudo enim *praeter ius* essentialiter requirit consensum quandam praevium populi in novum illud ius; at ubi unice *error* talis intereessit, nec populi consensus habetur, nec legislatoris *consensus legalis* potest supponi. Cfr. *Suarez*, De leg. l. VII. cap. 12. n. 1. sq. Quae argumentatio nequit extendi ad errorem concomitantem. Nam illo non obstante potest in fidelibus existere animus legi vere *oppositus* vel vicissim intentio, qua vellent legem quandam existere, etiamsi scirent illam non ligare. Quare in priori easu poterit induci consuetudo *contra* ius, in altero *praeter* ius. Cfr. *Bauduin* l. e. p. 71. 75. Hinc absolute et generaliter non videtur posse defendi quod *omnis error* vel ignorantia impediatur consuetudinem *etiam contra* ius. * *Potesl* (enim) *per aelus etiam formatiler peccaminosos, id est seienter (mala fide) contra legem commissos introduci consuetudo rationalis occasione horum actuum ex consensu Principis resullans. Non tamen simpliciter necessarii ad eiusmodi consuetudinem sunt actus formatiler mali, eundem enim effectum habent actus bona fide contra legem exerciti. Nam ul per consuetudinem derogetur legi, non tam opus est, ul populus reflexe velit illi derogare, quam ut legislator hanc derogationem approbet quaecumque demum fide populus frequentatos actus (inores) possuerit.....* (Hinc) *in consuetudine..... quae est contra legem, posse aliquem errorem intercedere, sequitur ex dictis* *. Ita *Zech* l. c. § 369. 372., cui *Zatlinger* h. t. §§ 229. 234. aliique consentiunt. Cfr. *Bauduin* l. e. p. 62. sq.; *De Angelis* l. c. h. t. n. 7.; *Verani*, Comment. h. t. § 6. n. 20.; *Biederlaek* l. c. p. 451.; *Seherer* l. c. p. 132.

Qua sententia admissa facile etiam expeditur altera controversia, num in consuetudine contra ius bona fides aut mala fides, actus boni aut actus peccaminosi *necessario* requirantur. Nam respondendum est tum bona fide tum mala fide, actibus bonis et actibus malis consuetudinem contra ius posse induci. Etenim non est *paritas* inter strictam praescriptionem et ius consuetudinarium. In illa bona fides absolute est necessaria, secus a *solis* peccantibus acquireretur ius; id, quod plane absurdum est. At consuetudo contra legem dat favorem *toti populo*, non solis peccantibus. Cfr. *Schmatzgr.* l. II. t. 26. n. 56. 57.; *Bauduin* l. e. p. 55. sq.

animo sese denuo obligandi (72), si de introducenda consuetudine *praeter* ius agatur, aut cum animo sese saltem *subducendi* obligationi contrariae (73), si consuetudo *contra* ius sit inducenda.

III. Consuetudo debet esse *rationabilis* (74). Etenim illa conditio expresse cit. cap. 11. X. h. t. requiritur. Porro consuetudo aut *novam* legem *inducit* aut legem existentem *abrogat*. Atqui in priore casu consuetudo est *vera lex*, quae essentialiter est *ordinatio rationis* ad bonum commune (75); ergo eadem conditione consuetudo ista praedita sit oportet. In altero vero casu certe ad revocationem legis iustae rationabilis causa requiritur et sufficit; hinc etiam consuetudo abrogationem legis iustae existentis tantum ex rationabili causa efficere valet.

Quare ea consuetudo facti merito habetur *rationabilis*, quae *praeter* intrinsecam honestatem materiae habet omnes condiciones necessarias ad *iustam legem inducendam* (dummodo excipias certos favores, qui tantum *expressis privilegiis* acquiri possunt) vel ad *iustam revocationem legis*, sive quae fini et naturae Ecclesiae vel singulari indoli alicuius instituti ecclesiastici *directe non adversatur* et saltem *generaliter* conformis est (76).

E contra *irrationabilis* dicenda est consuetudo facti, quae a) iuri divino sive positivo sive naturali est contraria (77); b) ab ipso iure canonico vel a competente legislatore ecclesiastico *prohibita* atque adeo ut *corruptela* est reprobata (78):

(72) Quae opinio necessitatis non habetur, si mos exercetur ex *mera devotione* vel *urbanitate*. Cfr. *Suarez*, De leg. l. VII. cap. 15. n. 10. sq.; *Zeeh* l. e. § 373.; *Bauduin* l. c. p. 55. sq. 72. sq.; *Suarez*, De virt. et stat. relig. traet. II. l. 1. n. 10. sq. 16. 17. 18., ubi eum aliquo "additamento", n. 18. facto exponit, qua ratione decimae ab initio *libere* datae pro successoribus potuerint fieri *obligatoriae*.

(73) Quare si populus ex ignorantia vel errore de existentia legis ageret contra legem, sed ita esset animo comparatus, ut sublata ignorantia vel detecto errore promptissime legem observaret, talis consuetudo non probat animum populi legi oppositum, neque a legislatore ratificatur suo consensu, ideoque legem non abrogat. Cfr. *Bauduin* l. e. p. 68. sq. 71.

(74) Cap. 11. X. h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 6. sq.; *Bouix* l. e. p. 342. sq.; *Biedersack* l. e. p. 445. sq.; *Bauduin* l. e. p. 51. sq.

(75) *S. Thomas*, Summa theolog. la. IIae. q. 1. art. 4.; *Suarez* l. e. l. I. cap. 4. 5. 6.

(76) *Suarez*, De leg. l. VII. cap. 16. n. 17.; *Zeeh* l. e. §§ 367. 368. 369.; *Bauduin* l. c.; *Biedersack* l. c.

(77) Cap. 4. 11. X. h. t.

(78) Cap. 7. X. h. t.; cap. 1. h. t. in Sext.

c) dirumpit nervum ecclesiasticae disciplinae (79); d) est peccatorum occasio atque *utilitati comuuni* (80), *sanae rationi* praesertim attenta singulari natura alicuius instituti ecclesiastici (81) manifeste *adversatur* (82).

Hinc consuetudo facti merito habetur irrationabilis, quae etiam per novam et expressam *legem induci* nequit aut ad *revocationem existentis legis* iustae insufficientis est.

IV. *Legitime praescripta* sit oportet consuetudo. Quae conditio i. e. *duratio* consuetudinis facti non interrupta per totum illud tempus a iure statutum in rigore non requiritur, si ad consuetudinem facti accesserit *expressus* vel *tacitus* legislatoris consensus. Quamprimum enim de illo tacito consensu ex factis concludentibus constat, iam *ante* lapsum temporis ad praescriptionem legitime requisiti validum habetur ius consuetudinarium (83).

Quodsi de consensu *legali* agatur, consensus legislatoris perperam supponitur, antequam *elapsum* sit illud *tempus*, cui ipse legislator in iure suum consensum alligavit. Porro legislator verbis illis “ *legitime* (canonice) *praescripta* „ cap. 11. X. h. t.; cap. 3. h. t. in Sext. sine dubio *certum determinatumque tempus* ad consensum legalem requirit. Hinc opinio, quae tenet tempus illud indiscriminatim in consuetudine contra ius et praeter ius prudenti quodam arbitrio esse determinandum, solido fundamento non nititur et consuetudinarium ius nimis arbitrio relinquit (84). At nullo textu canonico, qui de *iure legali* consuetudinis expresse agit, tempus requisitum disertis verbis accurate definitur (85); ergo per deductiones canonicas, per analogiam iuris, opiniones probatas

(79) Cap. 3. 5. X. h. t.; cap. unie. h. t. in Extravg. com.

(80) Cap. 9. 10. X. h. t.

(81) Cap. 2. h. t. in Sext.

(82) Elenchum consuetudinum irrationabilium exhibet *Giraldi*, Expos. iur. pont. P. I. seet. 36.; consuetudines partim reprobatae in iure Decretalium referunt: *Pirhing* h. t. n. 73. sq.; *Maschat* l. e. i. f. vol. II. ed. *Giraldi*.

(83) *Suarez* l. c. I. VII. cap. 8. n. 11. 16. cap. 15. n. 8. 9.

(84) Sententiam, quae negat necessitatem determinati temporis, potissimum tenuerunt aliqui theologi et praesertim Soto, “ *quem plures ex modernis expositoribus S. Thomae sequuntur* „, ut dicit *Suarez* l. e. n. 5., eandemque opinionem postea etiam complures ex antiquioribus commentatoribus v. g. *Schmier*, *Bocckhu*, *Pichler*, *Zech* et recentiores quidam scriptores v. g. *Gury*, *Schulte* aliique adoptarunt. Cfr. *Bauduin* l. e. p. 76.; *D’Annibale* l. c. n. 246. not. 14.

(85) *Suarez* l. c. n. 12.; *Bauduin* l. c. p. 79. sq.

virorum doctorum est determinandum (86). Quibus principiis stabilitis ex disciplina hucusque vigente ad inducendum ius consuetudinarium praeter legem requiritur et sufficit (87) *decennium continuum et non interruptum*; sed ut magis consulatur libertati, et graves obligationes non nimis facile brevique tempore parum opportune imponantur, de lege *ferenda* saltem illud *tempus* decennii videtur protrahendum v. g. ad viginti vel quadraginta annos. Quodsi agatur de consuetudine contra ius introducenda iuxta communem sententiam veterum canonistarum (88) et complurium recentiorum (89) *quadraginta* anni requiruntur. A qua sententia praesertim ex saeculo decimo septimo non pauci theologi et canonistae recesserunt (90) et decennium sufficere opinati sunt. Quae opinio licet non nitatur argumentis omnino peremptoriis (91), et de iure *constituendo* videatur reformanda ad tramites sententiae veterum canonistarum, tamen de iure hucusque vigente cum *Scherer* l. c. t. I. p. 133. *improbabilis* (92) (*grundlos*) dici non potest (93). Quodsi nostra aetate in foro saeculari consuetudines contra scriptas leges civiles saltem ordinarie

(86) *Suarez* l. c. n. 2. 7. sq.; *Bauduin* l. c. p. 77. sq.; *Dolhagaray*, in *Diet. d. theol. cath.* col. 1998. sq.

(87) *Suarez* l. c. cap. 15. n. 1. sq. 7. sq.; *Reiffenstuel* h. t. n. 96.; *Bouix* l. c. p. 387. A qua sententia recedunt sine sufficienti fundamento: *Scherer* l. c. p. 133.; *Vering*, *Gesch. u. Pand.* § 20. aliique. Cfr. *Bauduin* l. c. p. 80. sq. At eum iura sint promptiora ad solvendum quam ad ligandum, et minus sit tollere legem quam inducere, etiam *minor ratio* requiritur, ut lex per consuetudinem tollatur quam praeter ius inducatur. Quae ratio militat etiam pro longiore tempore statuendo. Cfr. *Suarez* loc. cit. cap. 18. n. 9.

(88) *Suarez* l. c. cap. 18. n. 11. sq.

(89) V. g. *Scherer*, *Phillips*, *Vering*, *Kreuzwald*, *Saegmueller*.

(90) V. g. *Lugo*, *De iust. et iure disp.* 6. n. 94.; *Schmalzgr.* h. t. n. 10.

(91) *Bauduin* l. c. p. 83. sq.; *Biederlaek* l. c. p. 448. sq.

(92) *Bened. XIV.*, *De Synod. dioec.* l. XIII. cap. 5. n. 4. « *Cum vero agitur de lege iam populi moribus firmata, ad illam contraria consuetudine abrogandam communiter exigunt doctores quadraginta annorum spatium.... Verum plerique ex recentioribus non improbabiler opinantur salis esse consuetudinem decem annorum* ».

(93) Quodsi cum consuetudine contra ius *concurral* praescriptio contra ius tertii v. g. collegii ecclesiastici, tempus ad praescriptionem requisitum etiam ad praescribendam consuetudinem requiritur, ut recte notat *De Angelis* h. t. n. 9.; sed id consuetudini *contra ius* singulare non est, cum idem sit tenendum, si in consuetudine praeter ius similis consociatio cum praescriptione iuris tertii existeret. Cfr. *Suarez* l. c. l. VII. cap. 18. n. 13.; *Wernz* h. t. n. 194. II. de iure certo constituendo.

non amplius admittuntur, negari non potest etiam in Romanis Congregationibus vix *consuetudines iuuenoriales contra sacros canones tolerari vel permitti* (94).

IV. De effectibus consuetudinis.

191. I. *Effectus consuetudinis secundum ius*, quae sensu stricto ius consuetudinarium non constituit, hi recenseri possunt:

a) quod *firmat legeu antea latam; leges (enim) instituuntur, cum prouulgantur, firmanur, cuu moribus utentium approbantur*, ut dicit Gratianus post c. 3. D. 4. (95);

b) quod *legem interpretatur*, atque inde ortum est principium iuris: *Consuetudo est legum optima interpret.* At consuetudo secundum legem, si est consuetudo *facti*, sese habet tantum ad instar *signi* vel *testis* de vero sensu legis atque de mente legislatoris. Qua ratione optimum est medium interpretationis *doctrinalis*. Quodsi consuetudo ista eum gradum attingit, ut legem *dubiam* et indeterminatam iuxta *certum* et *definitiuu* sensum *obligatorio* modo observandam esse statuat, interpretationem vere *authentica*m continet atque tanquam verum *ius consuetudinarium* una cum lege, quam interpretatur, ad stabiliendam obligationem concurrit (96).

Ad hoc principium revocari potest, si in recentioribus concordatis vel Conciliis provincialibus “ *vigens Ecclesiae disciplina a S. Sede approbata* „ tanquam norma *obligatoria* sive *vera lex* proponitur. Cfr. *Nussi* l. c. p. 274. sq.; Concil. Neogranat. (a. 1868.) in Collect. Lac. t. VI. col. 468.

II. *Consuetudo praeter ius generatim inducit legem* tum in foro externo tum in foro interno vere obligantem universam et solam communitatem, quae consuetudinem illam servavit. Cfr. *Suarez* l. c. l. VII. cap. 16. n. 1. 6. sq., atque de consuetudinibus Eccl. Rom. servandis cfr. *Reiffenstnel* h. t. n. 166. Quare efficacia generalis huius consuetudinis cum non sit arbitrarie limitanda, sese extendit ad introducendas leges

(94) *D'Annibale* l. c. n. 203. not. 30.; *Gasparri*, De sac. ordinat. n. 53., 69. sq. 75. 159. sq. 211. 510., De matr. n. 26. 273. 304. sq. 904. 898.; *Lehmkuhl*, Theol. moral. t. II. n. 229. iunct. S. C. C. 14. Dec. 1901. in Anal. eccl. t. X. p. 12. sq. de consuetudinibus contra rubricas non admissis.

(95) *Suarez* l. c. l. VII. cap. 4. n. 5. sq. 9. 14. sq.; *Bauduin* l. c. p. 98. sq.; *Dolhagaray*, l. c. col. 2000.

(96) Cap. 8. X. h. t.; *Suarez* l. c. cap. 17.; *Bargilliat* l. c. n. 115.

prohibentes et praecipientes et permittentes, irritantes, mere poenales, favorabiles (97), nisi specialis probetur exceptio (98).

III. Consuetudo *contra ius* (99) imprimis illud efficit, ut *ius humanum sibi contrarium* sive scriptum sive traditum sive consuetudinarium, non solum praecipiens et prohibens et permittens, sed etiam irritans ad instar legis posterioris et abrogatoriae *plene vel partialiter tollat*.

Quae vis abrogatoria huius consuetudinis ita exseri potest, ut manente obligatione legis ad *culpam, poena ipso facto* transgressioni adiuncta abrogetur et in *poenam* forte ferendae sententiae mutetur, vel qualiscumque poena specialis tollatur.

Neque eidem consuetudini etiam in foro ecclesiastico neganda est efficacia abrogandi legis ecclesiasticae *obligationem directam in conscientia*, relicto solummodo debito ad *poenam* ecclesiasticam sustinendam, dummodo illa *poena* non sit *censura* aut adeo *gravis castigatio*, quae necessario *gravem culpam* supponit (100).

Quinimo consuetudo saltem *immemorialis* potest etiam praeiudicare legi humanae, quae adiunctam habet clausulam simpliciter *prohibentem*, imo tanquam *corruptelam reprobantem* omnem consuetudinem sibi *contrariam* etiam futuram, dummodo circumstantiae interim ita mutatae sint, ut consuetudo possit dici *rationabilis* (101). Quae mutatio circum-

(97) Cap. 3. X. de cognat. spirit. IV. 11.; cap. unic. III. 16. in Sext. iunct. Arch. f. k. K. t. 79. p. 58. de abrogatione clausulae *poenalis* per consuetudinem; Suarez l. c. cap. 16. n. 2. sq.; Schmalzgr. h. t. n. 16. sq.; Bauduin l. c. p. 87. sq.

(98) Bauduin l. c. p. 187.; De Angelis l. c. l. IV. tit. 1. n. 15. i. f.; Gasparri, De matr. n. 304. sq. 273., De sacr. ordin. n. 53. 159. sq.; D'Annibale l. c. n. 247. not. 20.

(99) Suarez l. c. cap. 18.; Schmalzgr. h. t. n. 20. sq.; Bauduin l. c. p. 91. sq. Cfr. v. g. cap. 3. X. de observ. ieiun. III. 46.

(100) Suarez l. c. cap. 19. n. 11. 12.; Reiffensluel h. t. n. 155. sq.; Bauduin l. c. p. 93. Quare Sanli h. t. n. 19. et De Angelis h. t. n. 11. *nimis generaliter* parumque accurate de legibus ecclesiasticis id negant.

(101) Schmalzgr. h. t. n. 23. Cfr. de hac controversia: Suarez l. c. cap. 19. n. 19. sq.; Reiffensluel h. t. n. 47. sq.; Biederlaek l. c. p. 469. sq. 619. sq.; Bauduin l. c. p. 94. sq.; Scherer l. c. p. 134.; Zilelli, De dispensat. matrim. p. 12.; Vering l. c. § 20. III. Qua in controversia non eo est procedendum, ut consuetudo quoque *ordinaria* v. g. 10 vel 40 annorum dicatur vi capitis finalis huius tituli procedere contra legem clausula consuetudinem prohibente munitam. Nam si asseratur non esse rationem statuendi exceptionem ab efficacia *ordinariae* consuetudinis in cap. fin. h. t. admissa, haec ipsa clausula consuetudinum prohibitoria est optima ratio statuendi exceptionem; secus illa clausula esset plane inefficax et illusoria. Praeterea

stantiarum fieri potest post longissimum tempus, si agatur de legibus *humanis* v. g. de obligatione certorum Capitulum recitandi *omnes* horas canonicas in *choro*; secus dicendum, si consuetudo quaedam tamquam corruptela ab ipso *iure diuino* omnino reprobata sit.

IV. *Consuetudo immemorialis* illam singularem habet vim, ut inducat *praesumptionem* iuris de *privilegio apostolico* obtento, si possessor habilis sit rem acquirendi sine *speciali* et *expresso privilegio apostolico*, et non agatur de iis favoribus, qui expresse petiti negantur vel tanquam abusus et corruptelae a iure reprobantur (102).

V. De probationibus consuetudinis.

192. I. Consuetudinis particularis *existentia*, cum sit res *facti*, quae a iudice probabiliter ignorari potest (103), non praesumitur, sed a parte illam allegante ordinarie probari debet, nisi sit notoria (104); iura enim novit Curia, neque in casu notorietatis parti consuetudinem *alleganti* onus probandi a iudice imponi potest, etiamsi altera pars litigans *neget* existentiam consuetudinis. *Rationabilitas* vero consuetudinis, quae est quaestio *iuris*, a iudice ex officio et examinanda et definienda, non per partes illam allegantes probanda (105) est.

II. Probatio *existentiae* consuetudinis cuiusdam particularis, ut sit efficax et plena, sese extendere debet excepta rationabilitate ad *omnes* conditiones essentielles, quae nituntur in facto. Plena et concludens fit probatio consuetudinis per

eaput fin. h. t. continet legem *generalem*, clausula vero prohibitoria est *lex specialis*; at ex R. l. 34. in Sext.; *Generi per speciem derogatur*; ergo si lex quaedam adiunctam habet clausulam prohibitoriam consuetudinis, efficacia *ordinariae* consuetudinis cap. fin. h. t. tollitur, ideoque deest consensus legalis.

(102) Bened. XIV. Constit. « *Declarasti* » 16. Mart. 1746. § Praescriptionem i. f., Const. « *Inter nulla* » 4. April. 1747. § Atque haec; *Schmalzgr.* h. t. n. 31. 32.; *Biederlack* l. e. p. 631. sq. Cfr. quoque *Schmalzgr.* l. V. tit. 33. n. 94. 95.

(103) Cap. 1. de const. l. 2. in Sext. et *Passerin.* l. e. in hoc eap. 1.; *Vering*, Gesch. u. Pand. § 20. V.

(104) *Schmalzgr.* h. t. n. 33. sq.; *Bauduin* l. e. p. 106. sq.

(105) Quod ius Episcopo non dat potestatem *expresse* eondendi legem consuetudini conformem, quae forte *contra ius commune* etiam legitime fuit introdueta. Cfr. *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. XII. eap. 8. n. 8. sq. *Seherer* l. e. p. 134. not. 21.; *Suarez* l. e. eap. 6. n. 15., ubi rite explicatur, quae *Seherer* l. e. not. 20. asserit.

testimonium authenticum Ordinariorum aut per statuta synodalia, in quibus consuetudo allegata commemoratur, aut per collectiones scriptas iuris consuetudinarii praesertim publica quadam auctoritate factas, aut per sententias iudiciales conformes, per duos saltem testes fide dignos, denique per scripta virorum doctorum aliaque documenta publica vel privata et iuris adminicula v. g. iuramenta (106).

III. Speciatim ad probandam consuetudinem *inmemorialem* vel *centenariam* requiritur, ut testes conformiter deponant sese saltem per 40 annos consuetudinem illam observatam *vidisse* atque a maioribus suis *audivisse semper* fuisse observatam, quin ipsi testes vel maiores viderint aut audiverint aliquid factum fuisse in contrarium (107).

VI. De cessatione et abrogatione consuetudinis.

193. I. Quemadmodum lex scripta ab intrinseco *cessare* potest per materiae cessationem vel finis desitionem, ita iisdem modis locum habet cessatio iuris consuetudinarii; nulla enim hac in re assignari potest ratio discrepantiae inter ius scriptum et non scriptum (108).

II. *Abrogatio* consuetudinis a causa *extrinseca* duobus modis fieri potest:

a) Per ipsam competentis legislatoris ecclesiastici *revocationem*. Quae revocatio sane habetur, si consuetudo a legislatore disertis verbis directe tollitur (109). Item *consuetudo generalis* per supervenientem *legem generalem* atque contrariam omnino abrogatur, licet in lege superveniente expressa mentio generalis consuetudinis contrariae non fiat. Verum ut *generalis lex* superveniens abroget *ordinarias consuetudines particulares*, expressa clausula: "*Nulla obstante consuetudine* „ requiritur (110). Quae clausula ut sit efficax contra consue-

(106) Bauduin l. e. p. 107. sq. p. 102. sq. Cfr. quoque L. 34. D. de leg. 1. 3. "*Cum de consuetudine civitatis vel provinciae confidere quis videtur, primum quidem illud explorandum arbitror, an etiam contradicte aliquando indicio consuetudo firmata sit* „.

(107) Bened. XIV. eit. Const. "*Inter multa* „ l. c.; *Reiffenstuel* h. t. n. 80.

(108) *Suarez* l. e. cap. 20. n. 1.; *Dolhagaray*, l. e. col. 2001.

(109) Cap. 1. X. h. t.

(110) Cap. 1. de const. 1. 2. in Sext. At de lege *ferenda* nihil obstat, quominus haec lex Bonifacii VIII. abrogetur, ita ut in posterum per legem generalem istis clausulis *non* munitam omnes consuetudines particulares etiam immemorales penitus abrogentur.

tudines immemoriales, necessario adiuncta habere debet ulteriora verba: " *Etiam inuemoriali* „. Quae verba si desint, per simplicem clausulam: " *Non obstante quacunque consuetudine* „ vel aequivalentem formulam consuetudo *inmemorialis non* censetur abrogata, nisi aliunde ex verbis legis specialis probetur exceptio (111).

b) Per *contrariam* quoque *consuetudinem* vel per simplicem *desuetudinem* sive generaliter sive particulariter etiam ipsum ius consuetudinarium abrogari potest. Cfr. cap. 1. X. d. R. I. V. 41.; *Schmalzgr.* h. t. n. 38.; *Reiffenstuel* h. t. n. 194. sq.; *Suarez* l. c. n. 19. sq.; *Bauduin* l. c. p. 115.

194. Scholion. I. Canonistae quamvis in generali principio conveniant, contraria consuetudine ipsas leges Conciliorum oecumenicorum posse abrogari, tamen inter sese dissentiunt, num illud principium decretis disciplinariis Concilii Tridentini applicari possit. Et *Lucidi* (112) quidem asserere ausus est: " *Norunt omnes contra decreta Concilii Tridentini nullam habere vim consuetudines etiam inmemoriales (?), veluti tenent doctores unanimiter (?)* „. Quae assertio his generalibus verbis concepta nec factis historicis comprobatur nec rationibus canonicis nititur neque ab auctoritate mutuat subsidium. Etenim *solus* fuit *Pignatellus*, qui *omnem* consuetudinem *etiam inuemorialem* contra decreta disciplinaria Concilii Tridentini *tanquam corruptelam* reiiceret. Alii *multi auctores* aut disertis verbis aut tacite consuetudines *inmemoriales* excipientes, tantum *ordinarias* consuetudines *contra* Concilium Tridentinum non admiserunt. Neque *defuerunt* neque *desunt* complures graves auctores, qui sententiam suis limitibus circumscriptam tenent, contra decreta disciplinaria Concilii Tridentini saltem aliquas consuetudines posse introduci (113).

(111) Cone. Trid. Sess. XXV. cap. 9. i. f. de ref.; S. C. C. 9. Maii 1626. in ed. *Richt. C. Tr.* p. 437. sq.; *Suarez* l. c. n. 3. sq.; *Reiffenstuel* h. t. n. 181. sq. Cfr. de clausula: " *Sublata* „: *Act. S. Sed.* t. 34. p. 352. sq., ubi eam accipit interpretationem, quod non tantum *tollat* consuetudinem contrariam iam existentem, sed etiam *impediat* futuram; at *Biedersack* in *Act. theol. Oenip.* t. VI. p. 620. sq. utramque vim clausulae " *Sublata* „ propriam esse haud sine fundamento negat atque unice concedit " *sublatam* „ illam iudicibus auctoritatem " *aliter iudicandi* „ solummodo efficere, ut *contra legem nova* consuetudo *difficilius* introducatur.

(112) De visit. sacr. lim. vol 1. cap. 3. n. 111.

(113) *De Angelis* l. c. l. I. t. 4. n. 12.; *Biedersack* in *Act. theolog. Oenip.* t. VI. p. 453. sq., ubi ex professo et solide ista controversia examinatur; *Sebastianelli*, *Praelect. iur. can. de person.* p. 50. Cfr. quoque *Bauduin*

Nam ut a generali regula iuris recedatur de vi et efficacia consuetudinis, sane perperam allegatur illa ratio, quod omnis consuetudo contra decreta disciplinaria Concilii Tridentini sit *irrationabilis*. Neque ex decreto irritante Pii IV. Constitutionibus “ *Beuedictus Deus* „ et “ *In principiis* „ addito efficax repeti potest argumentum. Denique etiam praxis tribunalium Romanorum in *authenticis decisionibus* huic sententiae non obstat. Nam compluribus decisionibus Rota Romana saltem *inmemorialem* consuetudinem contra decreta disciplinaria Concilii Tridentini admisit, neque desunt exempla quod ipsa S. C. C. in rebus saltem secundariis huiusmodi consuetudines habuerit legitimas aut saltem tolerandas esse existimarit (114). Nulla quoque existit declaratio sive particularis sive generalis S. C. C., qua *absoluto* et *generali* modo *ounes* consuetudines iuri Tridentino contrarias reprobarit. Cfr. *Bauduin* l. c. p. 185. sq. et supra h. tit. n. 191. i. f. Imo Pius VII. in Epist. ad Arch. Mogunt. 8. Octobris 1803. atque S. C. Inq. 11. Mart. 1868. (115) expressis verbis admiserunt legem irritantem cap. *Tanetsi* a Concilio Tridentino contra clandestina matrimonia latam et rite promulgatam per contrariam consuetudinem saltem immemoriam etiam *de facto* in compluribus regionibus fuisse abrogatam.

II. Cum ius scriptum *nobilitate, perspicuitate, certitudine* longe superet ius consuetudinarium, nihil profecto obstat,

l. e. p. 129. sq.; *Bargilliat* l. e. n. 117.; *Dolhagaray*, l. e. col. 2003. sq.; editores Act. S. Sed. vol. IV. p. 26. not. 1., ubi haec scribunt: * *Non nullo post Tridentinum Concilium inoeepit apud Canonistas invalescere dictio: Contra Concilium Tridentinum nulla admittitur consuetudo. Haec dictio, quae nec grave habuit ab initio fundamentum, admissa merito fuit a S. Congregatione Concilii (?): Dixi: Grave non habuit fundamentum; namque ea generalis etausula neque a Patribus Concilii Tridentini apposita fuit Decretis neque explicitè ab aliqua Constitutione Romani Pontificis. Attamen a variis auctoribus persaepe repetita fuit usque ad nostra tempora. Nihilominus haec dictio, quam post novam aliquam solemnem legem cogimur veluti subintelligere, decursu saeculorum pedetentim amittit suam veritatem et reapse modo videmus multas invaluisse consuetudines contra Concilium Tridentinum, quae irrationabiles praesertim pro locorum adiunctis non reputantur* *.

(114) Act. S. Sed. vol. VII. p. 379. XII. p. 492. vol. XIII. p. 264.

(115) Collect. S. C. de Prop. F. n. 1408.; *Gasparri*, De matrim. n. 904.; *Zitelli*, Apparatus iur. eccl. p. 389. Cfr. quoque *Gasparri*, De saer. ordin. n. 1140., quod non obstantibus rigidioribus responsis, quibus S. C. C. secundum mentem decreti Concilii Tridentini Sess. XXIII. cap. 17. de ref. ab exercitio ordinum etiam minorum laicos voluit excludere, consuetudo contraria illi decreto Tridentino generaliter sit recepta.

quominus in novo codice iuris canonici ad instar non paucorum codicum civilium disciplina hucusque de iure consuetudinario in foro ecclesiastico vicens et in praemissis exposita haud leviter immutetur. Id, quod imprimis ita fieri potest, ut ad promovendam *iuris uniformitatem* omnes consuetudines novo codici iuris canonici *contrariae* penitus abrogentur et pro futuro quoque tempore prohibeantur et irritentur. Praeterea aliae consuetudines quaecumque sive contra ius sive praeter ius, universaliter vel particulariter iam *legitime inductae* nec novo codici iuris canonici *contrariae* vix videntur esse generaliter tollendae, ne forte graves excitentur perturbationes; at haud leves rationes suadent, ut *in posterum* consuetudines etiam de se rationabiles contra ius non amplius admittantur, nisi saltem per *longius tempus* v. g. centenarium aut immemorabile fuerint praescriptae, imo forte a competente legislatore ecclesiastico expresse, specialiter scriptoque *approbatae*. Consuetudines quoque praeter ius in se *rationabiles* similibus normis videntur subiiciendae, dummodo iure speciali in his quoque v. g. in irregularitatibus de maiore rigore non iam caveatur. Quodsi disciplina vicens de consuetudine quoad substantiam videatur esse retinenda, sane non modice erit reformanda clariusque determinanda. V. g. *tempus* praescriptionis in consuetudine ex consensu *legali* inducenda, claris conceptisque verbis esset definiendum v. g. per quadraginta annos. Nam procul dubio in aliqua *lege* de consuetudine *praeter ius* introducenda tempus indeterminatum ex prudenti arbitrio iudicum definiendum, ut complures viri docti opinantur, non sufficienter consulit claritati atque certitudini iuris. Porro in consuetudine contra ius antiqua controversia de tempore decem aut quadraginta annorum ad praescriptionem requisito omnino esset dirimenda. Quod tempus si in *ordinariis* consuetudinibus contra ius non infra quadraginta annos sit taxandum, saltem in negotiis quibusdam gravioribus ad tempus *centenarium* aut *immemoriale* posset protrahi, v. g. si lex adiunctam habeat clausulam *simpliciter prohibentem* omnes contrarias consuetudines etiam futuras. Id, quod a fortiori obtinet, si *iure tantum humano*, non divino per clausulam specialem legi appositam omnis consuetudo contraria etiam pro futuro tempore in antecessum *reprobetur*.

Scholion.

De legibus civilibus.

195. I. *Legislatores civiles fontibus existendi* sive causis efficientibus iuris ecclesiastici adnumerari non possunt. Nam principes civiles ad condendas leges *de causis ecclesiasticis* omnino non sunt competentes. Ecclesia enim est societas *perfecta* et in ordine suo *suprema* et ratione sui finis etiam *summa* (116).

Quare optimo iure Ecclesia catholica inde a primis saeculis *leges a principibus saecularibus sibi de suis rebus obtrusas* et praesertim iuri divino et canonico contrarias constanter respuit atque nullas et irritas declaravit (117). Innocentius III. vero cap. 10. X. de const. I. 2. solemniter edixit statuta a laicis religiosis *motu proprio* etiam in *commodum* ecclesiarum condita nullius esse firmitatis, nisi ab Ecclesia fuerint *approbata*.

Quodsi nihilominus a principibus saecularibus leges ratione *materiae* plane congruae de rebus ecclesiasticis ferebantur, haud raro cum *tacita* vel *expressa* confirmatione Ecclesiae vere *canonizatae* sunt (118). At non paucae leges principum saecularium per Ecclesiam correctae vel expresse reprobatae sunt (119). Quandoque Ecclesia leges civiles incompetentiter

(116) Syllab. Pii IX. prop. 19. sq. 39. sq. 68. sq. ; Pii IX. Encycl. « *Quanta cura* » 8 Dec. 1864. ; Leon. XIII. Encycl. « *Inmortale* » 1. Nov. 1885., Encycl. « *Libertas* » 20. Iun. 1888., Encycl. « *Sapientiae* » 10. Ian. 1890., Encycl. « *Arcanum* » 10. Febr. 1880. ; *Wilners*, De Christi Ecclesia p. 133. sq.

(117) *Osius*, Cordub. Ep., ad Imper. Constantinum (a. 337.-361.) apud *S. Alhanas.*, Histor. Arianor. ad monach. cap. 44. (*Migne*, P. Gr. XXV. 743. sq.); Conc. Chalced. (a. 451.) i. f. Sess. IV. iunct. *Hefele* I. c. t. I. p. 741. t. II. p. 464. ; c. 1. (Nicol. I. a. 863.) D. 10. ; c. 1. (c. 3. Synod. Rom. a. 502.), 5. sq. (Nicol. I.), 9. 10. (Gregor. VII.) D. 96. ; cap. 7. X. de const. I. 2. ; *Suarez*, De leg. I. III. cap. 11. n. 11. l. IV. cap. 9. 10. 11. praesertim n. 13. sq. 16., ubi explicat leges Romanas et hispanicas in materia canonica datas ; *Bened.* XIV., De Synod. dioec. I. IX. cap. 10.-14. de usu legum civilium in Synodis ; *Laurin*, Introduct. in corp. iur. can. p. 260. sq. ; *Scherer* I. c. t. I. §§ 11. 12. 34. 45. 97. Cfr. quoque *Nussi*, Conventiones p. 271. de clausulis finalibus concordator. ; *Bargillial*, Praelect. iur. canon. n. 171. sq. de articulis organicis in Gallia.

(118) Cfr. de legibus Imperatorum Rom., regum Francorum aliorumque et Concil. mixt. : *Suarez* I. c. ; *Benedict.* XIV. I. c. ; *Scherer* I. c. ; *Hefele* I. c. t. III. p. 747.

(119) *Benedict.* XIV. I. c. *Zallinger* I. c. vol. II. p. 343. sq. 358. sq., ubi praeclare disserit de legibus princip. civil. et excessib. Imperat. Iustiniani ; *Scherer* I. c. § 12. n. 27. § 34. not. 8. 9.

latas tacite *de facto tolerat*, ubi de rebus secundariis agitur v. g. de acquisitione vel administratione bonorum temporalium Ecclesiae, et observantia (120) illarum legum *in se mala* non est atque ad vitanda mala maiora requiritur. Imo eo in casu Ecclesia citra formalem approbationem etiam expressis verbis (121) interdum tolerat vel permittit, ut fideles certas leges civiles observent. Quo in casu istae leges nequaquam *vi legum civilium* obligant, sed ex necessitate vitandi mala maiora et ex voluntate Ecclesiae. Tandem non raro Romanus Pontifex, quod ab initio per iniustas leges civiles usurpatum fuerat, concessione *indulti* vel *privilegii* in concordatis (122) sanat.

II. Quodsi legislatores civiles ut verae *causae efficientes* inter fontes existendi *iuris* ecclesiastici recensendi non sunt, tamen ratione *materiae* legum ecclesiasticarum causae quaedam *exemplares* exstiterunt. Saepe enim suis legibus optime ordinarunt *materiam propriae* et *nativae* suae iurisdictioni subiectam v. g. de domicilio (123), de ordine iudiciario (124), de contractibus ineundis (125), de infamia (126). Quae *materia* evidenter cum foro ecclesiastico est *communis*, neque potestas civilis in hisce legibus condendis limites suae competentiae violavit, uti accidit istis constitutionibus n. I. h. schol. commemoratis. Quare Ecclesia huiusmodi civiles leges ex sese valide sapienterque latas, longa experientia comprobatas atque fidelibus in suis negotiis saecularibus familiares

(120) Quare omnino falsum est leges civiles absolute et indiscriminate esse *fontes proprios* in hisce rebus temporalibus Ecclesiae, ut *Laemmer*, Inst. § 186. alique tenent. Cum non raro res *mere civiles* vocentur, quae mere civiles *non sunt*, ut patet exemplo allato de acquisitione bonorum temporalium, saltem anceps est assertio Ecclesiam in rebus mere civilibus *legibus Status* esse *subiectam*. Reprobanda quoque est propositio non raro divulgata: *Ecclesia legibus generalibus Status est subdita*, quasi Ecclesia esset corporatio quaedam privata, non societas perfecta, quae legibus Status ligetur, nisi forte in speciale ipsius *odium* sint latae. Cfr. *Saegmueller* l. c. p. 86.

(121) *Bened. XIV.* Litt. Ap. « *Redditae* », 17. Sept. 1746.; S. C. de Prop. F. 20. Febr. 1801.; Instr. S. Poenit. 15. Ian. 1866. in Collect. S. C. de Prop. F. n. 1390. 1398. 1406., ubi de matrimonio civili agitur.

(122) *Nussi* l. c. p. 125. 151. 171. 198. 202.

(123) *Laurin* in Arch. f. k. K. t. 26. p. 165. sq.

(124) *Molitor*, Ueber kanon. Gerichtsver. p. 32. sq. 234. sq.; *Bouix*, De iudiciis ecel. t. I. p. 19. sq.

(125) *Scherer* l. c. t. I. §. 34. not. 3.

(126) Cfr. e. 17. Conc. Matiscon. I. a. 581. = e. 7. C. II. q. 3.

etiam in foro ecclesiastico facile convenienterque adoptare potest. Neque quidquam obstat, quominus Ecclesia *lege generali* decernat in suo quoque foro huiusmodi leges civiles esse observandas, si negotium quoddam propter *lacunam* in iure canonico ex legibus ecclesiasticis terminari non possit.

Manifesta igitur est differentia inter *canonizationem* legis n. I. h. scholii commemoratam, et istam *legem generalem*. Etenim in priori casu agitur de lege civili ex *sese irrita* in *utroque* foro *etiam civili*, quae ex *sola* approbatione Ecclesiae vim atque valorem consequitur. In altero casu lex *ex sese* et absque ulla approbatione Ecclesiae in foro *civili* est omnino *valida*, et si quaestio incidat in foro *ecclesiastico* de huiusmodi legibus civilibus, Ecclesia illas pro foro *civili* semper ratas habet (127). At ut in foro *ecclesiastico* leges illae civiles *necessario* observandae sint, *approbatio Ecclesiae* omnino requiritur. Id, quod non solum tum obtinet, cum legibus ecclesiasticis res *iam est definita*, sed etiam cum lex ecclesiastica deficit, qua negotium terminari possit. Nam ex natura rei et per se tales leges latae a potestate alterius societatis plane distinctae atque Ecclesiae nequaquam superiore in foro ecclesiastico nullum habent valorem; ergo requiritur *positivus* actus legislatorius Ecclesiae, quo aut lege *generali* ius civile tanquam fons subsidiarius iuris canonici declaratur, aut lege *speciali* ordinatio quaedam particularis iuris civilis in foro ecclesiastico recipitur et approbatur.

Quibus praemissis universa quaestio reducitur ad quaestionem *facti*, num Ecclesia revera *aliquod ius civile* in istis causis communibus tamquam fontem subsidiarium admiserit. Qua in re dubium existere nequit, quin Ecclesia antiquitus approbarit *ius Romanum* (128) ut fontem subsidiarium, ad quem iudex ecclesiasticus potuit et debuit recurrere, si sacri canones decisionem causae non suppeditarunt. Cum ius ecclesiasticum magis magisque perficeretur et ad universas fere materias ecclesiasticas sese extenderet, huius fontis subsidiarii nostra aetate exiguus remanet usus, nisi excipias titulos libri I. et II. Decretalium *de iudiciis* (129), atque titulos

(127) Cap. 2. de except. II. 12. in Sext.

(128) Cap. 1. (Lucius III. a. 1181.) X. de nov. oper. nunt. V. 32.; supra h. t. not. 123. sq.; *Bartholus*, Inst. iur. canon. cap. 43. 44. 45.; *Devoti*, Ius canonic. t. I. cap. 15. § 18.; *Bovix* l. c.; *Molitor* l. c. in not. 124. h. tit.

(129) Conc. provinc. Compostell. a. 1837. tit. 7. cap. 1. * *In processibus quibuscunque concinnandis sacrorum canonum regulas et ordinariam ec-*

lib. I. et III. *Decretalium de pactis*. Verum in istis quoque titulis propter immutatam Ecclesiae disciplinam non pauca pristinam utilitatem amiserunt. Multo minus Ecclesia medio aevo omnes “ *leges barbarorum* „ inter fontes subsidiarios sui iuris generaliter recepit; at leges quasdam particulares iuris germanici v. g. de computandis gradibus consanguinitatis, de iuramento credulitatis suo iuri accommodavit.

Quodsi denique quaeratur, num Ecclesia nostra aetate fontibus subsidiariis saltem iuris *particularis* provinciarum ecclesiasticarum adnumeret *modernos* codices iuris civilis et criminalis diversarum nationum, certe *generalis lex ecclesiastica*, qua universalis approbatio omnium illorum codicum detur, omnino non existit. Neque legitima videtur esse illa *interpretatio*, quod nostra aetate antiquo iuri Romano iam substituendum sit ius patrium singularum nationum ut fons subsidiarius iuris canonici. Quam sententiam revera videtur defendere *D'Annibale*, Summula theol. mor. P. I. n. 201. At quamvis huiusmodi opinio quoad *legem ferendam* et quoad

eclesiasticorum tribunalium praxim servandas meminerint, ad civilium tramites non recurrendo, nisi praedictis praxi et regulis deficientibus et Ecclesiae velito non intercedente „ Quo in decreto, licet expressis verbis non dieatur, utrum intelligantur leges civiles antiqui iuris Romani, an recentiorum eodieum Hispaniae, tamen secundum sensum obvium, theoriam quorundam virorum doctorum et praxim quandoque receptam in Hispania recursus ad leges civiles Hispaniae videtur fuisse permissus, dummodo servarentur appositae clausulae limitantes.

Qui recursus cum a cit. Concil. Compost. ad *processus* restringatur, et ordo iudiciarius Ecclesiae iam magnam obtinuerit perfectionem, raro erit practicae utilitatis, imo in proecessibus eriminalibus praesertim S. O. est periculosus et attentata praxi Curiae Romanae licitus dici non potest. Certe hucusque in foro ecclesiastico ex iure communi praesertim de processu canonico viguit illa norma, quod *lacunae* in sacris canonibus forte existentes supplendae essent *legibus Romanis*. Cfr. *Legis*, De iudiciis eccl. t. I. p. 14.; *Bovix*, De iudic. eccl. t. I. p. 19. sq.; *Schulte*, Eheproc. p. 96.; cap. 10. X. de probat. II. 19. iunct. *Suarez*, De leg. I. IV. cap. 11. n. 13. sq.

Quare cum Gregorius XVI. decrevisset etiam a Curiis ecclesiasticis Status pontificii in causis *civilibus* observandum esse codicem pro foro civili publicatum scl. Regolamento legislativo e giudiziario, id §§ 399. 1707. ibidem specialiter expressum et statutum est. At postquam ordo iudiciarius in causis eriminalibus pro foro saeculari laicorum Status pontificii applicari quoque coeptus est in tribunalibus criminalibus fori ecclesiastici, S. C. Ep. et Reg. decreto 15. Dec. 1834. § 16. id omnino prohibuit. Cfr. quoque decret. S. C. Ep. et Reg. 22. Mart. 1898. in Anal. eccl. t. VI. p. 146. t. XI. p. 163. sq. de tempore praescriptionis in causis criminalibus clericorum deficientibus legibus ecclesiasticis ex iure *Romano*, non ex *utoderno* iure saeculari definito.

consuetudines particulares inducendas sit attentione digna, tamen quoad *legem latam* concludentibus argumentis non demonstratur (130) et *duplicem* quandam *quaestio*rem non satis videtur distinguere.

(130) Quae sententia Cardinalis *D'Annibale* certe non probatur, si quis allegat verba *Benedict. XIV.*, De Synod. dioce. l. IX. cap. 14. n. 11.: « *Eiusmodi leges, si rem speetent pure profanam neque ulla ex parte saeris canonibus adversantur, tacite approbatae videntur in cap. 1. de nov. op. unnciat X.* ». Nam quamvis ibidem loquatur de legibus saecularibus, tamen ut patet ex capitibus iuris Decretalium (cfr. cap. 28. X. de privileg. V. 33.; cap. 1. X. de nov. op. V. 32.) atque legibus saecularibus a se in contextu citatis, evidenter intelligit *leges Romanas, non leges civiles eiuscunquae nationis*. Quotiescunquae enim in corpore iuris canonici simpliciter commemorantur leges civiles vel ius civile, non leges barbarorum vel ius consuetudinarium particularium gentium, sed leges Romanae intelliguntur. Cfr. *Scherer*, Handb. d. k. K. t. I. p. 158.; *Schulte*, Lehrb. d. k. K. p. 38. 152. Multo minus valent rationes a *D'Annibale* l. c. obscuro quodam modo propositae: « *1. Quia ideo utrumque ius favetur mutuo, quia utraque potestas mutuo favori debet, num potestas, quae desiit?* » (Quae ratio probat *possibilitatem* novae praxis ecclesiasticae, non *factum* mutatae disciplinae. Praeterea non satis attendit *historiam* iuris. Nam eo tempore, quo Ecclesia in suo foro recepit et retinuit ius Romanum ut fontem subsidiarium, *potestas* antiquorum Imperatorum Romanorum iam pridem *desierat*, atque adeo in foro civili Germaniae, Hispaniae, Angliae, Galliae septentrionalis nequaquam *leges Romanae* tunc erant receptae, sed propriae consuetudines et leges nationales. Cfr. cap. 28. X. de priv. V. 33.; *Suarez*, De leg. l. III. cap. 8. Nihilominus Ecclesia etiam in hisce regionibus ius nationale tunc vigens in suo foro non adoptavit. Cfr. *Analect. eccl. t. XI. p. 161.*)

« *2. Quia ius canonicum non adsevit leges civiles quasi consulta virorum prudentum, sed quasi iussa legitimae potestatis...., quae aequitatis et iustitiae vestigia imitantur,... ut coniunetis viribus tenerent fortius.* » (Quod argumentum pariter laborat illo vitio intrinseco, quod a priori demonstrat rem, quae *in facto* consistit, et in allegato cap. 8. X. de fide instrum. II. 22. *ius commune Ecclesiae*, ad quod R. Pontifex provocat, *D'Annibale* confundit eum *iure civili*. Porro si ius Romanum in foro ecclesiastico obtinuit vim legis, id ex approbatione Ecclesiae est repetendum; parum igitur retulit, utrum in foro civili adhuc vigeret, neque. Deinde *vestigia* illa *aequitatis* et *iustitiae* profecto reperiebantur in iure Romano; etenim Ecclesia recepit ius Romanum Imperatorum *christianorum*, non pagano-*rum*, iustitia et aequitate naturali commendatum. Quae ratio in favorem omnium codicum modernorum in antecessum allegari nequit. Denique ius Romanum, eum esset *unicum* et *universale*, quam maxime idoneum fuit, quod ab Ecclesia *universali* in subsidium admitteretur. Quae unitas et uniformitas non amplius haberetur, si lege universali omnes et singuli codices moderni iuris civilis *generaliter* declararentur fontes subsidiarii iuris canonici).

« *3. Abrogato hodie fere ubique gentium foro ecclesiastico* (i. e. privilegiato?), *quo iure tuerentur se clerici in foro civili.* » (Quo argumento interrogatorio id probatur, quod non negatur, ut patet supra ex textu de duplici quaestione distinguenda; illud autem, quod probandum esset, non

Profecto nunc in *foro civili*, post abrogatum ius Romanum tanquam verum fontem et codicem authenticum iuris civilis, codices *novi iuris patrii* sunt attendendi. Ubi vero, sublato foro *privilegiato* ex concessione tacita vel expressa Ecclesiae, *causae temporales* personarum ecclesiasticarum in foro saeculari definiuntur, iudices *civiles* unice sequuntur ius patrium (131). Inde autem non sequitur iudices *ecclesiasticos*, si de causis agatur etiam ex disciplina vigente foro *ecclesiastico* reservatis, posse inconsulta Sede Apostolica aut legitima consuetudine non suffragante neglectis legibus Romanis ad ius patrium ut fontem subsidiarium recurrere, ubi forte in iure canonico reperiatur lacuna. Certum enim est Ecclesiam ex iure antiquo tantum ius Romanum ut fontem subsidiarium admisisse. Cuius iuris abrogatio vel immutatio hucusque novo iure *generali* non est facta. Cfr. *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 11. n. 14. At profecto nihil obstaret, quominus Ecclesia in materiis *quibusdam* communibus v. g. de aetate maiore, de pactis, testamentis, domicilio etc. cum certis clausulis limitantibus loco iuris Romani adoptaret sanctiones iuris civilis recentiorum codicum, ut inter utrumque forum confictus vitarentur, atque concordia stabiliretur tantopere desiderata.

III. Si Ecclesia in ipso *foro civili* favores et beneficia consequitur velut *feuda*, *dignitates* et *magistratus civiles*, dubium existere non potest, quin de istis causis ecclesiasticis legislatores et leges civiles sint veri fontes. Hinc vel ipso tempore

probatur sel. in causis, quae etiam *nunc* soli iudicio Ecclesiae sunt reservatae v. g. de vineulo matrimonii, codices *modernos* habere vim fontis subsidiarii in foro ecclesiastico. Nam si Ecclesia v. g. in concordatis tolerat, ut *certae causae temporales* clericorum et institutorum ecclesiasticorum v. g. de pactis, testamentis ad trames iuris *civilis* definiantur in foro *saeculari*, perperam inde deducitur illa nimis *generalis conclusio*, quod leges modernorum codicum civilium in *omnibus causis* vel in ipso foro *ecclesiastico* agitatis sint fons subsidiarius. Exempla quoque a *D'Annibale* allata non sunt ad rem; nam in priore exemplo certe causae testamentorum laicorum, imo etiam clericorum nunc in foro *saeculari* secundum leges *civiles* defini solent; alterum vero exemplum de *iure beneficali* certe ex iure *canonico*, non ex iure *italico* de *usufructuario* in genere est diiudicandum). Cfr. *Besson* in *Revue théologique française* (a. 1893.) p. 730. sq.; *Lombardi* (defensor vincul. matrim. in S. C. C.) in *Analect. eccl.* t. XI. p. 163.: * *Ex singulis argumentis, quibus D'Annibale sententiam hanc firmare conatur...., ne unum quidem (est), quod sat comode everti nequeat.* .

(131) *Nussi* l. e. p. 178. 189. sq.; *Convent. Leon.* XIII. p. 5. sq. 77.; *Lega* l. c. t. I. p. 15.; *Besson* l. c.

medii aevi Ecclesia iudicia de feudis regni vel imperii a viris ecclesiasticis forte possessis suo foro non reservavit, sed Curiae parium sive foro saeculari reliquit (132).

Item principes civiles sunt veri fontes iuris in illis *causis clericorum* v. g. in testamentis vel pactis de bonis privatis, quae ex *iure tantum humano Ecclesiae* olim foro canonico fuerunt reservatae, nunc vero propter abrogatam legem canonicam denuo sub *nativa* et *propria* potestate legifera principum saecularium sunt constitutae (133).

Diffitendum vero non est catholicos quosdam scriptores atque multo magis acatholicos falso non paucas causas *propriae potestati* legiferae principum civilium subiicere atque ex meris *privilegiis civilibus* repetere complura iura Ecclesiae, quae nequaquam ex *solo iure civili* sunt derivanda (134).

(132) Cap. 6. X. de for. comp. II. 2.

(133) *Nussi* l. c.; *Palmieri*, De Rom. Pont. p. 567.

(134) *Scherer* l. c. §§ 34. 45.

PARS SECUNDA

DE FONTIBUS COGNOSCENDI

SIVE

COLLECTIONIBUS IURIS ECCLESIASTICI.

Praenotiones.

196. I. **Connexio materiae et definitio.** Absoluta disputatione de *fontibus existendi* iuris ecclesiastici sive de competentibus legislatoribus in Ecclesia catholica, restat inquisitio, *ubinam* leges ab illis legislatoribus certo latae vere reperiantur, unde in parte speciali tuto argumenta derivari possint. Quare agendum est de fontibus *cognoscendi* iuris ecclesiastici. Qui fontes cognoscendi *sensu lato* comprehendunt omnia media, quibus ad cognitionem alicuius ecclesiasticae legis scriptae vel traditae vel consuetudinis pervenimus (cfr. h. tom. I. n. 185. sq.); at sensu stricto intelliguntur illi *libri*, in quibus leges ecclesiasticae maiori minorive ambitu reperiuntur *collectae*, unde tanquam ex legitimis depositariis leges nobis voluntatem *Dei* vel *Christi* legislatoris vel *Ecclesiae* manifestantes rite depromi possunt. Quodsi maximi momenti est cognoscere leges unice competentes in Ecclesia catholica sive fontes existendi iuris ecclesiastici, non minus necessaria est cognitio illorum *legitimorum depositariorum*, ne quis sub specie legitimi fontis existendi graviter erret in *facto* aut forte alléget *leges iam pridem non amplius vigentes*. Universa igitur inquisitio de fontibus cognoscendi hoc loco reducitur ad disputationem de *collectionibus iuris ecclesiastici*. Quae disputatio si fiat ordine chronologico, simul exhibet *historiam* illarum *collectionum* iuris ecclesiastici et solidum suppeditat fundamentum *historiae litterariae* scientiae iuris canonici (1).

(1) *Zallinger* l. c. vol. II. p. 216. sq. 263. sq. 401.; *Vering*, Lehrb. d. k. K. §§ 11. sq.; *Scherer* l. c. §§ 21. 41. sq.; *Bargilliat* l. c. n. 122. sq. Cfr. h. tom. I. n. 66. scriptores de historia fontium iuris ecclesiastici.

II. **Divisio.** Collectiones iuris ecclesiastici dividuntur:

a) ratione *materiae*, in collectiones iuris *divini* et collectiones iuris *humani*, in collectiones *canonum* vel *decretalium* vel *mixtas* ex canonibus et decretalibus vel ex legibus ecclesiasticis et civilibus de rebus canonicis latis (nomocanones);

b) ratione *ambitus*, in collectiones iuris *universalis* et iuris *particularis*, *singularis* vel *specialis* v. g. iuris matrimonialis;

c) ratione *methodi* vel *ordinis*, in *chronologicas* sive historicas, in quibus canones connectuntur secundum tempus, quo a legitima potestate Ecclesiae conditi sunt, et in *systematicas*, quae canones ordinant secundum naturam iuridicam rei in singulis canonibus contentam;

d) ratione *fidei* et integritatis, in *genuinas* et *pseudepigraphas* et *spurias*; *genuina* dicitur collectio, quae ab eo est confecta, cui adscribitur, sive quae veri auctoris refert indicationem et saltem quoad substantiam vera et integra iura continet; e contra *pseudepigrapha* habetur collectio, quae falsam refert epigrapham sive falsam auctoris indicationem; *spuria* vero vel *apocrypha* est collectio iuris ecclesiastici, quae ordinarie non solum *falso* cuidam *auctori* adscribitur, sed etiam saltem quoad principalem rem contentam iuridicis fictionibus et falsificationibus constat neque fidem meretur (2).

e) denique ratione *auctoritatis*, qua factae sunt, distinguuntur collectiones *privatae* et collectiones *publicae*, quae non raro etiam *authenticae* appellantur.

Et *privata* quidem dicitur collectio, quae ab homine privato est facta nec postea ab ipso legislatore sive expresse sive tacite approbata; *publica* vero ea est collectio, quae ab auctoritate *publica* est confecta et publicata, aut saltem postquam a viro privato fuit compilata, expresse vel tacite est *confirmata* (3).

Auctoritas ecclesiastica in collectionibus iuris canonici *diversis gradibus* atque *modis* intervenire potest.

Etenim *collectio* quaedam a *viro privato* forte etiam sub *auspiciis* Romani Pontificis facta a competente auctoritate ecclesiastica *imprimi* et *divulgari* *peruultitur*. Quo in casu collectio publica proprie dicta non habetur, neque singulis documentis maior accedit fides historica valorque iuridicus v. g. in Bullariis, nisi excipias saltem primum tomum Bullarii Benedicti XIV.

(2) *Cornely*, Historie, et critic. introd. in u. t. libr. sacr. vol. I. p. 196. sq.

(3) *Scherer* l. c. t. I. p. 195. 196.

Porro *ab auctoritate publica Ecclesiae* potest editio quaedam collectionis ita curari, ut textus *ex officio* definiatur, quem viri privati in aliis editionibus non iam *mutare* possint. At inde nequaquam omnibus collectionis partibus *maior auctoritas* concessa est, quam forte extra collectionem *non* habent v. g. Decreto Gratiani in edit. corporis iuris can. Gregorii XIII.

Insuper *testimonio publico* auctoritatis ecclesiasticae constare potest singula documenta alicuius collectionis esse *absolute genuina*, ita ut nemo illa in iudicio repellere possit. Valor iuridicus decretorum per insertionem in talem collectionem non est mutatus. Quare v. g. manent *leges particulares*, si extra huiusmodi collectionem *leges universales* Ecclesiae non exstiterunt (4).

Tandem *suprenus et universalis legislator in Ecclesia catholica* collectionem quandam legum ecclesiasticarum ita *publicare* potest, ut *singulae* leges quoad partem *dispositivam* *vi ipsius insertionis* in huiusmodi collectionem valorem *legum universalium* in foro ecclesiastico habeant, licet forte textus quidam inserti extra collectionem fuerint spurii aut valore saltem iuridico destituti aut vi tantum *legis particularis* praediti (5). Maxime hoc ultimo sensu canonum collectio dicitur *authentica*. Quare collectio quaedam *ut collectio* non fit *sensu stricto authentica* per hanc solam circumstantiam, quod *omnes et singulae* illius partes sint *genuinae Constitutiones Rom. Pontificum* (6).

TITULUS XI.

DE ANTIQUIS IURIS ECCLESIASTICI COLLECTIONIBUS.

(A *fundatione Ecclesiae usque ad Gratianum a 29.–1139./1150.*)

§ 1. DE SACRA SCRIPTURA ET TRADITIONE DIVINA.

I. De sacra scriptura (7).

197. I. Unica et adaequata *causa efficiens iuris divini* est voluntas Dei legifera. Quam voluntatem legiferam Deus hominibus manifestavit tum lumine rationis tum revelatione

(4) Bullar. Benedict. XIV. t. I. praefat. ipsius Bened. XIV.

(5) Decretales Gregorii IX., Bonifacii VIII., Const. Clem. V.

(6) Extravag. com. et Ioannis XXII. et Bullar. Bened. XIV.

(7) *Cavagnis*, Inst. iur. publ. P. I. p. 11. sq.; *Zallinger*, Inst. iur. nat. et eccl. t. II. p. 260. sq.; *Kihn*, Encyklop. u. Methodol. d. Theol. p. 143. sq. 218. sq.; *Pesch*, De insp. sac. script. p. 125. sq. 199. sq. 205. sq. 327. sq.

positiva in vetere et novo testamento per Moysen aliosque nuntios suae voluntatis et per Christum Dominum, verum legislatorem divinum. Illa vero revelatio divina tanquam in pretiosissimo instrumento et veluti *in epistola Dei* ad homines scripta reperitur magna ex parte, at non integre (8) consignata in sacris vereque a Deo *inspiratis libris utriusque* testamenti. Qui sacer codex ab ipso summo legislatore confectus tanquam corpus iuris divini etiam in sacra iurisprudentia principem occupat locum. Nam teste Innocentio III. cap. 24. X. de accus. V. 1. = cap. 8. Conc. Later. IV. a. 1215.: “*Ex auctoritatibus veteris et novi testamenti colligitur evidenter, ex quibus postea processerunt canonicae sanctiones* „.

II. Dubium existere non potest, quin in *omnibus* libris sacris veteris et novi testamenti recensitis a Concilio Tridentino habeatur vere et proprie *verbum Dei inspiratum*. Qui libri etiam integri et cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis sunt suscipiendi. Ex omnibus vero editionibus *latinis* sacrorum librorum ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica (9) est habenda (10).

III. In libris illis *inspiratis utriusque* testamenti ea continentur, quae ad *ius divinum credendorum* et *agendorum* sive

(8) Recte enim scribit iam S. Augustinus e. 8. D. 11. “*Quidquid in ea (i. e. Ecclesia) tenetur, aut auctoritas est scripturarum aut traditio universalis aut certe propria et particularis instructio* „. Cfr. quoque e. 5. D. 11. = S. Basil. serm. de Spir. S. cap. 27.; cap. 6. X. de celebr. miss. III. 41.; *Peseh* l. c. n. 573. 574.; *De San.* De div. trad. et. script. n. 22. sq. 54. sq. 60. sq.

(9) Conc. Trid. Sess. IV. decret. de canon. scripturis, decret. de ed. et usu s. libror.; Concil. Florent. decret. pro laeobitis. = Const. “*Cantate* „ 4. Febr. 1441. § 6. Cfr. quoque e. 36. Conc. Hippon. (a. 393.); e. 3. D. 15. = Decretum Gelasii (a. 496.) et Hormisdæ (a. 520.), de quo consuli possunt: *Thiel*, Epist. Rom. Pont. p. 44.-58. p. 454. sq. 391. sq.; *Hefele* l. c. t. II. p. 618. sq.; *De San.* n. 581. in nota; corp. iur. can. in ed. *Friedberg* ad cit. e. 3. D. 15. Cfr. propositiones 1.-24. damnatas decr. *Lamentabili* 3. Iul. 1907. apud *Denzinger-Bannwart*. l. c. n. 2001. sq.

(10) Quaestiones dogmaticas de inspiratione librorum sacrorum examinant: *Franzeliu*, Traet. de divina trad. et scriptura aliique theologi scholastici velut *Canus*, *Kilber*, *Kleutgen*, *Schmid*, *De San.*, *Peseh*; de canone, textibus originalibus et versionibus, interpretatione sacrae scripturae disserunt: *Cornely* l. c. vol. I. p. 19. sq. 231. sq. 510.; *Lamy*, Introd. in S. Script.; *Ubaldi*, Introd. in S. Script.; *Kaulen*, Einleitung in d. h. Schrift. aliique. Cfr. *Kiln* l. c. p. 161. sq.

ad *dogmata* et *praecepta* referuntur. Inter illa dogmata alia sunt communia libris sacris veteris et novi testamenti veluti de unitate Dei, alia uniuscuiusque testamenti libris sunt particularia velut de expectatione Messiae et eius adventu, de sacrificio et sacramentis, de constitutione Ecclesiae.

Quoad *valorem* praeceptorum *moralium*, *caeremonialium*, *iudicialium*, quae in eisdem libris canonicis *veteris testamenti* reperiuntur, ea tenenda sunt, quae supra h. tom. I. n. 82. sq. sunt exposita. Hinc scripturae sacrae veteris testamenti non nisi *imperfecta* quadam ratione *fontibus cognosceudi* iuris ecclesiastici adnumerari possunt.

Nihilominus *adminiculum* quoddam sunt leges ecclesiasticas melius cognoscendi. Nam Ecclesia ex illis libris sacris veteris legis interdum ad verbum aliquas leges in numerum canonum recepit *suaque auctoritate* ratas habuit (11). Praeterea si quid in libris veteris testamenti ad ornatum cultus divini vel sacerdotii dignitatem constitutum esse reperitur, facile inde argumentum peti potest, quo *convenientia* ad similes leges ferendas in favorem cultus et sacerdotii perfectioris luculenter demonstratur. Praesertim vero leges ab ipso divino legislatore in antiquo testamento per scripturam inspiratam promulgatae luce meridiana clarius probant Ecclesiam in similibus legibus condendis *nou errasse* neque promovisse superstitionem vel inanem cultum (12). Denique illi praesertim textus librorum veteris testamenti etiam nunc allegari possunt, qui non nisi legis naturalis *practica corollaria* continent veluti lex iudicibus data iudicandi sine acceptatione personarum (13).

Sacri libri *novi testamenti* uberrimus sunt fons salutaris veritatis et legis a Christo Domino cum hominibus communicatae. Ex illis enim ius de *constitutione divina Ecclesiae* v. g. de primatu S. Petri derivatur, atque quamplurima, quae spectant ad regimen et disciplinam Ecclesiae, sive ut alii dicunt, ad ius privatum; v. g. unitas et indissolubilitas matrimonii solide comprobari possunt (14). Quare gravissimus

(11) Cap. 1. 3. X. de homic. V. 12.; cap. 1. X. de furt. V. 18.; cap. 1. 5. X. de iniur. V. 36.; cap. 1. 2. X. de adult. V. 16.

(12) *Zallinger* l. c. p. 271. sq.; c. 7. D. 77.; c. 20. Conc. Tolet. IV. (a. 633.).

(13) Deuteron. I. 17.; c. 14. 15. C. XXXII. q. 2.; c. 2. C. XX. q. 2.

(14) Conc. Trid. Sess. IV. l. c., Sess. VI. de iustif. can. 21.; *Zallinger* l. c. p. 260.; *Phillips*, Kirchenrecht vol. I. p. 57. sq.; *Devoti*, ius canonic. universum t. I. cap. 2. sq., Instit. canonic. proleg.

est error, si recentiores quidam canonistae protestantici velut *Hinschius* (15) in partem plane oppositam a suis praedecessoribus secedunt atque vix attenda sacra scriptura ex “*evolutione historica* „ quasi ex vero quodam iuris fonte iura Ecclesiae praesertim ordinis publici deducunt vel potius impugnant. A quo errore etiam catholici quidam scriptores (16) non satis caverunt, cum ibi supponerent silentium scripturarum, ubi scripturae non silent, sed legitima interpretatione facta potius enuntiant solida iuris ecclesiastici fundamenta.

II. De traditione divina.

198. *Traditio divina* quamvis tempore sit prior sacris scripturis atque iisdem *auctoritatem extrinsecam* tribuat (17), tamen ratione *dignitatis* inter fontes cognoscendi iuris divini, ad quos nos remittit sacra Ecclesiae auctoritas (18), *secundum* occupat locum; revelationem vero in sacra scriptura contentam partim explicat *partim complet*; unde traditio divina distinguitur in interpretativam et constitutivam.

Et in traditione quidem, quae vi notionis opponitur *propriae inventioni* et *electioni*, *recenti constitutioni*, *scriptae communicationi*, distingui potest *materia* et *forma*.

Materia traditionis sunt ipsa dogmata, facta divina et humana, institutiones rituum vel functionum, iura a maioribus ad nos transmissa; *forma* vero sita est in testimonio, professione, usu, exercitatione talis dogmatis vel ritus vel iuris sive in tota serie mediorum, quibus dogmata illa, iura etc. ab initio viva voce tradita ad nos propagata sunt. Quare cum hoc loco agatur de traditione divina (19), ut est *fons cogni-*

(15) System d. k. Kirehenreehts t. 1. p. 195. sq. t. IV. p. 691. sq. Cfr. *Zallinger* l. c. p. 371. sq. de historia et critica tanquam necessariis adminiculis iuris saeri.

(16) *Martens*, Die Beziehungen d. Ueberord. etc. p. 1. sq. 23. 29. 65.; (quem auctorem aliosque recte refutat *Hammerstein* l. c. p. 63. sq.); *Scherer* l. c. §§ 9. 10. 14. Cfr. quoque *Michael* in Act. theol. Oenipont. t. XVII. p. 716. sq.

(17) *Zallinger* l. c. p. 5. sq. 236. sq.; *Devoti*, lus canonie. t. 1. cap. 13. § 2. cap. 16.; *Franzelin* l. c. p. 1. sq. 10. sq.; *Kihu* l. c. p. 289. sq. 336. sq.; *Pesch*, Praelett. dogm. t. 1. n. 564. sq. 643. sq.

(18) Cone. Trid. Sess. IV. decret. de canonie. scripturis; *Biederlack* in Act. theol. Oenip. t. XVII. p. 708.

(19) Praeter traditiones *divinas* distinguuntur etiam ratione originis traditiones *apostolicae* et traditiones *ecclesiasticae*. De *San.*, l. c. n. 2. Quodsi *Devoti* l. c. cap. 16. § 2. not. 1. reprehendit divisionem traditionis

tionis, traditio potissimum spectatur secundum *formam* et continetur omnibus illis *documentis* et *monumentis*, quibus ex doctrina theologorum materia traditionis viva voce factae cognoscitur atque transmittitur. Huiusmodi monumenta sunt *symbola* et publicae fidei professiones (20), *acta* et *decreta Conciliorum* (21), *opera SS. Patrum* (22), *acta martyrum et confessorum* (23), *libri liturgici et sacramentaria* (24), *libri poenitentiales* (25), *collectiones canonum* (26), *historia et archaeologia ecclesiastica* (27), imo non raro ipsorum haeticorum et schismaticorum et hostium religionis christianae opera (28). Cfr. *Franzelin* l. c. p. 127. sq.; *Scheeben* l. c. p. 162. sq.; *de San.* l. c. n. 140. sq.

199. Scholion. *Fons cognoscendi iuris naturalis* est ipsa *natura rationalis* hominis, in cuius contemplatione lumen rationis voluntatem Dei legiferam cognoscit atque promulgat (29). Similiter etiam in ordine supernaturali, postquam positiva quaedam institutio Dei ex fontibus revelationis demonstrata

apostolicae in divino-apostolicam et mere apostolicam, forte ab hac reprehensione abstinuisset, si cit. deeret. Concil. Trid. Sess. IV. accuratius expendisset et doctrinae iam a Stapleton (cfr. *Franzelin* l. c. p. 13. sq. 19. sq. 231. sq.) expositae rationem habuisset. Ex illa enim patet inter Apostolos et reliquos Ecclesiae pastores discrimen intereederere.

Denique sunt traditiones, quae spectant aut ad *fidem* aut ad *mores* aut ad *disciplinam*. Aliae sunt *perpetuae*, aliae tantum ad *certum tempus* institutae; tandem possunt esse *universales* aut *particulares*. Cfr. *Devoti* l. c. cap. 16. §§ 2. 3. 4.; *Franzelin* l. c. p. 13. sq.

(20) *Denzinger-Bannwart*, *Enchiridion* n. 1. sq.; *Lazerus*, *De antiquo usu form. fidei*.

(21) *Hefete*, *Concilieng.*

(22) *Migne*, *Patrologiae cursus completus*; *Fessler-Jungmann*, *Institutiones Patrologiae*; *Nirsehl*, *Lehrb. d. Patrolog.*; *Bardenhewer*, *Patrologie, Gesch. d. altkirchl. Lit.*; *Monegal*, *Compend. d. Patrolog.*; *Ius*, *Patrologia*; *Zallinger* l. c. p. 310. sq.; *Bonix*, *De prime. iur. can.* p. 161. sq.; e. 3. D. 15. (Decretal. Gelas. a. 496.); e. 7. D. 16.; e. 2. Conc. Trull. (a. 692.); e. 1. D. 20.; Leon. IV. *Epist. ad Britann. Episcop.* (a. 849.). Cfr. de theologorum et canonistarum consensu: *Franzelin* l. c. p. 168. sq.; *De San.* l. c. n. 241. sq.; *Zallinger* l. c. p. 310. sq. 321.

(23) *Ruinart*, *Acta primorum martirum sineera*; *Bardenhewer*, *Patrolog.* § 26.

(24) *Thalhofer*, *Liturgik* vol. I. § 5.; *Kihn* l. c. p. 498. sq.

(25) *Schmitz*, *Die Bussbuecher*.

(26) Cfr. infra §§ 2. sq. h. tit.

(27) *Zallinger* l. c. p. 371. sq.

(28) Cfr. argumentum praescriptionis.

(29) *Cathrein*, *Philosoph. mor.* n. 84. sq. 156. sq. 237. sq., *Moralphilosophie* t. I. p. 332. sq. 485. sq.

est, *solo lumine rationis ex natura rei*, ut dici solet, non pauca iura deducuntur (30). Quae iura naturalia cum non raro positivis quoque legibus Ecclesiae sint confirmata, etiam in collectionibus iuris ecclesiastici scripto consignata reperiuntur. Quare iudicibus ecclesiasticis nequaquam frequenter et immediate solum ius naturale erit applicandum; etenim definitionibus et legibus positivis Ecclesiae saepe iam est sufficienter expressum (31).

§ 2. DE COLLECTIONIBUS IURIS APOSTOLICI.

200. Singuli Apostoli instructi erant vera quadam iurisdictione (32), quae tamen *absolute et simpliciter universalis* non fuit, sed *extensione et intensitate* minor quam iurisdictione S. Petro vi sui primatus concessa (33). Indubitatum quoque est ipsos de facto complures leges disciplinares tulisse partim in sacra scriptura (34) partim in traditione mere apostolica (35) contentas.

Inde a primis saeculis non paucae circumferebantur scripturae (36) vel collectiones canonum (37), quae Apostolis vel saltem uni (38) ex eis falso fuerunt adscriptae. Quare isti libri, quamvis demptis additionibus et falsificationibus et erroribus non raro ius antiquum testentur v. g. de qualitatibus et obligationibus clericorum, de sacris ordinationibus et coelibatu, de vi legis Mosaicae suaeque vi et efficacia in

(30) *Lugo*, De virt. fidei div. disp. 19. n. 14.; *Suarez*, De leg. l. X. cap. 2.

(31) Cfr. v. g. Sixti V. Const. « *Cum frequenter* » 22. lun. 1587. de matr. eunuch.; ordin. iudic. Ecclesiae de citatione et defensione reorum.

(32) *Devoti*, Ius canonic. t. I. cap. 3. et 4.; *Phillips* l. c. t. I. §§ 12. sq. 18. 19.; *Kitn* l. c. p. 279. sq.

(33) Cfr. supra h. tom. I. n. 91. 92.

(34) *S. Pauli* ep. ad Timoth. et ad Titum; Act. Apost. XV. 29.

(35) *Bouix*, De Princip. iur. canonie. p. 146. 149. 159. sq.

(36) Huc spectant: Praedicatio Petri (*κῆρυγμα πέτρον*) aliaque similia apocrypha « *acta* » Apostolorum, quorum longus catalogus una cum apocryphis « *epistolis* » Apostolorum refertur in Kirchenlex. t. I. p. 1077. sq. Cfr. quoque *Bardenhewer*, Gesch. d. altk. Lit. t. I. p. 377. sq.

(37) « *Constitutiones per Clementem et ecclesiastici SS. Apostolorum. canones* ». Cfr. *Pitra*, Iuris eccl. Graecor. historia et monum. t. I. p. 77. sq. Qui auctor l. c. a pag. 90. sq. alia quoque spuria statuta Apostolorum publici iuris fecit. *Nau*, in Dict. de Théolog. vol. III. col. 201. sq.

(38) *S. Clemens* in apocryphis istis actis et constitutionibus Apostolorum non raro interpretis et praeconis vires sustinere dicitur. Cfr. c. 1. D. 93.; cap. 1. X. de postulat. prael. l. 5. in parte decisa Innoc. III. (a. 1200.).

foro ecclesiastico non caruerint, tamen inter fontes *apocryphos* iuris ecclesiastici sunt recensendi. Ex omnibus vero illis scripturis pseudoapostolicis (39) maximam celebritatem natae sunt, quae vulgo dicuntur “ *Constitutiones Apostolorum* „ (40), neque minore in pretio habiti sunt “ *Canones Apostolorum* „ (41) etiam in Occidente. Nostra aetate cum a

(39) *Pitra* l. c. t. I. p. XXVIII. sq.; *Card. Hergenroether* in *Arch. f. K. K. t.* 23. p. 190. sq.; *Bardenhewer*, *Patrologie* § 5.

(40) Quae constitutiones cum formam haberent epistolae communis ab Apostolis datae, dicebantur *διδασκαλία τῶν ἀποστόλων*. Prioribus sex libris, qui hucusque a viris doctis eireiter saeculo tertio in Syria dicebantur compilati, ex eorundem virorum doctorum sententia postea ineunte saeculo quarto adiunctus est ab alio auctore liber septimus de vitae christianae ratione. Deinde secundum opinionem magis receptam iam ante Concilium Nicaenum octavus liber de rebus liturgicis accessit, cuius titulus interdum est: Constitutiones Apostolorum de mystico ministerio (*Pitra* l. c. p. 45. sq.) vel etiam “ *διατάξεις... περὶ χειροτονιῶν διὰ Ἰππολύτου* „. Cfr. *Scherer* l. c. p. 181.; *Hefele* l. c. t. I. p. 796. sq. Denique universi libri octo appellabantur: Constitutiones sanctorum Apostolorum (*διαταγαί* [vel *διατάξεις*] *τῶν ἁγίων ἀποστόλων*). Cfr. *Pitra* l. c. p. 113.; *Nau*, l. c. vol. III. col. 1520. sq. vol. IV. col. 734. sq. Quas assertiones *historicas* de istis constitutionibus Apostolorum hucusque receptas novo solidoque examini critico subiecit *Funk*, *Die apost. Const.* (a. 1891.) atque ad alias pervenit conclusiones sel. *eundem* auctorem *omnes* libros const. Ap. eireiter ineunte saeculo *quinto* in *Syria* adhibitis fontibus antiquioribus composuisse. Cfr. *Bardenhewer*, *Patrologie* § 5.

Quaestio *canonica* de constit. Apost. minorem patitur difficultatem. Etenim istae constitutiones cum iam in Concilio Trullano c. 2. (a. 692.) condemnatae essent, utpote ab haereticis falsificatae, neque in Ecclesia orientali multoque minus in Ecclesia occidentali magnam in iure canonico efformando vim exercuerunt. Cfr. *Card. Hergenroether* l. c. p. 198.

(41) Canones Apostolorum (*κανόνες ἐκκλησιαστικοὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων*) (cfr. *Pitra* l. c. p. 13. sq.) ordinarie numerantur 50 vel 85, e quibus priores illi 50 canones dicebantur antiquiores esse atque saltem iam saeculo quarto exeunte exstitisse, cum prima vice viderentur commemorari in actis Synodi Constantinopol. (a. 394.). Reliqui vero 35 canones Apostolorum sane saltem saeculo sexto in Ecclesia orientali fuerant recepti. Cfr. *Card. Hergenroether* l. c. p. 190. sq.; *Hefele* l. c. t. I. p. 793. sq.; *Nau* l. c. vol. II. col. 1605. sq. At *Funk* l. c. aliique v. g. *Bardenhewer*, *Patrologie* § 5. haud sine fundamento opinantur canones Apostolorum partim ex constitutionibus Apostolorum partim ex canonibus Conciliorum saeculi quarti fuisse depromptos et in Syria ab auctore constit. Apost. ineunte saeculo quinto compilatos. Ecclesia orientalis in Cone. Trullano c. 2. (a. 692.) 85 capitula (canones) Apostolorum rata habuit (c. 4. D. 16.); at in decreto Gelasii (a. 494.-496.) = c. 3. § 64. D. 15. ut apocrypha reprobandantur. Dionysius Exiguus quamvis eirea a. 500. canones Apostolorum referat tanquam “ *canones, qui dicuntur Apostolorum* „, tamen eosdem in linguam latinam versos suae collectioni canonum inseruit. Inde factum

Philotheo Bryennio anno 1883. Constantinopoli publicaretur “*Doctrina duodecim Apostolorum* „ (διδασχί των δώδεκα ἀποστόλων) recenter inventa, brevis ille libellus viris doctis amplam disserendi opportunitatem administravit, sed ad solvendas quaestiones *canonicas* non tanti est momenti. Cfr. *Scherer* l. c. p. 180. sq.; *Minasi*, La dottrina del Signore... detta la dottrina dei dodici Apostoli; *Savi*, La dottrina degli Apostoli; *Bardenhewer*, *Gesch. d. altk. Lit. t. I. p. 76. sq.*; *Iacquier*, in *Dict. d. Théolg. vol. I. col. 1680.*

§ 3. DE COLLECTIONIBUS DECRETALIUM ROM. PONTIFICUM.

201. *S. Petri epistolae duae* cum ipso Spiritu Sancto inspirante conscriptae sint, in canonem librorum sacrorum fuerunt insertae. Qua ratione a Decretalibus aliorum Rom. Pontificum sive definitionibus ex cathedra sive legibus disciplinariis essentialiter discrepant (42).

Inter epistolas Romanorum Pontificum ex primis saeculis conservatas et collectas (43) principem locum occupat epistola Clementis I. ad Corinthios. Cui ex primis tribus saeculis accedunt Victoris I. decisio in controversia de paschate (a. 195.), Stephani I. responsio de baptismo haereticorum (a. 255.) atque definitio Dionysii I. de doctrina Dionysii Alexandrini circa mysterium SS. Trinitatis. Epistolae Romanor. Pontificum v. g. Felicis I. (?), Liberii, Damasi, Siricii cum saltem ex saeculo quinto in collectiones canonum reciperentur, magis magisque divulgatae sunt (44). Quodsi ipsarum multitudo

est, ut canones Apostolorum etiam in Ecclesia occidentali magnam obtineant auctoritatem atque transirent in iuris canonici collectiones et documenta. Cfr. c. 3. D. 16.; c. 1. D. 20.; c. 14. D. 28.; c. 3. D. 88.; cap. 3. X. de corp. vit. l. 20.; cap. 1. X. de fideiuss. III. 22.; Conc. Trid. Sess. XXV. cap. 1. de ref.

(42) *Cornely*, *Introduct. cit. vol. III. p. 616. sq. praesertim p. 619.*; *Scherer* l. c. p. 186.

(43) *Constant* († a. 1721.), *Epist. Rom. Pontif. etc. t. I. ab anno 67. ad ann. 440.*; *Thiel*, *Epist. Rom. Pontif. etc. t. I. ann. 461.-523.* Cfr. *Arch. f. k. K. t. 13. p. 1. sq.*; *Jaffé*, *Regesta Pontif. Rom. ad ann. 1198. ed. secund.* Cfr. *Grisar* in *Act. theol. Oenip. t. XII. (a. 1888.) p. 487. sq.*, ubi de collectionibus epistol. R. Pont. in usum theolog. et canonistar. erudite et sapienter disserit; *Pitra*, *Analecta novissima etc.*, *Hist. et monument. t. I. p. XXVII. sq. t. II. p. XI. sq.*; *Card. Hergenroeth*, in *Arch. f. k. K. t. 23. p. 187. sq.*; *Scherer* l. c. p. 186. sq.; *Bardenhewer*, *Gesch. d. altk. Lit. t. I. p. 98. sq.*, *Patrologie* § 8.

(44) *Maassen* l. c. p. 231. sq. 766. sq.; *Scherer* l. c. p. 187. 189.

atque tenor accurate consideretur, facile patet Romanos Pontifices iam hisce primis septem vel octo saeculis veram iurisdictionem in universam Ecclesiam exercuisse atque fabulis adnumerandas esse narrationes de Ecclesiis particularibus illo tempore a iurisdictione R. Pont. liberis (45).

Ut quondam acta martyrum, ita etiam epistolae Romanorum Pontificum pro more cancellariae imperialis Romae in archivio (46) diligenter fuerunt conservatae et collectae. Cuius praxis prima vice fit mentio in actis Synodi a. 370. sub Damaso Papa celebratae. Plurima ex his regestis per iniuriam temporum perierunt; nihilominus aliqua fuerunt conservata velut fragmentum registri Ioannis VIII. († a. 882.). Ab Innocentio III. vero (a. 1198-1216.) usque ad Pium V. († a. 1572.) regesta Romanorum Pontificum continuo ordine in archivio Sedis Apostolicae existunt.

202. Scholion. Quemadmodum multae exstiterunt spuriae collectiones iuris apostolici, ita non minori numero prodierunt iam ex primis saeculis falsae et spuriae Decretales Romanorum Pontificum (47). Agmen ducunt variae scripturae iam ipsi S. Clementi attributae (48), constitutum Silvestri, et aliae eiusdem farinae constitutiones postea v. g. saeculo sexto accedunt (49).

§ 4. DE COLLECTONIBUS CANONUM CONCILIORUM.

203. Postquam *Apostoli* (a. 51.) (50) *primum concilium* (51) celebrarunt, cuius acta et decreta in ipsa sacra scriptura fue-

(45) Huiusmodi theorias modernorum quorundam Protestantium bene refutant: *Scherer* l. c. p. 187. sq.; *Grisar* in Act. theolog. Ocnip. t. XIV. (a. 1890.) p. 447. sq. aliique scriptores catholici v. g. *Funk*, Zur Gesch. d. althrit. Kirche in Kircheng. Abh. t. I. p. 421. sq.; *Hergenroether-Kirsch* l. c. t. I. p. 670. sq. 682. sq.

(46) *Grisar* in Kirchenlex. t. I. p. 1259. sq.; *Leclercq.* in Dictionn. d'archeol. chrét. col. 175. sq.

(47) *Maassen* l. c. p. 410. sq.

(48) *Funk* in Kirchenlex. t. III. p. 520. sq.; *Bardeuhewer*, Gesch. d. altk. Lit. t. I. p. 118. sq.

(49) *Scherer* l. c. p. 189. not. 12. p. 190. not. 13. p. 180. not. 6. sq. p. 39. not. 36.; *Duchesne*, Le Liber Pontificalis; *Grisar* in Act. theol. Ocnip. t. III. p. 812. sq. t. XI. p. 417. t. XII. p. 700. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsch*, Handh. d. allg. K. t. I. p. 401. sq.

(50) *Cornely*, Introd. vol. III. p. 343.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 68. sq.; *Kihn* l. c. p. 355. sq.

(51) *Minasi*, La dottrina del Signore p. 65. sq.; *Pitra* l. c. t. I. p. XXXI. sq. p. 88. sq.

runt collecta (52) velut in formam et typum futurorum Conciliorum, tribus primis saeculis complura Concilia particularia sunt coadunata (53). Quorum acta et decreta ut plurimum perierunt (54).

Finitis persecutionibus inde a *Concilio Nicaeno* (a. 325.) usque ad Decretum Gratiani decem Concilia oecumenica (55) sunt habita scilicet Nicaenum I. (a. 325.) (56), Constantinopolitanum I. (a. 381.) (57), Ephesinum (a. 431.) (58), Chalcedonense (a. 451.) (59), Constantinopolitanum II. (a. 553.), Constantinopolitanum III. (a. 680.), Nicaenum II. (a. 787.), Constantinopolitanum IV. (a. 869.), Lateranense I. (a. 1123.), Lateranense II. (a. 1139.). Quorum Conciliorum *decreta* etiam nunc existunt. De canonum numero, vi iuridica, approbatione vel reprobatione Sedis Apostolicae, receptione in Ecclesia occidentali iudicium criticum, praesertim quoad octo priora Concilia in Oriente celebrata, accurate est instituendum (60).

(52) Aet. Apost. XV. 1.-35.

(53) *Hefele* l. c. t. I. p. 83. Qui auctor reliquos scriptores de historia Conciliorum egregio suo opere facile supplet. Ex collectionibus Conciliorum duobus ultimis saeculis factis iuvat hoc loco solummodo tres meliores commemorare, quas curarunt *Harduin*, deinde *Mansi*, denique editores *Collectionis Laeensis*. Cfr. *Hefele* l. c. p. 74. sq.; *Scherer* l. c. p. 182.

(54) *Hefele* l. c. p. 83. sq.

(55) Cfr. e. 1. (Anselm.) e. 2. (Gregor. M. ser. a. 591.) e. 3. (Gelasius a. 495.-496., efr. *Thiel* l. c. p. 44. sq. 450. sq.) Dist. 15.

(56) Quodsi in Concilio provinciae Neogranatae (a. 1868.) (efr. *Collect. Laeensis* t. VI. col. 502.) citatus est canon « 30. » Concilii Nicaeni, huiusmodi citatio erronea est; etenim Concilium Nicaenum solummodo condidit *viginti* canones *genuinos*. Cfr. de spuris canonibus arabicis Conc. Nicaeni: *Hefele* l. c. p. 356. sq.; *Scherer* l. c. p. 182. not. 1.

(57) Quae Synodus ex sese tantum fuit Concilium quoddam plenarium sive generale Ecclesiae orientalis, cuius definitiones fidei ab Ecclesia Romana sunt admissae. At ex quatuor genuinis canonibus tertius etiam disertis verbis est reprobatus, dum reliqui saltem non fuerunt accepti. Cfr. *Hefele* l. c. t. II. p. 1. sq. 12. sq. 30. sq.; c. 3. Dist. 22. eum nota correctorum Romanorum.

(58) Sex « *canones* » huius Concilii sunt practicae applicationes regularum ecclesiasticarum ad solvendas quaestiones particulares exortas per turbas Pelagii et Nestorii. Cfr. *Hefele* l. c. t. II. p. 207. sq.

(59) *Bloetzer* l. c. infra in nota 60. h. tit.; *Hefele* l. c. p. 505. sq.

(60) De his quaestionibus fuse et solide agit *Hefele* in laudata « *Historia Conciliorum* ». Item consuli possunt: *Maassen* l. c. p. 42. 721. sq.; *Scherer* l. c. p. 182. sq.; *Bloetzer* in Aet. theol. Oenip. t. X. p. 67. sq. contra minus accuratas assertiones a *Fuuk* propugnatas; *Muzzarelli* († a. 1813.), De auctoritate Rom. Pontificum in Conciliis general.; *Card. Hergenroether*, Photius tom. II. p. 63. sq., ubi de Concilio Const. IV. (a. 869.) disserit.

Iisdem temporibus ab Episcopis in quamplurimis *Conciliis particularibus* canones conditi sunt (61). Qui quamvis per se non habuerint vim legum universalium, tamen quo magis praesertim accedunt ad prima saecula, magnae sunt auctoritatis. Praeterea partim *consuetudine* partim *expressa approbatione* Romanorum Pontificum non pauci ex istis canonibus *universaliter* sunt recepti (62). Id, quod potissimum obtinet de compluribus canonibus *Conciliarum orientalium* (63). In Ecclesia occidentali (64) singulari auctoritate praestant *Concilia Romana* (65), *Africana* (66), *Hispanica* velut *Concilium Illiberitanum* (a. 300.–306.) et *Concilia Toletana*, item *Gallicana* (67) hisce saeculis celebrata.

§ 5. DE COLLECTIONIBUS GRAECIS IURIS ECCLESIASTICI.

204. De collectionibus *graecis* canonum plurima exstiterunt dubia et obscuritates, donec fratres *Ballerinii* (68) in sua editione operum S. Leonis saeculo decimo octavo nova plane luce rem hucusque obscuram illustrarunt. Cum ex *versionibus latinis* collectionum graecarum utilissimum habeatur subsidium melius cognoscendi documenta originalia, *Maassen* (69) nostra aetate opus Balleriniorum feliciter complevit atque absolvit.

(61) Cfr. e. 5. i. f. Concil. Nicaeni (a. 325.); e. 3. D. 18.; e. 2. (Leo M. ser. a. 445.?) D. 18.

(62) Leo IV. (a. 849.) in e. 1. D. 20.

(63) Ex istis maximam sane auctoritatem consecuti sunt canones Concilii Sardicensis (a. 343.–344.), qui tanquam continuatio quaedam canonum Concilii Nicaeni saltem in Ecclesia Romana (cap. 1. X. de postul. prael. l. 5.) canonum « *Nicaenorum* », et praerogativam et nomen acceperunt. Cfr. *Hefele* l. e. t. I. p. 533. sq. et t. II. p. 120. sq. Quo ultimo loco exponit controversiam de appellationibus Africanis.

(64) Cfr. de Conciliis oriental. infra § 5. h. tit.

(65) *Hefele* l. e. v. g. t. I. p. 101. sq. 106. 114. 135. 199. 499. 652. 739. sq.

(66) Inter illa maxime eminent, quae saeculo quarto exeunte et saeculo quinto ineunte celebrata sunt. Cfr. *Hefele* l. e. t. II. p. 53. 59.; *Kirchenlex.* t. I. p. 319. sq.

(67) Ex his antiquissimum est Concilium Arelatense (a. 314.), quod saeculis subsequenter tum in imperio Romano tum in regnis Visigothorum et Ostrogothorum, maxime vero sub dominatione Francorum in Neustria et Austrasia alia multa Concilia secuta sunt. Cfr. *Maassen* l. e. p. 149. sq.; *Scherer* l. e. p. 185. sq.

(68) *Petr.* et *Hieron. Ballerini*, De antiquis collectionibus et collecto-ribus canonum t. III. ed. oper. S. Leonis. Cfr. *Migne*, P. L. LVI.

(69) *Geschichte d. Quell. u. L. d. e. R.* tom. I.

Ex istis disquisitionibus videtur iam constare imprimis in *Ponto* ab ignoto plane auctore collectos fuisse canones Concilii *Ancyran*i (a. 314.) et *Neocaesariensis* (a. 314.-325.) Cui collectioni additi sunt canones Concilii *Gangrensis* (a. 343. vel 362.-370.?) praemissis ob maiorem auctoritatem canonibus Concilii *Nicaeni I.* (a. 325.), atque post canones *Gangrenses* subiuncti sunt canones Concilii *Antiocheni* (a. 341.) (70). Ex huiusmodi collectione, in qua canones laudatorum Conciliorum continuis numeris secundum ordinem mox indicatum sunt dispositi, in Concilio *Chalcedonensi* (a. 451.) complures canones fuerunt recitati et tanquam statuta iuris vigentis allegati (71). Cum c. 1. Concilii *Chalcedonensis* sancitum esset, tenendas esse regulas SS. Patrum hucusque in unaquaque Synodo statutas (72), facile videtur explicari, cur in collectionibus post illud Concilium factis praeter enumeratos canones etiam canones Concilii *Laodicensi* (a. 343.-381.) et *Constantinopolitani* (a. 381.), insuper Concilii *Ephesini* (a. 431.) ipsiusque Concilii *Chalcedonensis* inserti fuerint. Imo tempore *Ioannis Scholastici* in universa serie illorum canonum primum locum obtinuerant 85 canones Apostolorum, et post canones Concilii *Neocaesariensis* reperiebantur canones Concilii *Sardicensis* (a. 343.-344.) (73).

205. Ineunte saeculo sexto in Ecclesia orientali ab ignoto quodam auctore (circ. a. 535.) *systematica* quaedam collectio canonum adornari coepta est (74), quae 60 constabat titulis atque pro necessitate Ecclesiae orientalis 21 Constitutionibus imperialibus ex codice repetitae praelectionis Imperatoris Iustiniani. Qua collectione supposita *Ioannes Scholasticus* circiter a. 540.-550. novam compilationem canonum systematico ordine in 50 titulos divisam meliusque digestam composuit. Postea compendium quoddam ex *Novellis* Imperatoris Iustiniani suae canonum collectioni adiunxit, quod inscribitur: *Collectio 87 capitulorum* (75).

(70) *Ballerini* l. c. P. I. cap. 2. n. 3. 6.; *Maassen* l. c. p. 79. 123. sq.

(71) *Hefele* l. c. t. II. p. 459. 493. 498. 505. Cfr. c. 1. Conc. Chalced. = c. 14. C. XXV. q. 1.

(72) Cfr. c. 14. C. XXV. q. 1.; *Hefele* l. c. p. 505. sq.; *Ballerini* l. c. P. I. cap. 1. n. 7. sq.

(73) *Seherer* l. c. p. 197.; *Card. Hergenroether* in Arch. f. k. K. t. 23. p. 199. sq.

(74) *Vering*, Lehrb. d. k. K. § 15.

(75) *Pilra* l. c. t. II. p. 375. sq.; *Card. Hergenroether* l. c. p. 208. sq.; *Vering* l. c.

206. Post istas collectiones *chronologicas* et *systematicas* in *Ecclesia orientali* singulari mentione dignus est complexus ille canonum 102 in Concilio *Trullano* (76) (a. 692.) conditorum. Qui canones Trullani usque ad nostram aetatem sunt *codex quidam iuris Ecclesiae orientalis*, ubi speciatim c. 2. c. 7. D. 16. etiam complurium Conciliorum canones (77) atque regulae 12. SS. Patrum et Patriarcharum orientalium enumerantur et tanquam fontes genuini iuris Ecclesiae orientalis approbantur et inculcantur. Quae enumeratio et approbatio cum non referatur ad determinatam quandam collectionem, codicem iuris authenticum non constituit. Similiter c. 1. Conc. Nicaen. II. (a. 787.) (78) canones Apostolorum (prò more Ecclesiae orientalis numerantur 85) et canones sex Conciliorum oecumenicorum, (inter quae Episcopi orientales Quinisextam Synodum sive Concilium Trullanum comprehendebant), et canones SS. Patrum atque etiam statuta Synodorum provincialium ad publicationem canonum Conciliorum oecumenicorum condita denuo approbantur; sed inde non efficitur compilationem *ex officio* ab ipso Concilio Nicaeno II. esse publicatam.

207. Singularis species collectionum iuris ecclesiastici pro illa facilitate nimia, qua Orientales in foro ecclesiastico leges ab Imperatoribus *etiam de causis ecclesiasticis* latas admiserunt, sunt *nomocanones*. Cuius praxis vestigia iam in duabus collectionibus modo commemoratis reperiuntur. Primum tamen exemplum, in quo huiusmodi compilandi genus perfectiori quadam forma exhibetur, est nomocanon sub Imperatore Mauritio (582.-602.) factus et minus recte Ioanni Scholastico adscriptus (79). Qui nomocanon in 50 titulos est divisus, in quibus post canones saltem citatos subiunguntur leges civiles correspondetes (*συνάδορτα νόμιμα*). Similes nomocanones postea quoque in Ecclesia orientali publicati sunt, inter quos ille potissimum commemorandus est, quem Photius († a. 891.) non primus composuit, sed secundis curis

(76) Cfr. de Concilio Trullano eiusque approbatione tantum eum restrictione a Sede Apostolica facta: *Hefele* l. c. t. III. p. 345. sq.

(77) *Pitra*, Hist. et mon. t. II. p. 22. sq.; *Hefele* l. c. p. 331.; *Ballerini* l. c. P. III. cap. 1. n. 8.; *Papp-Szilágyi*, *Enchirid. iur. Ecclesiae orient. catholicae* § 51.

(78) *Hefele* l. c. p. 348. 475. sq.; *Scherer* l. c. p. 197.

(79) *Voelli et Instelli*, *Biblioth. iur. ean. veteris*, vol. II. p. 603.-660.; *Pitra* l. c. tom. II. p. 416.-420.; *Card. Hergenroether* in *Arch. f. k. K.* t. 23. p. 210. sq.; *Vering*, *Lehrb. d. k. Kirehenr.* §§ 15. 17.

auxit et expolivit (80). Qua de collectione aliisque compilationibus ortis post schisma Photianum in Ecclesia orientali non unita cum Sede Apost. fusius agere, a nostro scopo alienum est (81).

208. Scholion. Fontes recentiores iuris Ecclesiae orientalis catholicae magna ex parte recensentur in secundo tomo Collect. Lacens. Concil. recentiorum. Optima specimina, in quibus iuris antiqui Ecclesiae orientalis continua fit applicatio novique canones secundum disciplinam vigentem conduntur, prostant in duobus Conciliis provincialibus Alba-Iulien-sibus a. 1872. et 1882., in Synod. Sciarfensi Syror. a. 1888., Synod. provinc. Ruthenor. a. 1891., Synod. Alexandrina Coptorum a. 1898. celebratis. Cfr. quoque *Papp-Szilágyi*, Enchiridion iuris Ecclesiae orient. cath. §§ 39. sq., ubi praesertim § 50. recte reprehendit “ *iugem Imperatorum Byzantinorum tendentiam ad sibi subiiciendam Ecclesiam* „ etiam ab Imperatore Iustiniano patefactam et ex altera parte perversum studium graecorum canonistarum legibus imperialibus “ *eamdem vim* „ atque ss. canonibus et “ *pedetentim* „ primas partes tribuendi cum maximo libertatis ecclesiasticae detrimento.

§ 6. DE COLLECTIONIBUS LATINIS IURIS ECCLESIASTICI.

209. In Ecclesia occidentali pariter *primae collectiones* sacrorum canonum *ordine* quodam *chronologico* sunt confectae. Cui labori colligendi canones accessit necessitas *vertendi* quamplurimos canones ex lingua graeca in linguam latinam, ut in Occidente statuta Conciliorum in Oriente condita facile cognosci et applicari potuerint. Quae versiones et receptiones canonum orientalium cum factae sint primis illis temporibus industria privata, non ab auctoritate publica, valorem iuridicum codicum legalium sive collectionum authenticarum non attingunt (82).

Ex canonibus Conciliorum in Oriente celebratorum pro sua dignitate in Occidente primo loco divulgatae sunt versiones latinae canonum *Nicaenorum*. Canones *Sardicenses*,

(80) *Pitra* l. c. p. 433.-640.; *Card. Hergenroether* l. c. p. 211. sq.

(81) De his consuli potest *Vering* l. c. §§ 16. sq., atque de auctore huius funesti schismatis omnino adeundum est praeclarum opus *Card. Hergenroether*, Photius etc.

(82) *Ballerini* l. c. P. II. cap. 2. n. 10. sq.; *Bouix*, De princip. iur. can. p. 427. sq.; *Seherer* l. c. t. I. p. 198. sq.

quorum textus originalis et lingua graeca et lingua latina fuerat conscriptus, secundum numeros continuos ita sunt uniti canonibus Nicaenis, ut quasi unius Concilii canones haberentur et pariter tanquam “ *canones Nicaeni* „ allegarentur (83). Facile igitur explicatur, cur Zosimus Papa (a. 418.) ad duos canones Sardicenses in causa Apiarii veluti ad canones “ *Nicaenos* „ potuerit optima fide provocare (84).

Saeculo quinto in Italia ortae sunt duae antiquissimae versiones et collectiones canonum, quae vulgo dicuntur collectio *Isidoriana vel hispanica* atque *itala vel prisca*. Prior collectio nomen illud adepta est, eo quod falso putaretur in Hispania facta et postea reciperetur in collectionem hispanicam perperam S. Isidoro Hispalensi adscriptam (85). “ *Prisca* „ vero dicebatur altera translatio, quod Dionysius Exiguus hanc collectionem videretur significasse, cum in prima sua praefatione haec verba insereret: (*Laurentius*) *confusione* (al. im-*peritia*) *credo priscae translationis offensus*. Quod verbum Dionysii istius coniecturae nimis debile constituit fundamentum (86).

210. Inter omnes collectiones canonum *in Italia* (87) saeculo quinto et sexto compilatas celeberrimae sunt collectiones *Dionysii Exigui* (88) († circa a. 555.). Qui Dionysius monachus, natione Scyta, cum post mortem Gelasii Papae († a. 496.) Romam venisset, precibus cuiusdam Laurentii atque praesertim Stephani, Episcopi Salonitani, permotus est, ut *graecarum Synodorum canones* accuratiore et nitidiore interpretatione redderet latine. Id, quod praestitit circa a. 500. in

(83) *Maassen* l. c. p. 8. sq. 50. sq.; *Ballerini* l. c. P. II. cap. 1. n. 11. sq. Imo *Ballerini* l. c. n. 1. sq. defendunt thesim, ante saeculum sextum primum et solum codicem canonum Nicaenorum et Sardicensium publicae auctoritatis fuisse apud Occidentis Ecclesias et praesertim in Ecclesia Romana. Cui thesi adstipulatur *Bouix*, De princip. iur. can. p. 431. sq. atque rationibus non omnino convinceentibus contradicunt *Maassen* l. c. p. 65. sq. et *Scherer* l. c. p. 198.

(84) *Hefele* l. c. t. I. p. 357. sq. t. II. p. 122.

(85) *Ballerini* l. c. P. II. cap. 2. n. 12.; *Maassen* l. c. p. 71. sq.

(86) *Ballerini* apud *Migue*, P. L. LVI. 747. sq.; *Maassen* l. c. p. 87. sq.

(87) Cfr. de aliis collectionibus italicis Dionysiana antiquioribus vel quasi coetaneis, sed multo imperfectioribus: *Ballerini* l. c. P. II. cap. 4.; *Maassen* l. c. p. 476. sq. 526. sq.; *Scherer* l. c. p. 201. sq., atque de insigni collectione Avellana consule: *Ballerini* l. c. P. II. cap. 12.; *Maassen* l. c. p. 787. sq.; *Scherer* l. c. p. 202.

(88) *Ballerini* l. c. P. III. cap. 1.; *Maassen* l. c. p. 422. sq.; *Scherer* l. c. p. 220. sq.

magna illa canonum collectione prae laudato Stephano facta (Anastas. II. a. 496.–498.). Mox ineunte saeculo sexto (Symmach. a. 498.–514.) alteram composuit *collectionem Decretalium Romanorum Pontificum* a Siricio (a. 385.) usque ad Anastasium II. incl. Quibus collectionibus ex mandato Hormisdæ Papæ (a. 514.–523.) *tertiam subiunxit canonum graecorum* una cum versione latina; at huius collectionis tantum praefatio est conservata. Denique Dionysius *primam* et *secundam* suam collectionem retractatam in unam collectionem coniunxit (89), quae licet authentica non esset, tamen maximam celebritatem nacta est. Cum Hadrianus I. a. 774. exemplar collectionis Dionysianae *auctae* Carolo M. Romæ dono dedisset (90), ille Imperator non solum hac collectione usus est, sed etiam a. 802. in magna Synodo Aquisgranensi suasor et auctor exstitit, ut eadem collectio Dionysiana sive Hadriana tanquam codex canonum ab Episcopis sui imperii reciperetur et approbaretur (91). Qua approbatione nequaquam effici potuit, ut idem codex esset exclusiva legum ecclesiasticarum collectio (92) ac si canones in illo omissi tuto negligi potuissent (93).

211. Cum in *Ecclesia Africana* (94) mos existeret, ut in Conciliis canones praecedentium Conciliorum denuo *recitentur*, actis insererentur atque tali ratione denuo confirmarentur, in actis illorum Conciliorum collectio quaedam canonum ex officio facta reperitur. Huiusmodi nova recitatio et approbatio antiquorum canonum praesertim accidit in Concilio Carthaginiensi III. (a. 397.) (95), quod ratum habuit *Breviarium canonum Concilii Hipponensis* (a. 393.), et in *Concilio Carthaginiensi XVII.* (a. 419.) (96), ubi 105 canones antiquiores fuerunt approbati. Ex saeculo fere sexto ineunte circiter 104 canones verisimiliter in Gallia meridionali reperiuntur collecti, qui dicuntur “ *Statuta Ecclesiae antiqua* „ et

(89) *Migne*, P. L. LXVII. 139. sq.

(90) *Ballerini* l. c. P. III. cap. 2.; *Maassen* l. c. p. 441. sq.

(91) *Hefele* l. c. t. III. p. 744.

(92) Nicolaus I. (a. 865.) in c. 1. D. 19.; *Seherer* l. c. p. 202.

(93) Cfr. de additionibus et immutationibus collectionis Dionysianae postea factis; *Ballerini* l. c. P. III. cap. 3.; *Seherer* l. c. p. 202.

(94) *Ballerini* l. c. P. II. cap. 3. de canonibus Ecclesiae Africanæ, qui in omnes fere collectiones latinas antiquas fuerunt inserti et de vetustis eorum codicibus.

(95) *Hefele* l. c. t. II. p. 54. sq. p. 66.

(96) *Ballerini* l. c. § 8. sive n. 46. sq.; *Hefele* l. c. p. 122. sq. 125. sq.

fictitio cuidam Concilio Carthaginiensi IV. (a. 398.) (97) tribuuntur. Quae collectio quamvis canones veros et antiquissimos contineat et non levem auctoritatem consecuta sit, tamen mere privata est compilatio.

Praeter duos codices canonum, qui in Concilio Chartaginiensi (a. 525.) (98) commemorantur, ex collectionibus Africanis specialem mentionem meretur: “ *Breviatio canonum* „ *Fulgentii Ferrandi* († ante a. 546.), Carthaginiensis Ecclesiae Diaconi (99).

Postea circa a. 690. *Crescouius*, Episcopus quidam Africanus, ordine systematico Ecclesiae Africanae iam ad excidium vergentis ultimam composuit collectionem, quae dicitur: “ *Concordia canonum* „ (100), cuius prima pars exhibens, non opus integrum “ *Concordiae* „. sed tantummodo eius compendium, non incongrue ab editoribus (at non in codicibus) etiam “ *Breviarium* „ appellata est (101).

212. In regno Visigothorum sive in Hispania et Lusitania et Gallia meridionali inde iam ex saeculo quarto et quinto frequens fuit Conciliorum celebratio (102). Quare mirum non est, quod in his quoque regionibus fierent canonum collectiones, e quibus in subsequentibus Conciliis canones deprocebantur (103). Ex hisce collectionibus potissimum duae sunt commemorandae scilicet. “ *Capitula Martini* „ (104), e quibus in Concilio Bracaraensi II. (a. 572.) canones sunt recitati.

Altera collectio fuit ille “ *Codex caouuuu* „, qui iam in Concilio Toletano IV. (a. 633.) exstitit (105). Qui “ *Codex ca-*

(97) *Ballerini* l. c. § 4. sive n. 17. sq.; *Hefele* l. c. p. 68. sq.; *Maassen* l. c. p. 382. sq.; *Scherer* l. c. p. 200.; *Duchesne*, *Origines de cult. chrét.* p. 337. Quodsi in Conc. Trid. Sess. XXV. cap. 1. de ref. provocatur ad exemplum “ *Patrum nostrorum in Conc. Carthag.* „ i. e. ad c. 15. huius fictitii Concilii = c. 7. D. 41., inde ad comprobendam existentiam Concilii istius Carthag. IV. nihil efficitur, sicut spurii canones in iure Decretalium allegati propterea non fiunt genuini.

(98) *Ballerini* l. c. n. 6.

(99) *Migne*, P. L. LXVII. 949. sq.; *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 1.

(100) *Migne* l. c. LXXXVIII. 829. sq.; *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 3.

(101) *Maassen* l. c. p. 799. sq.; *Scherer* l. c. p. 207.

(102) *Hefele* l. c. t. I. p. 148. sq. (Concil. Illiber. a. 300.-306.) p. 744. (Conc. Caesaraugust. a. 380.), t. II. p. 77. sq. (Concil. Tolet. a. 400.) etc. Cfr. *Duchesne*, Concil. d'Elvire.

(103) *Ballerini* l. c. P. III. cap. 4.; *Maassen* l. c. p. 642. sq.; c. 22. Concil. Bracar. l. (a. 563.); *Hefele* l. c. t. III. p. 18.

(104) *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 2.

(105) Cfr. c. 4. Concil. Tolet. IV., ubi describitur ordo celebrandi Concilii, secundum quem Diaconus alba indutus “ *codicem canonum in medio profereus* „ legit statuta de celebratione Conciliorum.

nonum „ sive “ *Collectio Hispana* „ postea additionibus (106) locupletata saeculo nono S. Isidoro Hispalensi († a. 636.) fuit adscripta (107). Tandem collectio Hispana, quae primum ordine potius chronologico sive historico comprehendebat in priore parte praesertim canones Conciliorum, in altera parte Decretales Romanorum Pontificum a Damaso usque ad Gregorium M., versus finem saeculi septimi in ordinem quendam systematicum (108) est redacta (109).

213. *Gallia* quoque propriis collectionibus non caruit (110); una ex antiquissimis et celeberrimis multumque usitatis a primo suo editore (Paris. a. 1675.). Paschasio Quesnello († a. 1719.), vocatur *collectio Quesnelliana*. Quae collectio a Quesnello speciose, sed falso appellata fuit: “ *Codex canonum Ecclesiae Romanae* „ (111). Nam dubitari nequit, quin haec collectio in *Gallia* exeunte saeculo quinto vel ineunte saeculo sexto fuerit composita. Praeter collectionem Quesnellianam postea aliae quoque collectiones in *Gallia* factae vel receptae sunt, inter quas sane *Hadriana* collectio supra commemorata principem occupat locum.

214. In *Britannia* et *Hibernia* praeter collectiones Romanas (112) atque alias iuris particularis compilationes (113) maxime eminent collectio quaedam systematica canonum in *Hibernia* (114) circa initium saeculi octavi facta. Universa collectio circiter in 64-69 libros est divisa et sine ordine vere

(106) *Ballerini* l. c. P. III. cap. 4. n. 10. sq. Editio auctae collectionis reperitur apud *Migne*, P. L. LXXXIV. 93. sq. cum praefatione p. 849. sq.; *Scherer* l. c. p. 204. sq.

(107) *Ballerini* l. c. n. 9.

(108) *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 5. n. 6.; *Migne* l. c. p. 23. sq.

(109) Innoc. III. Petro, Compostellano Arch., a. 1199. scribit. “ *Emeritense vero Concilium authenticum esse nullis rationibus adstruebas, cum quia eum aliis Conciliis conlineatur in libro, qui “ Corpus canonum „ appellatur, quem Alexander Papa (i. e. III.) per interlocutionem authenticum approbavit, cum quia* „ etc. Cfr. *Migne*, P. L. CCXIV. 686.; *Ballerini* l. c. P. III. cap. 4. n. 12.

(110) *Ballerini* l. c. P. II. cap. 10. de collectionibus Gallicanis; *Maassen* l. c. p. 536. sq.

(111) *Ballerini* apud *Migne*, P. L. LVI. 899. sq.; *Maassen* l. c. p. 486. sq.

(112) *Hefele* l. c. t. III. p. 113.; *Scherer* l. c. p. 203. sq.; *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 6.

(113) *Scherer* l. c.; *Grisar* in *Aet. theol. Oenip.* t. XII. p. 510.

(114) *Ballerini* l. c. cap. 7.; *Maassen* l. c. p. 877. sq.; *Wasserseleben*, *Die irische Kanonsammlung*; *Fournier*, *De l'influence de la collection irlandaise sur la formation des collections canoniques.*

logico canones recenset; nihilominus etiam in Galliam et Italiam divulgata est atque usque ad saeculum undecimum vim exseruit.

§ 7. DE SPURIIS IURIS ECCLESIASTICI COLLECTIONIBUS
SAECULI NONI.

215. Quamvis iam primis saeculis vel ipsius iuris apostolici spuriae divulgatae sint collectiones, atque eodem tempore aliae quoque falsificationes fontium iuris ecclesiastici v. g. Decretalium Romanorum Pontificum vel canonum synodaliū non desint (115), tamen falsificatorum facile principes exstiterunt saeculo nono. Miro enim ambitu falsificata sua documenta introduxerunt in collectiones a se factas, et quod magis mirum est, facile longoque tempore fidem invenerunt. Inter istas apocryphas et spurias collectiones primum locum occupat collectio *Pseudo-Isidori*; sed ut ordinis historici et connexionis ratio habeatur, aliae quoque collectiones spuriae sunt commemorandae (116).

In comitiis imperii Carisiacis (a. 857.) prima occurrunt vestigia illius *collectionis capitularium*, quae a *Benedicto Levita* fertur composita (117). Qui *Benedictus Levita* in praefatione dicit sese esse Diaconum Ecclesiae Moguntinae atque iussu *Otgarii*, qui ab anno 825.–847. fuit Archiepiscopus Moguntinus, his capitularibus colligendis operam dedisse potissimumque usum esse capitularibus ab Archiepiscopo *Riculfo* († a. 813.) in archivio Ecclesiae Moguntinae depositis atque ab ipsius successore *Otgario* (*Autgario*) inventis (118). In tres libros universa collectio est divisa et quatuor habet appendices

(115) Cfr. supra h. tom. I. n. 160. de collectionibus spurii iuris apostolici. Item iam *Innoentius I.* (a. 414.) conqueritur de falsis epistolis.

(116) *Maassen* l. c. p. 410. sq.; *Ballerini* l. e. P. III. cap. 6. n. 25.; *Scherer* l. e. p. 216. not. 1. et 2. Qui auctor si in eit. not. 2. contendit *Schroers* non efficaciter vindicasse *Hinemarum Remensem* a « *suspicione* », patratarum falsificationum, oblivioni dedisse videtur viros istos protestantios, quos hae in re sequitur, suas « *suspiciones* », contra *Hinemarum* prolatas solide non probasse.

(117) Edita est ista collectio a *Baluze* in *Capitular. regum Francor.*, porro a *Waller* in *C. I. German.*, denique a *Pertz* in *Monum. German.* tom. IV. part. II. p. 39. sq. Cfr. *Saegmueller*, *Lehrb. d. k. K.* p. 116. sq.

(118) Cui assertioni auctoris et falsificatoris vix fides est habenda. Cfr. *Scherer* l. e. p. 217.; *Vering* l. e. § 22.; *Hinschius*, *Decretales Pseudo-Isidorian.* Praef. p. 183. sq.

atque generatim secundum methodum collectionis (a. 827.) Ansegisi Abbatis († a. 833.) est confecta. Capitula, quae parum accurato ordine in hac collectione reperiuntur disposita, agunt de universa fere disciplina ecclesiastica, velut de iuribus Romanae Ecclesiae, Primatum, Metropolitaram, Synodorum. Insuper nequaquam inserta capitularia vere sunt genuina capitularia, nisi circiter quartam partem excipias; aliqua sunt ab ipso falsificatore conficta et ex sacra scriptura, textibus SS. Patrum, scriptorum ecclesiasticorum, legibus Visigothorum et Romanorum deprompta. Qui fuerit scopus falsificatoris, ex ipsis textibus falsificatis deduci potest, indeque etiam probabiles coniecturae de loco originis non excluduntur (119).

216. *Collectio Hispana* postquam pro sua dignitate atque excellentia praeter alias regiones etiam in Galliam divulgata est (120), saeculo nono in Gallia falsificatis additionibus aucta vel potius corrupta in collectionem *Pseudo-Isidorianam* est transformata. Quae collectio Pseudo-Isidori modo breviori modo longiori forma occurrit, atque longior ista editio intelligitur, cum nostra aetate de Decretalibus Pseudo-Isidori disputari solet (121).

I. Post *praefationem*, in qua auctor dicitur Isidorus Mercator sive etiam peccator vel mercatus, sequuntur tres *epistolae apocryphae* atque *ordo* de celebrando Concilio. Deinde in *prima parte* recensentur 50 *canones Apostolorum* et 60 *epistolae spuriae Rom. Pontificum* a Clemente I. usque ad Melchhiadem incl. (a. 311.-314.), e quibus 58 a Pseudo-Isidoro *primum* fuerunt confictae, duae vero iam antea exstiterunt. In *secunda parte* cum aliquot documentis spuriiis, inter quae reperitur donatio Constantini, proponuntur genuini *canones Conciliorum* a Concilio Nicaeno (a. 325.) usque ad Concilium Hispalense II. secundum collectionem Hispanam aliquantisper auctam. Denique *tertiam partem* constituunt praecipue ca-

(119) De tempore compositionis ita videtur esse statuendum, ut post a. 847. et ante ann. 857. haec collectio dicatur facta. Cfr. *Hinschius* l. c. Praef. p. 184. Communius in Francia occidentali haec collectio edita esse dicitur, et si alii accuratius locum determinantes provinciam ecclesiasticam Remensem indigitant, argumentis satis debilibus suam intentionem probant. Cfr. *Hinschius* l. c. Praef. p. 185. sq.; *Scherer* l. c. p. 317.

(120) *Ballerini* l. c. P. III. cap. 4. §§ 2. 5.; *Phillips* l. c. t. V. p. 63. sq.; *Maassen* l. c. p. 710. sq.; *Scherer* l. c. p. 206.

(121) Melior editio est illa, quam curavit *Hinschius*, Decretales Pseudo-Isidorianae et Capitula Angilramni, Lipsiae 1863.; antiquior textus reperitur apud *Migne*, P. L. CXXX.

pitula *Decretalium* venerabilium Apostolicorum sanctae Romanae Sedis Ecclesiae a Silvestro Papa (a. 314.–335.) usque ad decreta Papae Gregorii iunioris i. e. II. (a. 715.–731.) in Synodo Romana a. 721. (122) pariter ex collectione Hispana deprompta, additis tamen nonnullis genuinis et 45 spuris Decretalibus pontificiis et aliquot epistolis ad ipsos Romanos Pontifices ab aliis scriptis.

II. Collectionem istam *non esse genuinam* collectionem S. Isidori Hispalensis atque multiplici ratione spuris et falsificatis constare textibus, non est, cur hoc loco longe lateque probetur. Nulla enim hac de re nostra aetate inter scriptores catholicos et acatholicos existit controversia, sed communi consensu hanc collectionem vere "*Pseudo-Isidorianam* „ et falsificationibus plenam esse omnes scriptores iamdiu admittunt (123). Postquam ista collectio prima vice a. 857. vel forte iam a. 852. (124) legitur allegata, paulatim non solum *in Gallia*, sed etiam *Romae* (125) aliisque in regionibus de ipsius authentia dubia per plura saecula non fuerunt mota. Quamvis iam saeculo duodecimo *Petrus Comestor*, *Stephanus Tornacensis* (126) († a. 1203.), deinde a. 1324. Marsilius Patavinus saltem suspiciones de genuinitate collectionis Pseudo-Isidorianae insinuarant, tamen communiter *Nicolaus Cusanus* († a. 1464.) habetur primus, qui suppositionem huius collectionis apertius indicavit. A qua sententia eodem saeculo etiam *Ioannes Turrecremata* († a. 1468.), *Gabelinus Per-*

(122) Falsificationum longe maximus numerus reperitur in prima et tertia parte; paucae interpolationes existunt in secunda parte. Cfr. v. g. *Hinshius* l. c. p. 336. 438. et Praef. p. 77. sq.; *Scherer* l. c. p. 219. sq.; *Devoti*, Ius canonicum t. I. cap. 18. §§ 15. 19. Tabulas fontium, ex quibus Pseudo-Isidorus suas confictas Decretales hausit, exhibet *Hinshius* l. c. Praef. p. 110. sq. Cfr. quoque *Ballerini* l. c. P. III. cap. 6. §§ 2. 5.

(123) *Ballerini* l. c. P. III. cap. 6. § 1.; *Zeeh*, Praecognita §§ 215. sq.; *Devoti* l. c. §§ 17. 19.; *Zallinger* l. c. vol. II. p. 380.

(124) Quare cum ista collectio ante medium saeculum nonum nunquam citetur, neque inter celeberrima opera S. Isidori Hispalensis († a. 636.) recensatur, certe illum sanctum doctorem nequit habere auctorem. Cfr. *Scherer* l. c. p. 224.; *Hinshius* l. c. Praef. p. 207. not. 4.

(125) Quod si varii scriptores protestantici, quos refert *Scherer* l. c. p. 224., omnino tenent iam circa medium saeculum nonum Pseudo-Isidori collectionem *Romae* fuisse cognitam, huiusmodi assertiones sunt adeo vgae suspiciones et coniecturae, ut solido vereque probabili fundamento plane careant. Cfr. *Ballerini* l. c. n. 1.; *Devoti* l. c. § 18.; *Card. Hergenroether-Kirsch*, Handb. d. a. K. t. II. p. 117. sq.; *Jungmann*, Dissert. select. t. III. p. 256. sq. aliosque velut *De Smedt*, *Lapôte*, *Roquain*.

(126) *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 117. not. 1.

sona, *Kalleisen* non fuerunt alieni (127). Postquam collectio Pseudo-Isidoriana a. 1524. typis magis fuit divulgata, eodem saeculo decimo sexto Erasmus, Centuriatores Magdeburgenses aliique viri docti velut Dumoulin, Le Comte, Antonius Augustinus, Baronius, Bellarminus ex certis argumentis fraudem admiserunt. Quare iustos limites excessit Franciscus Turrianus, si a. 1572. Decretales a Pseudo-Isidoro falsificatas cum theologis Tridentinis tanquam genuinas defendit, ideoque a Blondello, ministro Calviniano, per portas iam pridem apertas irruente, magna cum acrimonia et eruditione refutatus est (a. 1628.). Pariter Bonaventura Malvasia (a. 1635.) atque Cardinalis D'Aguirre denuo causam desperatam Pseudo-Isidori sustinentes oleum et operam perdiderunt. Id, quod multo magis nostra aetate valet, si quis velut Dumont (Paris. 1866.) falsarum istarum Decretalium patrociniū suscipiat. Sapientius igitur Ballerini aliique viri catholici maiori eruditione quam ipse Blondellus alias quoque falsificationes Pseudo-Isidorianas detexerunt atque publicarunt.

III. Quodsi generatim de falsificationibus Pseudo-Isidori dubium non iam existat, de specialibus huius collectionis spuriae circumstantiis non eadem certitudine liquet. Atque imprimis si quaeratur, quae *persona* determinata istarum falsificationum fuerit *auctor*, illud unice certum est usque ad nostram aetatem multas iam fuisse propositas coniecturas, at ne unam quidem ex illis vere solido niti fundamento (128). Si *de tempore* investigatio fiat, facilius iam omnes auctores in eo conveniunt circa medium saeculum nonum Pseudo-Isidorum suas Decretales apocryphas compilasse (129), i. e. certe ante a. 857. et post ann. 845. vel forte accuratius inter a. 847.–851. (130).

IV. At *de loco originis* sane nostra aetate plane obsoleta est dicenda illa sententia, quae quondam *Romae* hanc fraudem commissam fuisse tenuit (131). Nam Capitula Angilramni

(127) *Ballerini* l. c. u. 2.; *Phillips* l. e. p. 88. sq.; *Scherer* l. c. p. 226.

(128) *Hinschius* l. c. Praef. p. 229. sq.; *Scherer* l. c. p. 222. sq.; *Devoti* l. c. § 15.; *Saegnmüller* l. c. p. 121.

(129) *Hinschius* l. c. Praef. p. 183. sq.; *Ballerini* l. c. § 4.

(130) *Fournier*, De l'origine des fausses décrétales, Paris 1889. p. 13.; *Villien* in Dict. d. Théol. cath. v. IV. col. 213.

(131) Quae commenta Febronii, Theiner, Eichhorn refutant etiam *Hinschius* l. c. Praef. p. 186. sq. 204. atque *Richler*, qui pariter fuit canonista protestanticus. Cfr. *Scherer* l. c. p. 221.; *Giehl*, Die Heimat der pseudoisidorischen Dekretal. (Hist. Jahrb. 1899. p. 441. sq.).

nequaquam Angilramnum, Episcopum Metensem, habent auctorem, neque eidem ab Hadriano Papa a. 785. Romae fuerunt tradita. Porro " Liber Pontificalis „, quo Pseudo-Isidorus usus est, etiam extra Italiam in regno Francorum notus fuit. Denique saeculo octavo et prima parte saeculi noni istae Decretales Romae fuerunt ignotae. Potius solidis argumentis comprobatur patriam Pseudo-Isidori fuisse *regnum occidentale Francorum sive Galliarum* (132). Etenim Pseudo-Isidorus ibidem prima vice allegatur atque fontibus et modis loquendi illarum regionum propriis uti solet. Imo usque ad nostram aetatem viri docti catholici et acatholici magis magisque in eam conspiraverant opinionem in provincia ecclesiastica *Remensi* (133), locum originis collectionis esse quaerendum. Quam sententiam hisce ultimis annis Simson (a. 1886.) (134) impugnavit et rationibus haud spernendis dioecesim *Cenomanensem* (Le Mans) omnibus aliis locis praefendam esse defendit. Deinde a. 1887. et 1888. Fournier (135), professor in facultate iuridica Gratianopolitana, eandem opinionem approbavit, expolivit novisque argumentis corroboravit, eique Duchesne, Havet, Viollet aliique calculum adiecerunt (136). At aliis nova ista opinio non placuit; nam Pseudo-Isidorus vehementer impugnavit Chorepiscopos, de quibus controversia tunc exstitit in provincia Remensi, non in dioecesibus Cenomanensi et Moguntina.

V. Neque concors est virorum doctorum opinio, si de *scopo a falsificatore intento* quaeratur (137). Quodsi ipse auctor in praefatione testatur: " *Compellor a multis tam Episcopis quam reliquis servis Dei canonum sententias colligere et uno in volumine redigere et de multis unum facere „* (138), iste scopus tanquam principalis attenta auctoris eruditione canonica (139)

(132) *Ballerini* l. e. P. III. cap. 6. § 4. n. 14.; *Hinschius* l. e. Praef. p. 186. 204. sq.

(133) *Hinschius* l. e. p. 208. sq.; *Tardif*, Histoire des sources du droit canonique, Paris 1887. p. 144. sq.

(134) *Simson*, Die Entstehung der Pseudo-Isidorischen Fälschungen in Le Mans, Leipzig. 1886.

(135) *Fournier* (in) Nouvelle Revue historique de droit français et étranger t. XI. p. 70. sq. t. XII. p. 103. sq.

(136) *Fournier*, De l'origine des fausses décrétales p. 19.; Cfr. quoque *Villien* l. e. col. 216. sq.

(137) *Ballerini* l. e. § 3. n. 10.; *Devoti* l. e. § 21.; *Hinschius* l. e. Praef. p. 213. sq.

(138) *Hinschius* l. e. p. 17.

(139) *Scherer* l. e. p. 220.

videtur admittendus (140). At difficulter intelligitur illum scopum fuisse *unicum*. Negari enim vix potest Pseudo-Isidorum, etsi ad bonum finem, multa decreta fraudulenter composuisse. Huiusmodi vero fraudulenta compositio et promulgatio multarum falsarum Decretalium *de diversis materiis alios quoque fines* in falsificatore videtur supponere. Neque alii isti fines limitandi sunt *unice* aut *praecipue* ad solum studium deterrendi omnes ab accusatione Episcoporum, ut contendunt *Ballerini* et *Devoti*, sed in alia quoque obiecta intentio Pseudo-Isidori ferebatur. Quae si generali quadam formula sint designanda, videtur fuisse *promotio reformationis ecclesiasticae* eo tempore in *Francia* tantopere necessariae et expetitae atque *vindicatio* et *defensio inriim Ecclesiae* contra multiplices *usurpatores* et *invasores* (141). Qui fines Pseudo-Isidori si ob oculos habeantur, non pauca alia in ipsius compilatione contenta v. g. de immunitate Episcoporum et clericorum a iudicio saeculari sese potius habent tanquam *media* ordinata et applicata ad *finem* praestitutum consequendum. Huc spectat praesertim exaltatio potestatis R. Pontificis, quam nequaquam *directe* et *principaliter* intendit, sed potius, ut augetet independentiam Episcoporum a Metropolitanis et deprimeret auctoritatem Metropolitanorum.

VI. Denique si *de vi et efficacia* collectionis Pseudo-Isidori iudicium sit proferendum, inter sententias extremas sibi que oppositas *via media* videtur esse tenenda. Sunt enim scriptores, qui huius collectionis effectus nimis videntur extenuare, quasi falsificationes Pseudo-Isidori tantum fuissent exercitae, tiones quaedam *styli* in *scholis* receptae, vel plane innocentes compilationes pro ingenua et simplici indole hominum illius aetatis bona fide et ex aliis fontibus iam corruptis factae. Quibus compilationibus deinde negant singularem vim atque efficaciam esse tribuendam (142). At si quis attendat illam collectionem multum fuisse divulgatam et tandem in ipsa Curia Romana receptam et allegatam, in subsequentibus collectionibus iuris ecclesiastici a saeculo undecimo usque ad saeculum decimum quartum frequenter adhibitam, his vix negare

(140) *Waller*, Kirchenrecht § 97.; *Phillips* l. c. p. 69. sq.; *Hinschius* l. e. Praef. p. 216. sq.

(141) *Fournier*, De l'origine etc. p. 19.; *Hinschius* l. c. Praef. p. 213. sq. 217. sq.; *Saegmueller* l. c. p. 120.; *Villien* l. c. col. 214. 218. sq.

(142) *Marchelli*, *Ferrari*, *Rosshirt*, *Daniels* apud *Seherer* l. c. p. 228. not. 54.; *Hinschius* l. c. Praef. p. 228. sq.

poterit constitutionem et disciplinam ecclesiasticam, quae iam saeculo nono quoad substantiam postulatis Pseudo-Isidori fuit conformis, ex speciosis istis Decretalibus veneranda antiquitate praeditis et iterum iterumque a scriptoribus allegatis haud levem accepisse approbationem atque corroborationem.

Verum multo magis a vero aberrant, qui Decretalibus Pseudo-Isidorianis tantam vim inesse contendunt, ut huius falsificatoris opera non solum universa constitutio Ecclesiae catholicae fuerit subversa, sed etiam disciplina ecclesiastica multis innovationibus substantialiter immutata (143). Nam indubitatum est Pseudo-Isidorum *non multas* (144) vere *novas iuris sanctiones* suae collectioni inseruisse. Quae conformitas cum disciplina saeculo nono vigenti potius est una ex rationibus facilis et celeris divulgationis Decretalium Pseudo-Isidori. Porro alia, quae aliqua ratione videbantur esse nova, aut nunquam ad verbum in praxi ecclesiastica fuerunt recepta (cfr. h. tit. not. 144.), aut ex natura rei, similibus sanctionibus civilibus vel etiam antiquioribus canonibus commendabatur (145).

217. Post collectionem Pseudo-Isidori vel in plerisque codicibus sequuntur *Capitula Angilramni* (146), quae prima vice

(143) Quae hae in re antiquiores Protestantes v. g. Centuriatores Magdeburgenses, Gallicani et Iansenistae velut Febronius et Van Espen alique olim protulerunt, nostra aetate sunt adeo antiquata, ut nova refutatione non iam opus sit. Cfr. *Ballerini* l. c. § 3. n. 11.; *Phillips* l. c. p. 90.

(144) Si *Devoti* l. c. § 20. scribit: * (Pseudo-Isidorus) *nullum ius novum ac non antea receptum constituit* *, haec assertio est exaggerationibus adnumeranda. Nam eerte, quae Pseudo-Isidorus de auctoritate Rom. Pontificis necessario interponenda ad celebrationem et confirmationem Concilii *quatscumque* etiam provincialis aut de *exclusionem laici* ab accusatione cleriei statuit, vere nova fuerunt iura conficta, quae ne nostra quidem aetate in disciplina Ecclesiae vigente sunt plene recepta (salvo decreto Sixti V. *de recognitione* Conciliorum provincialium nunc praescripta) multoque minus tempore Pseudo-Isidori atque saeculis immediate sequentibus. Cfr. *Phillips* l. c. p. 76. 77. 79.; *Scherer* l. c. p. 227. sq.; *Droste*, *Kirch. Discipl. u. Crim.-Verf. geg. Geistl.* p. 49.

(145) Quae Pseudo-Isidorus habet de limitatione iuris accusandi Episcopos vi depositos et spoliatos ante restitutionem, certe nova non fuerunt. Cfr. *Vering* l. c. § 22. not. 11.; *Fournier*, *De l'origine etc.* p. 14. sq.; lib. II. tit. 13. de restitutione spoliatorum X. Quodsi ad defendendos Episcopos contra violentiam Metropolitanorum suae aetatis etiam illud iuris principium stabilivit, quod a *Synodo provinciali* non possit contra Episcopum ferri *sententia definitiva*, tenuit doctrinam in se rationabilem, imo ne novam quidem, si stricto verborum tenori insistatur.

(146) *Hinschius*, *Decretales Pseudo-Isidorianae et Capitula Angilramni Praef.* p. 163. sq., p. 757.-769.

a. 870. Hincmarus (147), Remensis Archiepiscopus, commemorat tanquam allegata a suo nepote Hincmaro, Laudunensi Episcopo. Constat haec collectio 71 capitulis, quae pro diversitate codicum diversa ratione inscribuntur et numerantur (148); principale ipsorum obiectum est ordo iudiciarius in accusatione Episcoporum vel clericorum servandus (149).

Quodsi ista compilatio Angilramno († a. 791.), Episcopo Mentiensi, tanquam auctori tribuitur, vel ab Hadriano Papa (150) dicitur facta et deinde tradita Angilramno d. 19. Sept. 785., “*quando pro sui negotii causa agebatur*”, huiusmodi assertiones sunt mera figmenta (151). Porro nostra aetate iam pridem ab omnibus viris doctis derelicta est sententia Eichhorn *Romae* a. 785. illa capitula esse excerpta sicut codicem quemdam iuris specialis ex “*Romani*”, Pseudo-Isidori collectione (152). Item communi consensu iam satis constat in regno occidentali Francorum circa medium saeculum nonum haec quoque capitula esse composita. De ipso vero auctore, tempore, loco particulari atque de relatione huius collectionis ad compilationes Benedicti Levitae adhuc sub iudice lis est. Videtur tamen probabiliter asseri posse auctorem capitulorum Angilramni usum esse collectione Benedicti Levitae (153). Quodsi quis cum *Balleriniis* (154), *Walter* (155), *Phillips* (156), *Hinschius* (157) putet ipsum Pseudo-Isidorum, et iuxta *Fournier* (158) Cenomanensem falsificatorem (*post?*) maiorem “*Isidori*”, compilationem etiam istam minorem capitulorum “*Angilramni*”, publicasse, antiquis coniecturis (159) nova vereque ingeniosa est addita.

(147) *Migne*, P. L. CXXVI. 377. sq.

(148) *Hinschius* l. c. pag. cit., ubi praesertim p. 167. not. 5. allegationes huius collect. apud Gratianum recenset.

(149) Hinc in sua causa contra Hincmarum Remensem ad haec capitula (14. 5. 1.) provocat Hincmarus Laudunensis. Cfr. *Migne* l. c. CXXIV. 1006. 1014. 1020.

(150) Cfr. v. g. c. 4. C. IV. q. 6.; *Hinschius* l. c. Praef. p. 168. sq.

(151) *Hinschius* l. c. p. 167. sq.; *Ballerini* l. c. P. III. cap. 6. n. 8.

(152) *Scherer* l. c. p. 218.

(153) *Scherer* l. c. p. 218. 220. sq.; *Hinschius* l. c. Praef. p. 170. sq.

(154) L. c. n. 8. 12.

(155) *Kirchenr.* § 99. not. 11.

(156) *Kirchenr.* t. IV. p. 106.

(157) L. c. p. 180.

(158) De l'origine des fausses décrétales p. 13.

(159) *Scherer* l. c. p. 218. not. 15. p. 220. not. 25.; *Phillips* l. c. p. 105. sq.; *Vering* l. c. § 22. i. f.; *Devoti*, lus canonic. t. I. cap. 18. § 16.

§ 8. DE COLLECTIONIBUS IURIS ECCLESIASTICI
OCCIDENTALIBUS POST PSEUDO-ISIDORUM USQUE AD GRATIANUM.

218. Cum saeculo octavo et nono multa Concilia partim mere ecclesiastica partim mixta celebrata essent (160), atque Episcopi v. g. Theodulfus Aurelian. († a. 821.), Haimo Basil. († a. 836.), Herardus Turon. († c. a. 870.) hisce saeculis non raro cogere Synodos dioecesanarum, quarum constitutiones una cum aliis canonibus suo clero tanquam “ *Capitula* „ (“ *Episcoporum* „) promulgabant (161), post Pseudo-Isidorum alii viri ecclesiastici multas novas canonum compilationes frequenter adornarunt (162). Quibus in collectionibus licet ordinem quendam sequerentur systematicum, tamen ad fontes originales non redierunt nec pro conditione temporum severiore arte critica usi sunt ideoque a supremo gradu perfectionis multum defecerunt.

Inter illas collectiones non solum ordine temporis, sed etiam ratione maioris perfectionis, melioris systematis, uberioris materiae, latioris divulgationis prima dicenda est, quae “ *Anselmo dedicata* „ (163) vulgo appellari solet et in duodecim libros divisa typis nondum vulgata est. Qui Anselmus cum optimo iure dicatur esse Anselmus II. (a. 883.-897.), Archiepiscopus Mediolanensis, haec collectio versus finem saeculi noni in Italia superiore (164) censetur esse compilata.

Post collectionem Anselmo dedicatam in Italia saeculo undecimo complures compilationes canonum factae sunt velut tempore S. Gregorii VII. (a. 1072.-1085.) *collectio S. Anselmi* (165) *iunioris*, Episcopi Lucensis (a. 1073.-1086.), etiam

(160) *Hefele* l. c. t. III. et IV.; *Phillips* l. c. t. IV. p. 107. sq.

(161) *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 8. cap. 9. n. 67.; *Phillips* l. c. p. 108. sq.; *Scherer* l. c. p. 229.

(162) *Scherer* l. c. p. 229. sq. 235.; *Fournier*, De l'étude d. collect. can. du IXe au XIIe siècle (a. 1894.) aliaque eiusdem auctoris dissertationes; *Wolf v. Glanvell*, Die Canonsamml. d. Cod. Vat. lat. (a. 1897.).

(163) *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 10.; *Scherer* l. c. p. 236.; *Phillips* l. c. p. 119. sq.

(164) *Federico Palella*, Nuove osservazioni sui Mss. della collezione di canonici “ *Anselmo dedicata* „ in *Rivista ital. per le scienze giuridiche* XI. (1891.) 375. sq., qui recte probat contra dubia mota a Card. Pitra revera saeculo 9. factam esse hanc collectionem in Italia. Ceteroquin auctor vel verosimilium complures auctores huius collectionis sunt ignoti. Cfr. *Ballerini* l. c. n. 4.; *Kirchenlex.* t. I. p. 901.

(165) *Scherer* l. c. p. 239.; *Kirchenlex.* t. I. p. 899. sq.

ex archiviis Romanis deprompta, quae tredecim libros continens tota fere in Gratiani Decretum translata typis integre nondum est divulgata (166).

Alia canonum collectio publici iuris facta est circa a. 1086.-1087. a *Deusdedil* (167), qui fuit unus ex Cardinalibus a Gregorio VII. nominatis suamque compilationem pariter ex archiviis Romanis et registro Gregorii VII. haustam atque in quatuor libros de primatu S. Petri et R. Pontificis, de clero Romano, de bonis ecclesiasticis atque patrimonio S. Petri, de immunitatibus ecclesiasticis distributam Victori III. (a. 1086.-1087.) dedicavit.

Bonizo (168) quoque, Episcopus Sutrinus, postea Placentinus, ut videtur aliquanto post annum 1089. collectionem canonum 10 libris comprehensam publicavit (169); at exceptis nonnullis partibus huius compilationis editio typis impressa non existit (170).

Denique pariter in Italia ineunte saeculo duodecimo (inter a. 1101.-1108.) *Cardinalis Gregorii* (171) prodiit collectio, quae recte etiam "*Polycarpus* „ dicitur, atque in octo libros secundum ordinem systematicum satis perfectum est divisa (172).

219. In *Germania* „ ex iussu Domini *Metropolitani Rathbodi Trevericae urbis Episcopi*, a *Reginone* († a. 915.), quondam *Abbate Pruniensis monasterii* „ (scilicet usque ad ann. 899.) circa annum 906. „ *libellus* (173) de ecclesiasticis disciplinis et reli-

(166) *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 13.; *Phillips* l. c. t. IV. p. 129.

(167) *Deusdedit*, Presbyteri Cardinalis tit. Apostolor. in *Eudoxia*, collectio canonum e codice Vaticano edita a *Pio Martinucci* (1869.) et mox a *Wolf v. Glauwell* denuo et melius edenda; *Ballerini* l. c. cap. 14.; *Schulte*, *Gesch. d. Quell. t. III. b. p. 305.*; *Stevenson*, *Osservazioni sulla coll. ean. di Deusdedit*.

(168) *Kirchenlex. t. II. p. 1087.*; *Migne*, P. L. CL. 781. sq.; *Martens* in *Act. theol. Tubingens. (a. 1883.) p. 457. sq.*

(169) *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 15.

(170) *Scherer* l. c. p. 240.

(171) *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 17., ubi n. 3. „ *epistolam unucupatoriam et librorum titulos ex Vaticano codice* „ proferunt, dum *Theiner*, *Disquisit. p. 342. sq.* rubricas capitum typis mandavit; reliquarum partium „ *Polycarpi* „ editio typographica nondum est facta.

(172) Cfr. de aliis quibusdam collectionibus in Italia elucubratis: *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 18. n. 4.; *Theiner*, *Disquisit. p. 271. sq. 345. sq.*; *Scherer* l. c. p. 236. 420.

(173) Antiquiorem huius collectionis editionem exhibet *Migne*, P. L. CXXXII. 175. sq.; meliorem iam curavit *Wasserschleben*, *Reginonis Abbat. Prum. libri duo de synodalibus causis*, Lipsiae 1840.

gione christiana collectus „ est (174), qui in priore libro agit de clericis, in altero de laicis atque mores et usus illius aetatis insigni modo manifestat.

Saeculo fere elapso post mortem Reginonis similiter in Germania *Burchardus* (175), patria Hassus, clericus Moguntinus, non monachus, postea Wormatiensis Episcopus (a. 1000.-1025), hortante Brunicone, Praeposito Wormatiensi, et adiuvante Walterio, Episcopo Spirensi, et collaborante magistro suo Alberto, monacho Lobiensi, intra ann. 1021.-1022. magnum canonum volumen (176) (*“ Collectarium canonum „*) in 20 libros divisum ad usum cleri curati et ordinandorum edidit, unde praesertim in libro 19. de poenitentia multa de moribus populorum germanicorum innotescunt (177). *“ Ex Brocardo libro „* Gregorius IX. (a. 1227.-1241.) in collectione authentica a. 1234. capita quaedam deprompsit (178). Id multo magis in aliis collectionibus accidit (179); magnam enim celebritatem *Burchardi Collectarium* sive *Decretum* consecutum est.

Denique mentio facienda est *Algeri* (180), Magistri sive Scholastici Leodiensis, postea circiter ab a. 1121. monachi Cluniacensis monasterii, ubi (a. 1130.) mortuus est. Is iam ante a. 1121. scripsit ordine quodam systematico secundum analogum modum postea a Gratiano servatum *“ Librum de misericordia et iustitia* (181) „ in tres partes divisum (182).

(174) *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 11.

(175) *Kirchenlex.* t. II. p. 1524. sq.

(176) Textum antiquarum editionum denuo repetit *Migne*, P. L. CXL.

(177) *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 12., ubi n. 5. de falsis inscriptionibus *Burchardi* disserunt; *Phillips* l. c. t. IV. p. 124. sq. praesertim not. 25.; *Schmitz*, *Die Bussbuecher* p. 722. sq., ubi de *“ correctore „* et de *“ poenitentiali Rouano „* *Burchardi* disputat; *Scherer* l. c. p. 237. sq.; *Fournier*, *Etudes critiq. sur le Deer. d. Burchard de Worms*, novum et accuratum studium criticum fecit huius collectionis.

(178) Cfr. cap. 2. X. de spons. duor. IV. 4.; cap. 1. X. de frig. IV. 15.; cap. 8. X. de accus. V. 1.

(179) Ex his commemoranda est illa, quae dicitur *“ Collectio duodecim partium „*. Cfr. *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 18. n. 7.; *Phillips* l. c. p. 127. sq.; *Scherer* l. c. p. 238.

(180) *Hueffer*, *Beitraege z. Gesch. d. Quellen. d. Kirchenr.*, Muenster 1862. p. 1. sq. 17. sq. 45.

(181) *Migne*, P. L. CLXXX. 857. sq. textum Martène iterum imprimit.

(182) De usu etiam aliorum operum *Algeri* per Gratianum consuli possunt: *Hueffer* l. c.; *Vering* l. c. § 25. i. f.; *Friedberg* in sua ed. corp. i. can. Part. 1. proleg. p. 72. sq.

220. In *Gallia* sub finem saeculi decimi, quo ineunte Regino floruit, *Abbo*, Floriacensis monasterii Abbas († a. 1004.), collectionem 52 capitula continentem cum praefatione ad Ugonem, Francorum regem († a. 996.), filiumque eius Robertum, edidit (183). Omissis aliis collectionibus saeculi undecimi minoris momenti (184), quae dicuntur in *Gallia* compositae, specialem mentionem requirunt tres collectiones ab *Ivone*, Episcopo Carnutensi († a. 1115. vel 1117.), compilatae (185). Prima est *Collectio trium partium*, altera vocatur *Decretum* et 17 libris constat parum ordinatis, tertia appellatur *Panormia*, quae octo libris ordine systematico eoque meliore dispositis post *Decretum* circa a. 1095. videtur esse concinnata (186). Ex his Ivonis collectionibus postea saeculo duodecimo aliae compilationes et abbreviationes in *Gallia* elucubratae sunt v. g. ab Haimone Catalaunensi († a. 1153.) (187).

221. Cum "*Polycarpus* „ Cardinalis Gregorii dedicatus sit Didaco, Compostellanae Ecclesiae Praesuli (188), etiam Ecclesiis *Hispaniae* ista collectio videtur fuisse destinata. Porro ex saeculo undecimo exeunte et saeculo duodecimo ineunte in *Hispania* duae collectiones commemorantur. Una est, quae vocatur ab Ant. Augustino collectio *Caesaraugustana*, cum ibidem fuerit reperta; in quindecim libros distribuitur atque Decretales Rom. Pontificum tantum continet usque ad Paschalem II. (a. 1099.-1118.). Praeterea idem Ant. Augustinus alteram commemorat collectionem canonum in sex libros distributam, quam *Tarraconensem* appellat. Hanc secundam collectionem, cuius recentiora documenta sunt decreta Gre-

(183) *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 11. n. 4.; apud *Migne*, P. L. CXXXIX. 473.-508. textus huius collectionis prostat.

(184) *Scherer* l. c. p. 238.

(185) Fuerunt viri docti v. g. *Theiner*, qui Ivonem saltem "*Decreti* „ auctorem esse negarent; at argumenta ad probandam istam negationem allata non sunt vere concludentia. Cfr. *Phillips* l. c. t. IV. p. 132. sq.; *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 16.

(186) *Migne*, P. L. CLXI. denuo secundum editiones antiquiores textum subministrat tum *Decreti* p. 47. sq. tum *Panorm.* p. 1041. sq. At nunc de Ivonis collectionibus praesertim consulendus est: *Fournier*, Les collections canoniques attribuées à Yves de Chartres, Yves de Ch. et le droit can., qui omnia huc spectantia insigni eruditione et nova arte critica complexus est.

(187) *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 16. n. 4. 6. cap. 18. n. 14.; *Theiner*, *Disquisit.* p. 165. sq.; *Scherer* l. c. p. 242.

(188) Cfr. epist. dedic. apud *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 17. n. 3.

gorii VII. (a. 1073.-1085.), correctores Romani corporis iuris canonici aliquando adhibuerunt (189).

§ 9. DE SINGULARIBUS COLLECTIONIBUS IURIS ECCLESIASTICI
USQUE AD GRATIANUM.

222. Ut post imperfectiores compilationes canonum mero ordine chronologico concinnatas secutae sunt collectiones systematicae, quibus universum ius canonicum in meliorem ordinem fuit digestum, ita ipsa necessitate cogente factum est, ut de rebus ecclesiasticis summopere practicis et quasi usus quotidiani singulares componerentur collectiones.

Quodsi attendatur ratio temporis, imprimis canones poenitentiales singularibus quibusdam collectionibus fuerunt comprehensi. Postquam iam primis saeculis (190) propter lapsos forma canonica poenitentiae accuratius fuit ordinanda, id potissimum factum est a S. Basilio († a. 379.) tribus epistolis canonicis ad Amphiloichium datis (191).

Exinde paulatim orti sunt *libri poenitentiales*, quorum antiquissimi ex saeculo sexto occurrunt in *Britannia* et *Hibernia* (192). Saeculo septimo sane *Theodorus*, Archiepiscopus Cantuariensis († a. 690.), de universa disciplina ecclesiastica in Anglia restauranda optime meritus est; sed specialem quemdam *librum poenitentialem* ipse non composuit (193). In *Gallia* quoque iam saeculo sexto et septimo occurrunt canones poenitentiales (194), qui paulatim ex saeculo septimo etiam in proprios libros poenitentiales redacti sunt. Qua in

(189) *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 18. n. 10. 11. Quo in cap. 18. lectione dignissimus est n. 15., quo fratres Ballerinii universam suam disputationem de antiquis canonum collectionibus concludunt; *Theiner*, *Disquisit.* p. 356. sq.; *Phillips* l. c. t. IV. p. 135. sq. Cfr. quoque *Antequera*, *Historia de la legislacion espanola*, Madrid 1884. p. 97. sq.

(190) *Pitra*, *Iur. eccl. Gr. Hist. et Monum.* t. I. p. 541. sq.; *Scherer* l. c. p. 209.

(191) *Pitra* l. c. p. 576. sq. Dubia a *Molkenbuhr* aliisque viris doctis contra authenticam illarum epistolarum prolata non videntur esse peremptoria. Cfr. *Pitra* l. c. p. 613. sq.; *Schmitz*, *D. Bussbuecher* p. 39. sq.

(192) *Schmitz* l. c. p. 490. sq.

(193) *Schmitz* l. c. p. 510. sq., qui p. 550. sq. agit etiam de libris poenitentialibus S. Bedae Venerabili (673.-735), et Egberto, Episcopo Eboracensi († a. 765.), adscriptis. Cfr. quoque *Scherer* l. c. p. 210.; *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 6.; *Migne*, P. L. XCIX. 927. sq.

(194) *Schmitz* l. c. p. 202.

re non paucae assertiones virorum acatholicorum solido fundamento plane carent (195). Concedendum vero est ex saeculo octavo et nono graves abusus in non paucos libros poenitentiales irrepsisse, quos gravibus verbis Concilia proscripserunt (196). Inde factum esse videtur, ut *Haltigatus*, Episcopus Cameracensis († a. 831.), petente Ebbone Remensi sex libros de poenitentia conscriberet (197). In *Germania* celeberrimae factae sunt duae collectiones *Rabani Mauri* († a. 856.), quae canones poenitentiales exhibent (198). In *Hispania* (199) hucusque unicus tantum liber poenitentialis ex saeculo octavo innotuit (200).

Complures libri poenitentiales extiterunt in *Italia* (201) et certe Romae antiquus quidam ordo poenitentiae fuit receptus. At admittendum est titulum (" *Poenitentiale Romanum* ") in collectionibus quibusdam esse fictionem, neque existitisse Poenitentiale Romanum ex officio universae Ecclesiae catholicae praescriptum; inde tamen in dubium vocari non potest, quin ordo poenitentiae Ecclesiae Romanae multum fuerit divulgatus, atque consuetudo Romana in libros poenitentiales alibi compositos suam exerceverit vim et efficaciam (202).

223. Iuris *matrimonialis* antiquissima collectio est brevis illa compilatio triginta capitum ex saeculo nono (203). Porro ex saeculo undecimo et duodecimo in maioribus collectionibus canones matrimoniales iam sub specialibus libris vel partibus comprehenduntur. Id v. g. fit libro septimo Decreti Burchardi Wormatiensis et libro octavo Decreti Ivonis Carnutensis. Post Gratianum inde ex fine saeculi duodecimi complures existunt Summae de matrimonio, in quibus non iam

(195) *Schmitz* l. c. p. 207., ubi refutationem illarum assertionum exhibet. Cfr. quoque *Arch. f. k. K.* t. 49. p. 3. sq.

(196) Cfr. c. 22. *Conc. Turon.* (a. 813.); c. 38. *Conc. Cabil.* (a. 813.); c. 32. *Conc. Paris.* (a. 829.); *Schmitz* l. c. p. 712. sq.

(197) *Migne*, P. L. CV. 651. sq.; *Ballerini* l. c. n. 3.; *Schmitz* l. c. p. 719. sq.; *Scherer* l. c. p. 211. not. 15. p. 213. n. 23.

(198) *Schmitz* l. c. p. 733. sq.; *Ballerini* l. c. n. 4. 5.; *Scherer* l. c. p. 213. not. 26.

(199) *Scherer* l. c. p. 212. n. 17.

(200) Cfr. de aliis libr. poenit.: *Scherer* l. c. p. 213. not. 24. 25; *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 6. n. 3. 4. 5. 6.

(201) *Schmitz* l. c. p. 227. sq.

(202) *Scherer* l. c. p. 210. sq.; *Saegmueller* l. c. p. 113. sq.

(203) *Vering*, *Lehrb. d. k. K.* § 23.

canones matrimoniales colliguntur, sed potius tractatus singulares de iure matrimoniali publicantur.

224. Maxima fuit necessitas iam a primis temporibus, ut ordo et modus functionum *liturgicarum* accurate determinarentur. Collectiones, quae ordinem illum exhibebant (204), in Ecclesia occidentali ex saeculo quinto et sexto dicebantur “ *Liber mysteriorum vel sacramentorum* „, aut brevius “ *Sacramentarium* „ (205), in graeca vero Ecclesia “ *Euchologium* „, audiebant (206). Ex saeculis subsequentibus hac in re maximi momenti sunt “ *Ordines Romani* „, inter quos antiquissimus circiter saeculo octavo videtur adscribendus (207).

225. Quodsi usque ad nostram aetatem libri practici abundant appendicibus, quibus “ *formulae* „, practicae scribendi et negotia expediendi traduntur, atque adeo ex professo de hac re volumina in folio existunt (208), mirum profecto non est, quod hisce quoque saeculis ante Gratianum libri formularum sicuti in foro civili (209), ita etiam in foro ecclesiastico reperiantur.

Inter antiquas collectiones formularum ecclesiasticarum principem locum occupat “ *Liber diurnus* „ (210), qui fuit liber formularum Cancellariae Ecclesiae Romanae. Qui liber

(204) *Assemani*, Codex liturgicus Ecclesiae universalis, Rom. 1749.-1766 (opus incomp.); *Daniel* Codex liturgicus Ecclesiae universae, Lips. 1847.-1854.; *Thalhofer*, Handb. d. k. Liturgik, t. I. p. 32. sq.

(205) De nova sententia a *D. Duchesne* propugnata in recenti ipsius editione Libri Pontificalis de Sacramentariis (Leoniano, Gelasiano, Gregoriano) benevolum, sed discors iudicium optimo iure fert *Probst* in Act. theolog. Oenip. t. XV. p. 193. sq.; *Thalhofer* l. c. p. 34. sq.; *Ebner*, Quellen u. Forschungen zur Gesch.... d. Missale Rom.

(206) *Deuzinger*, Ritus Orientalium etc.; *Thalhofer* l. c. p. 34. sq.

(207) *Mabillon*, Musaeum Italicum, Paris. t. II. 1689., post quem 16 Ordines Rom. cum praevio commentario iterum typ. mandavit *Migne*, P. L. LXXVIII. 851. sq.; *Meckel* in Act. theolog. Tubing. t. 44. p. 50. sq.; *Thalhofer* l. c. p. 41. sq.; *Duchesne*, Origines du culte chrétien p. 138. sq.

(208) *Monacelli*, Formular. legale practicum fori ecclesiastici.

(209) Maxime ad forum civile spectant *Marculfi* Monachi, Formularum libri duo, qui circa a. 660. publicati sunt. Iteratam illorum librorum editionem una cum multis aliis antiquis formulis habes apud *Migne*, P. L. LXXXVII. 695. sq.

(210) Huius libri diurni editionem iam publicavit *Garnier*, Paris. 1680., quam iterum prelo subiecit *Migne*, P. L. CV. 11. sq. 1361. sq. una cum dissertationibus *Garnier* et *Zaccariae*. Novam editionem adornavit *Rozière*, Liber diurnus ou recueil des formules usitées par la chancellerie pontificale du Ve. au Xe. siècle.... Paris 1869.; *Siekel*, Liber diurnus Rom. Pontif. 1889.; *Duchesne*, Le « Liber diurnus » 1891.

inter a. 685.-752. videtur esse compositus et non paucas formulas iam ex saeculo quinto et sexto continet. Usus libri diurni cessavit inde a saeculo undecimo. Pro more Ecclesiae Romanae etiam Ecclesiae particulares suos habuerunt *libros formularum* (211).

226. Scholion. I. *Ordines iudicarii* (212) cum potius spectent ad tempus post Gratianum et non raro sint magis tractatus singulares de iudiciis ecclesiasticis quam collectiones canonum, hoc loco non sunt accuratius exponendi. Praeterea satis iam insinuatae sunt illae collectiones iuris Romani ad usum Ecclesiae et clericorum factae v. g. saeculo nono "*Lex Romana Canonice compta* „ (213).

II. Singulare quoque institutum iuridicum iam ante Gratianum occurrit; reperiuntur enim iam inde a saeculo octavo *pacta amicitiae* (214) vel pacis restitutae *concordiae* inter principes civiles et Praelatos Ecclesiae, praesertim Rom. Pontifices (215). Cfr. *Nussi*, *Conventiones* etc., Rom. 1869.

§ 10. DE COLLECTIONIBUS IURIS CIVILIS ROMANI ET GERMANICI
IN COLLECTIONIBUS IURIS ECCLESIASTICI ALLEGATIS.

227. Leges civiles quamvis ex sese fontibus cognoscendi et essendi iuris canonici in causis vere ecclesiasticis non possint adnumerari (216), tamen Ecclesia non paucas illarum praesertim hisce saeculis ante Gratianum tacite vel expresse

(211) *Scherer* l. c. p. 214. sq.

(212) *Vering* l. c. § 23. "*De institutionibus iudiciorum* „ in libro tertio systematicae collectionis hispanicae cfr. *Migne*, P. L. LXXXIV. 51. sq.; *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 5.; *Scherer* l. c. p. 206.

(213) *Vering* l. c.; *Scherer* l. c. p. 193. sq.

(214) Hue spectat v. g. pactum Carisiaeum inter Stephanum III. et Pippinum (a. 754.) Cfr. *Card. Hergenroether-Kirseh* l. c. t. II. p. 65. sq.; *Scherer* l. c. p. 232.; c. 30.-33. incl. Dist. 63.; concordatum Henrici I., regis Angliae, et S. Anselmi, Archiep. Cantuar., a Paschali II. et comitiis regni approbatum (a. 1105.-1107.); *Hefele* l. c. t. V. p. 276. sq.

(215) Pactum Callixtinum sive concordatum Wormatiense, quod a. 1122. inter Legatos Callixti I. et Henricum V., regem Germaniae, initum fuerat, a comitiis regni eodem anno approbatum et denique a Callixto II. et Concilio Lateran. I. (a. 1123.) solemniter confirmatum est. Cfr. *Hefele* l. c. p. 374. sq. Quod concordatum *De Angelis* l. c. lib. I. p. 96. ex albo verorum concordatorum minus recte expungit. De pactis, quae cum "*Monarchia Sicula* „ connexa sunt, consuli debet *Sentis*, *Die Monarchia Sicula* v. g. p. 76; concord. Lusit. a. 1288. refert *Nussi* l. c. p. 281. sq.

(216) Cfr. supra h. tom. I. n. 195. not. 117. 128.; *Palmieri*, *De Rom. Pont.* p. 118. sq.

approbavit (217). Cfr. comp. V. Honori III. a. 1226.-1227. cap. 1. l. 1., cap. unic. V. 4. Insuper saltem propter practicas utilitates in antiquioribus canonum collectionibus *citra formalem canonizationem* iura civilia colliguntur et allegantur (218). Denique vel ipsae ecclesiastici iuris collectiones non raro saltem in *forma* et *methodo* iuris civilis codices legum Romanarum imitatae sunt (219). Quare de collectionibus iuris civilis hoc tempore factis aliqua sunt insinuanda.

228. Ius civile, si in foro ecclesiastico sine ulteriore determinatione hoc verbum adhibetur, significat *ius civile Romanum* (220). Quo sensu opponitur imprimis iuri ecclesiastico et praeterea iuris civilis codicibus aliorum populorum quorum leges in fontibus iuris ecclesiastici ordinarie non simpliciter et sine addito dicuntur leges vel ius civile (221). Praeterea etsi ius civile Romanum comprehendit universum illum complexum legum scilicet *leges, plebiscita, senatusconsulta, constitutiones principum, edicta magistratum, auctoritatem prudentum, ius consuetudinarium* (222), quibus relationes privatae et publicae antiqui populi Romani ordinabantur, tamen etiam in foro ecclesiastico ius publicum Romanorum de constitutione imperii (223) minoris est momenti, neque qualescumque leges Romanae sunt attendendae, sed potissimum constitutiones et collectiones *Imperatorum christianorum* (224).

Quare omissis collectionibus privatis *Papirii Iusti, Gregoriani* et *Hermogeniani* (225) primo loco mentio facienda est *Codici Theodosiani* (226). Qui Codex a Theodosio II. (a. 408.-450.)

(217) Honorius III. 22. Nov. 1220. approbat Const. Friderici II.; *Suarez*, De leg. l. IV. cap. 11. n. 15.; *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. IX. cap. 10.; *Bouix*, De iudiciis ecclesiast. t. I. p. 19. sq.; *Scherer* l. c. §§ 34. 51.

(218) *Maassen* l. c. p. 308. sq.; *Theiner*, Disquisit. (Comes Carol. Reissach) p. 217. sq.; *Scherer* l. c. p. 193. sq. 230. sq.

(219) *Baldi*, In corpus iuris commentarius de vera et propria operis oeconomia, Rom. 1883.

(220) *Laurin* l. c. p. 235.

(221) Cap. 28. (Honor. III. a. 1219.) X. de privil. V. 33.; *Schulte*, D. Lehre v. d. Q. p. 21.

(222) *Laurin* l. c. p. 235. sq.; *Vering*, Gesch. u. Pand. §§ 7. 8. 14. sq.

(223) *Walter*, Geschichte d. roem. Rechts t. I. n. 8. sq.

(224) *Walter* l. c. t. II. n. 424. sq.

(225) *Vering* l. c. § 28.; *Laurin* l. c. p. 242.

(226) Corpus iuris anteiustiniani, quod prodiit Bonnae 1837.-1844., in tom. II. etiam Cod. Theod. continet; propter commentarium (cum discre-

approbatus et d. 15. Febr. 438. in imperio orientali ita publicatus est, ut a d. 1. Ianuarii 439. vim obligandi haberet. Eodem anno 438. Valentinianus III. (a. 425.-455.), Imperator Occidentis, Codicem Theodosianum ad se transmissum pariter approbavit et ibidem promulgavit. In hac collectione authentica Constitutionum imperatoriarum a Constantino M. (a. 307.-337.) usque ad Theodosium II. incl. singuli sexdecim libri in titulos cum suis rubricis sunt distributi, e quibus praeter librum decimum sextum de personis et rebus ecclesiasticis praesertim lib. III. et IX. et XV. necnon novellae Constitutiones post Codicem Theodosianum publicatae iuri canonico inserviunt (227).

Quod ius Romanum etiam post extinctum imperium occidentale (a. 476.) ibidem vigere non cessavit (228). Etenim imprimis clerus inter diversos populos germanicos constitutus, quominus in rebus suis etiam saecularibus iure Romano uteretur, non fuit impeditus (229). Insuper novi isti dominatores suis subditis Romanis speciales iuris Romani collectiones adornarunt (230) et in ipsas leges "*Barbarorum*," velut Baiuvariorum, Burgundionum et Francorum, Longobardorum et Ostrogothorum, Visigothorum non pauca ex iure Romano fuerunt translata (231).

Celebriores factae sunt *collectiones Imperatoris Iustiniani I.* (a. 527.-565.) (232). Is post publicatum a. 529. Codicem, qui

tione adhibendum) suo valore etiam nostra aetate non caret editio *Iac. Gothofredi* († a. 1652.) Codicis Theodosiani, Lugdun. 1665. Cfr. L. 5. 6. Cod. Theod. d. const. princ. 1. 1.

(227) *Vering* l. c. § 28. n. 8. 9.; *Laurin* l. c. p. 243. sq.

(228) *Laurin* l. c. p. 265. sq.

(229) Cfr. e. 12. 13. D. 10.; *Waller*, Deutsche Rechtsgeschichte n. 146. 158.; *Scherer* l. c. t. 1. p. 159. not. 5. p. 191.; *Lex Rip.* tit. 60. (58.) § 1.; "*Secundum legem romanam, qua Ecclesia vivit*"; cit. cap. 28. X. V. 33. "*quia tamen in Francia et nonnullis provinciis laici romanorum imperatorum legibus non utuntur*."

(230) V. g. *Lex Romana Visigothorum* (sive *Breviarium Alaricianum*) ab Alarico II. (484.-507.) a. 506. publicata; *Lex Romana Burgundionum* intra a. circiter 516.-536. compilata; *Edictum Theodorici* († a. 526.) ann. 500. editum.

(231) *Laurin* l. c. p. 266.; *Scherer* l. c. p. 192. sq.

(232) *Laurin* l. c. p. 245. sq.; *Vering* l. c. § 29. Ibidem etiam exponuntur diversi modi citandi tres collectiones Iustiniani, inter quos recentiores antiquioribus modis omnino praeterendi sunt; v. g. L. 1. pr. § 1. Dig. de pactis II. 14.; pr. § 1. Inst. de servitutib. II. 3.; L. 12. pr. § 1. Cod. de reb. credit. IV. 1.

Codex vetus nunc dicitur atque non amplius existit, tandem d. 16. Dec. 533. *Digesta* sive *Paudectas* promulgavit. Quae cum componerentur, Iustinianus etiam *Institutiones* (sive iuris elementa) concinnari iussit easque iam d. 21. Nov. 533. publicavit, verum utramque collectionem authenticam et Digestorum et Institutionum nonnisi a d. 30. Dec. 533. vim obligandi habere expresse statuit.

Cum etiam post Codicem veterem d. 7. Apr. 529. publicatum atque adeo post promulgata *Digesta* novae prodissent Constitutiones imperatoriae, Iustinianus Triboniano imperavit, ut novum quendam Codicem melius digestum adornaret. Qui *Codex novus* vel repetitae praelectionis abrogato plane Codice vetere d. 16. Nov. 534. promulgatus atque a die 29. Dec. 534. sanctione et vi legali munitus est (233).

Constitutiones Imperatoris Iustiniani, quae post promulgatas tres collectiones authenticas conditae sunt et Novellae appellantur, in novam quamdam collectionem authenticam publica auctoritate factam non fuerant insertae. Quinque autem existunt privatae Novellarum collectiones (234). Ex his antiquissima est illa, quam Iulianus, antecessor in schola iuris Constantinopolitana, ipso vivente Imperatore Iustiniano, sed non ante annum 533. adornavit. Quae collectio est potius compendium Novellarum lingua latina pro populis Italiae compilatum et dicitur “ *Epitome Iuliani* „ (235). Quo compendio postea Gratianus quoque usus est (236). Secunda Collectio Novellarum ab a. 535.-536. publicarum solummodo secundum versionem quandam latinam circa ann. 1100. in schola Bononiensi iuris innotuit. Quae cum integrum textum, non compendium Novellarum exhiberet, ut a compendio Iuliani distingueretur, “ *Authenticum* „ (Liber authenticorum etc.) appellata est (237). Tertium locum occupat *collectio Novellarum* facta temporibus Imperatoris Tiberii II. (a. 578.-582.). Denique commemorandae sunt *duae collectio-*

(233) De editionibus corporis iuris civilis cum Glossa et sine Glossa disserunt: *Laurin* l. c. p. 273. sq.; *Arnolds-Serafini*, Lehrbuch d. Pand. § 2. not. 5.

(234) *Laurin* l. c. p. 255. sq.

(235) Item appellatur *Epitome Novellarum* vel *Liber Novellarum* et ab *Haenel* denuo editus est: *Iuliani Liber Novellarum*, Lips. 1873.

(236) V. g. c. 11. C. II. q. 1.

(237) *Heimbach* iterum publici iuris fecit: *Authenticum*, Lips. 1851. Cfr. *Scherer* l. c. p. 191. 231.; *Laurin* l. c. 270. sq.

nes Novellarum, e quibus una per Glossatores iuris Romani saeculo duodecimo introducta est; altera Antio Contio debetur, quae postquam prima vice a. 1571. prodiit, communiter in editionibus corporis iuris civilis recepta est (238).

Universae istae Imperatoris Iustiniani collectiones et Constitutiones in solo imperio orientali (239) per se vim habuerunt. Cum novis victoriis reportatis provinciae Africae et ipsa Italia denuo Imperatori Byzantino subiicerentur, Iustinianus etiam in Italia suas collectiones et Novellas promulgandas curavit (240). Quod ius Iustinianæum pro singulari sua natura et conditione populorum in Italia, qui legibus Romanis iam erant assueti, ibidem altiores egit radices; hinc destructa quoque dominatione Byzantina et dilatato regno Longobardorum saltem pro clero et Romanis vim retinuit (241). Quinimo collectiones Iustiniani paulatim etiam in alias Occidentis regiones fuerunt divulgatae, praesertim postquam ex fine saeculi undecimi in civitate Bononiensi studia legitima nova ceperunt incrementa.

229. *Populi germanici* cum permetterent, ut Ecclesia, clerici devictique Romani secundum *legem Romanam* “*viverent* „ (242), ipsi patrias suas leges fideliter retentas paulatim ex saeculo quinto et sexto collegerunt magisque religioni christianae accommodarunt (243).

Ex illis collectionibus (244) antiquissima videtur esse *Lex Salica* (245) sive Francorum Salicorum, quae forte iam saeculo quinto ante Chlodvigum scripto consignata est. Quae collectio postea multum immutata et tandem sub Carolo Magno emendata “*Lex Salica emendata* „ audiit. Accedit

(238) Citantur Novellae in corpore iur. civil.: Novel. 89. praef. (epil.) cap. 12. pr. § 1.

(239) De collectionibus iuris Romani post Imperatorem Iustinianum in Oriente factis consuli possunt: *Laurin* l. c. p. 265. sq.; *Vering*, Gesch. u. Pand. § 30.

(240) *Laurin* l. c. p. 266. sq.

(241) Cfr. supra h. tit. not 228. sq.; *Conrat*, Gesch. d. Quell. u. Litt. d. r. R. im frueher. Mittelalt. t. I. p. 5. sq. 205. sq.

(242) *Waller*, Deutsche Rechtsgesch. § 43. not. 7. § 46. not. 4, 5. §§ 746. 158.

(243) *Waller* l. c. §§ 30. 31. 36. sq. 46. 145. sq.; *Scherer* l. c. p. 191. sq.; *Alequera*, Hist. de la legisl. esp. p. 78.

(244) *Gerber*, System des deutsch. Privatrechts § 11.; *Holtzendorff*, Encyclop. d. Rechtswiss. P. I. p. 205. sq. aliique auctores, qui de historia iuris germ. scripserunt v. g. Schulte, Schroeder, Brunner, Stobbe.

(245) *Pardessus*, Loi salique, Paris 1843.

Lex Ripuaria (Ribuaria) sive Ripuariorum (Francorum) inter a. 511.-534. compilata. Quod ius illam singularem habuit prerogativam, quod fuerit *ius personale regum Francorum*. Porro *Lex Burgundionum* (Gundoba(1)da, Loi Gombette) versus finem saeculi quinti sub rege Gundoba(1)do († a. 516.) composita Sygmundo regnante († a. 523.) aucta et immutata est. *Lex vero Alamannorum* primum circa a. 550. conscripta est, cui postea aliae leges additae sunt. *Lex Baju(w)ariorum* postquam forte iam Dagoberto regnante compilata fuit, saeculo octavo variis additionibus aucta est. Specialem mentionem merentur *Leges Longobardicae* (Langobardicae, Edictus Longobardorum) inde a legibus Rotharis regis (a. 643.) usque ad Aistulfum (a. 750.-754.). Quibus legibus accesserunt leges regum Francorum et Germaniae. Circa finem saeculi undecimi haec collectio chronologica in collectionem systematicam trium librorum, quae Lombarda dicitur, fuit transmutata (246). *Lex Frisionum*, *Lex Saxonum*, *Lex Anglorum* et *Werinorum* i. e. *Thuringorum* sub Carolo M. (a. 802.) saltem denuo recensitae sunt.

Lex Visigothorum (Wisigothorum) (247) sive forum iudicum (Fuero luzgo) (248) sub Euricho rege (a. 466.-483.) primum videtur esse conscripta, dein sub Reccaredo I. (a. 586.-601.) iterum recensita; at praesertim sub regibus Chindaswindo et Roceswindo (a. 642.-672.) universae leges in unum codicem (*excluso usu codicum Romanorum*) sunt redactae: “ *Nullus prorsus ex omnibus regni nostri praeter hunc librum, qui nuper est editus, atque secundum seriem anodo translatus, librum alium legum pro quocunque negotio iudici offerre pertentet* „. Tandem in Concilio Toletano XVI. (a. 693.) sub rege Egica († a. 701.) *lex Visigothorum* ultimam revisionem subiit (249).

Quodsi in compluribus legibus modo enumeratis non paucae leges Romanae receptae et approbatae sunt (250), “ *Leges Anglosaxonicae* „ a saeculo sexto usque ad saeculum undecimum latae ab omni *vi* et *auctoritate legum Romanarum* plane immunes exstiterunt neque ulla ratione iure Romano fuerunt

(246) Gerber l. c. §§ 11. 16.; Scherer l. c. p. 192. not. 10, p. 261. not. 48.

(247) Scherer l. c. p. 192.; Gerber l. c. § 11.

(248) *Antequera* l. c. p. 79. sq.

(249) Editiones antiquas huius “ *Codices legum Visigothorum* „ sive “ *Libri Gothorum* „ refert *Antequera* p. 97., recentiores vero Scherer l. c. p. 192.; efr. quoque Gerber l. c. § 11. not. 15.

(250) Laurin l. c. p. 265. sq.

immutatae (251). In foro ecclesiastico ex istis legibus populorum germanicorum maximam auctoritatem consecuta sunt “ *Capitularia „ regum Francorum patesertim Caroli Magni* (252).

Ansegisus (253) († a. 833.) Abbas Fontanellensis (a. 823.-833.) Capitularia quaedam Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii, anno 827. primus in unum corpus collegit et in quatuor libros digessit (254). Quo ordine id factum sit, ipse Ansegisus in praefatione his verbis exponit: “ *Illa sciticet, quae dominus Karolus imperator fecit ad ordinem pertinentia ecclesiasticum, in primo adunavi libello. Ea vero quae dominus ac piissimus Hludovicus imperator et Hlutharius caesar, filius ipsius ediderunt, in secundo descripsi. Illa autem, quae dominus Karolus in diversis fecit temporibus ad mundanam pertinentia legem, in tertio adunavi. Ipsa vero, quae dominus Hludovicus praeclarus imperator et Hlutharius caesar, filius illius, fecerunt ad augmentum mundanae pertinentia legis, in quarto cougessi „*. Cui collectioni ipse Ansegisus tres subiunxit appendices. In Gallia et Germania et Italia multum divulgata est compilatio Ansegisi et in comitiis et Conciliis ad instar codicis authenticum (255) fuit allegata.

TITULUS XII.

DE NOVIS IURIS ECCLESIASTICI COLLECTIONIBUS.

[A Gratiano usque ad Concilium Trident. a. 1139, 1150, 1545, 1563.]

§ 1. DE DECRETO GRATIANI.

230. Cum sublato (1) celeberrimo dissidio de investituris per concordata inter Romanos Pontifices et principes saeculares inita post longum temporis intervallum ab ultimo Con-

(251) *Wilkins*, *Leges Anglosaxon. eccles. et civ.*, Londin. 1721.; *Scherer* l. c. p. 230. de legibus a regibus Angliae latis in favorem Ecclesiae, quibus postea (a. 1164.) successerunt nefastae “ *Consuetudines Anglicanae* ” (Clarendon). Cfr. *Hefele* l. c. t. V. p. 623.

(252) *Scherer* l. c. p. 193. 230.; *Holtendorff* l. c. p. 206.; *Gerber* l. c. § 12.

(253) *Schmid* in *Kirchenlex.* tom. I. p. 884. sq.; *Ballerini* l. c. P. IV. cap. 9. n. 1. 2.

(254) *Migne*, P. L. XCVII. 489. sq. post. edit. factas a *Baluze* (1677.); *Pertz* in *Mon. Germ.* denuo exhibet textum collectionis Ansegisi; novam editionem curavit *Boretius*.

(255) *Schmid* l. c. p. 885.; *Scherer* l. c. p. 193.; *Hefele* l. c. t. IV. p. 72. sq. 290. sq. 572. sq.; *Schulte*, *Gesch. d. Quell. t. I.* p. 107. sq. de usu iuris popul. german. apud. Glossatores.

(1) Cfr. supra h. tom. I. n. 226. scholion II.

cilio oecumenico (a. 869.) elapsam duo prima Concilia oecumenica (Lateranense I. a. 1123. et Lateranense II. a. 1139.) in Occidente celebrata essent, concordia regnante inter imperium et sacerdotium (Lotharius III. a. 1125.-1137. et Innocentius II. a. 1130.-1143.), longa (2) pax et aetas laborum foecunda Ecclesiae videbatur esse restituta. Quare mirum non est, si quis praesertim ob multas etiam novas leges in collectiones non receptas neque apte semper dispositas sibi non raro contrarias consilium caperet novam adornandi canonum collectionem suae aetati magis convenientem (3).

231. Auctor huiusmodi novae collectionis factus est *Gratianus* (4). Is fuit natione *Italus*, professione *monachus* *Carmaldulensis* ex monasterio S. Felicis et Naboris in civitate *Bononiensi*, ubi fuit magister theologiae; mortuus est ante annum 1179. (5). Collectio ista a Gratiano sane in dicto monasterio Bononiensi est composita (6); at quo anno facta sit, non inter se conveniunt doctores. Profecto *post ann. 1139.* Gratianus opus suum complevit, cum iam alleget canones Concilii Lateranensis II. eodem anno celebrati. Porro *ante annum 1150.* compilatio Gratiani videtur fuisse publicata. Etenim *Huguccio* († a. 1210.), qui usque ad annum 1190. Bononiae ius canonicum docuit, in *Summa Decreti* intra an. 1179.-1187. a se confecta expressis verbis testatur: “ *Liber iste compositus est..... domino Iacobo Bononiensi* († a. 1187.) *iam docente in scientia legali* (saltem iam a. 1151.) *et Alexandro tertio Bononiae residente in cathedra magistrali in divina pagina ante apostolatam eius* „. At Alexander III. saltem d. 21. Nov. 1150. iam fuit Cardinalis, quo tempore certe non amplius tenuit cathedram magistralem (7). Insuper idem Alexander III. cum esset *magister Rotandus*, non cardinalis, conscripserat “ *Stroma Rolandi* „ i. e. *Summam* sive *compendium Decreti Gratiani*; id, quod Gratiani collectionem evidenter iam supponit (8). Neque illis documentis, quibus complures scriptores

(2) *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. I. II. p. 425. sq. 515. sq.

(3) *Laurin* l. c. p. 11. sq.

(4) (*Stroma* Rolandi), *Die Summa magistri Rolandi*, ed. *Thauer* p. 3. sq.; *Laurin* l. c. p. 21. sq.

(5) Alia de Gratiani vita, e quibus non pauca meris fabulis adnumeranda sunt, refert *Laurin* l. c. p. 10. sq.

(6) *Laurin* l. c. p. 24, 25.; *Saegmueller* l. c. p. 126. sq.

(7) *Laurin* l. c. p. 21. sq.

(8) *Laurin* l. c. p. 22. sq.; *Thauer* in ed. cit. *Summae mag. Rol.* p. XXII. sq. p. XXXI. sq.

directe annum 1150. (vel 1151.) enuntiatum esse putant, magna vis probandi inesse videtur, sicuti etiam Thaner suis disquisitionibus de formula “*Salva Sedis Apostolicae auctoritate* „ nihil, quod ad rem faceret, in medium adduxit (9). Quare Gratianus circiter intra ann. 1139.-1150. Decretum videtur publicasse.

232. A Gratiano ipso, qui contrarietate legum potissimum ad faciendam compilationem canonum videtur fuisse permotus (10), *nova collectio* secundum Rufinum (11) aliosque testes (12) appellata esse dicitur: “*Concordia discordantium canonum* „. At a Rolando (13) et Paucapalea constanter tanquam “*decreta* „, (*in decretis*) allegatur (14), cum ab aliis scriptoribus “*corpus iuris canonici* „, vel alia ratione appellaretur. Pro more Decreti Burchardi et Ivonis nunc iam diu “*Decretum Gratiani* „, audit.

Ipsa (15) Gratianus Decretum in tres partes *diviserat*. *Prima pars* 20 *distinctionibus* continet *introductionem* quam *generalem* de fontibus, quam Gratianus *initium* vel *principium* appellat. Reliquae 81 “*distinctiones* „, primae partis (D. 21.-101.), quae a Gratiano “*tractatus ordinandorum* „, dicuntur (16), agunt de personis et muneribus ecclesiasticis. Singulae di-

(9) *Seherer* l. c. p. 244.; *Laurin* l. c. p. 22. sq. Glossa ordinaria ad e. 36. C. II. q. 6. tradit a. 1150. Decretum Gratiani fuisse compositum eamque sequuntur; *Maassen*, *Phillips*, *Laurin*, *Saegmueller*, *Kunstmann*, *Seherer*, *Hueffer*; at *Schulte*, *Hinshelius*, *Friedberg*, *Thaner* recte docent eompluribus annis ante a. 1150. Gratianum suum compilasse Decretum. Cui sententiae nunc auctoritatem conciliavit etiam *Fourrier*, *Deux controverses s. l. orig. du décret de Gratien* (a. 1898.).

(10) *Stroma Rolandi* in ed. cit. p. 3. sq.; *Laurin* l. c. p. 11. sq. p. 26. 27.

(11) “*Universo operi titulum praescribit* (i. e. Gratianus) *discordantium canonum concordiam* „. Ita *Rufinus* in *Summa scripta* intr. a. 1160.-1170. Cfr. *Laurin* l. c. p. 26.

(12) Praeter antiquiores eodices hanc sententiam v. g. tuentur: *Schulte*, *Geschichte der Quellen* etc. tom. I. p. 48.; *Friedberg* in ed. corp. iur. can. P. I. p. IX.

(13) *Stroma Rolandi* ed. cit. p. 4.; *Alex. III.* in cap. 6. X. de desp. imp. IV. 2.

(14) *Laurin* l. c. p. 26. sq. cum *Thaner* hunc titulum ab ipso Gratiano inditum esse “*per quam verisimile* „ existimat, sed argumentis concludentibus non probat.

(15) *Laurin* l. c. p. 33. sq.

(16) *Paucapalea*, discipulus Gratiani, qui distinctionem 73. Decreto inseruerat, etiam est auctor divisionis primae partis Decreti in 101 distinctiones. Cfr. *Laurin* l. c. p. 31. sq. p. 38. sq.

stinctiones imprimis continent “ *dicta* „ sive “ *paragraphos* „ Gratiani (“ *Gratianus* „), quibus auctor collectionis suas *propositiones* et *doctrinas* canonicas enuntiat eisque ad probationem subiungit “ *canones* „ vel capita (17) quibus ordinarie “ *summaria* „ vel *rubricas* et *inscriptiones* ipse praefixit (18).

Secunda pars Decreti item ab ispo Gratiano (19) divisa est in 36 “ *causas* „; singulae causae vero dividuntur in “ *quaestiones* „ quibus Gratianus suis “ *dictis* „ respondet suaque dicta iterum confirmat “ *canonibus* „ cum *sumnariis* et *inscriptionibus* praemissis.

Causae XXXIII. quaestio tertia agit de *poenitentia* eamque Gratianus suo Decreto inseruit (20). Quae quaestio (non a Gratiano) nunc in septem “ *distinctiones* „ divisa est (21); distinctiones denuo subdividuntur in “ *canones* „ vel capita, quibus praecedunt “ *dicta Gratiani* „ atque *summaria* et *inscriptiones* (22).

Tertia pars Decreti ius continet “ *de consecratione* „ sive de liturgia, ideoque etiam “ *Liber de sacramentis* „ appellata est. *Paucapalea* (23) hanc partem divisit in quinque *distinctiones*, quae praemissis dictis Gratiani dividuntur in *canones* more solito cum *sumnariis* et *inscriptionibus* allegatis. Citationes partis tertiae adiuncta habent verba “ *de consecr.* „ ut ab allegatlonibus primae partis secernantur (24).

(17) Post Gratianum a *Paucapalea* aliisque *Glossatoribus* “ *auctoritates* „ (*canones*) Decreto insertae sunt, quae a primo auctore indiscriminatim dicuntur “ *paleae* „. Cfr. *Laurin* l. c. p. 28. sq.; *Schulte*, *Geschichte d. Quell.* t. I. p. 57. sq.

(18) *Laurin* l. c. p. 30. sq. 18. sq. 61. sq.

(19) *Laurin* l. c. p. 34. sq.; *Scherer* l. c. p. 243.

(20) *Laurin* l. c. p. 32; *Scherer* l. c. p. 245. not. 15.

(21) *Laurin* l. c. p. 37. sq.

(22) Ipse Gratianus *Caus. XXVI.-XXXVI.* vocat “ *tractatum coniugii* „. Cfr. *dict. ad. c. 20. D. 4. de consecrat.* Quae allegatio refertur ad c. 4. C. XXX. q. 3.

(23) *Laurin* l. c. p. 41. sq.

(24) De methodo citandi Decretum Gratiani ab antiquis et recentioribus scriptoribus usitata fusc disserit *Laurin* l. c. p. 5. sq. Secundum praxim nunc saepe receptam allegationes hoc modo fiunt: Iae. partis — c. 1. D. 2.; c. 2. ead. (i. e. distinctione); IIae. partis — c. 1. C. II. q. 3.; c. 33. D. 1. de poenit.; IIIae. partis — c. 1. D. IV. de consecr. Idem *Laurin* l. c. p. 12. sq. agit de “ *dictis* „ Gratiani atque de modo illa citandi v. g. *Grat.* (vel) *dict. Grat. init. D. 3.*; *Grat. in q. 3. C. XVII.*; *Grat. ad. c. 1. D. 1.*; *Grat. post c. 2. D. 3.*; *init. (in med., in fin.) dict. Grat. post c. 2. D. 37.* Cfr. *Laurin* l. c. p. 84. de modo allegandi, quo innotescat valor iuridicus textus v. g. *Cone. Later. II. (a. 1139.) c. 7. et 8. = c. 40. C. XXVII. q. 1.*

233. Scholion. In prima et tertia parte Decreti Gratiani occurrit subdivisio quaedam singularum distinctionum in “*partes* „, sicuti etiam in secunda parte quaestiones subdividuntur in “*partes* „. Quae subdivisio in “*partes* „ nequaquam Gratianum habet auctorem, sed Guidonem de Bayasio († a. 1313.), et postquam in editione Decreti Parisiensi (a. 1505.) est adoptata, in omnes alias editiones transiit. Similiter subdivisio *dictorum* Gratiani et *canonum* sive auctoritatum in *principium* et *paragraphos* a Gratiano non est introducta, potius editoribus *Decreti*, praesertim editioni Romanae a. 1582. suam debet originem et propagationem. Denique numeri saltem canonibus a Carolo Molinaeo a. 1554., canonibus vero *et paleis* a Contio a. 1570. praefixi sunt.

234. Fontes (25), ex quibus Gratianus canones sive auctoritates dicta sua comprobantes desumpsit, imprimis sunt sacrae scripturae veteris et novi testamenti (26), canones Apostolorum (27) et Synodorum (28), Decretales et rescripta Rom. Pontificum (29), opera SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum (30), diversi libri officiales (31), qui in Ecclesia Romana vel in Ecclesiis particularibus recepti fuerant velut Ordo Romanus, Liber diurnus Rom. Pontificum et libri quidam poenitentiales; denique non desunt complures textus iuris Romani (32) atque interdum etiam iuris germanici (33).

Gratianus auctoritates sive canones ordinarie non deprompsit *ex fontibus originalibus* (34), sed *ex collectionibus iuris ecclesiastici suo tempore usitatis* (35). Ex his potissimum usus est *Decreto Burchardi* Wormatiensis (a. 1012.-1022.), collectionibus Anselmi Lucensis et Cardinalis Deusdedit, item *Decreto et Panormia* Ivonis Carnutensis, *Polycarpo* Cardinalis Gregorii. Praeterea auctor Decreti *Breviationem* canonum

(25) *Laurin* l. c. p. 14. sq.; *Friedberg* in ed. corp. iur. can. P. I. p. XIX. sq.

(26) Cfr. c. 33. sq. D. 1. de poenit.; dict. Grat. init. D. 1.

(27) Cfr. c. 3. § 64. D. 15.

(28) Concil. Nicaen. (a. 325.) c. 17. = c. 2. D. 47.

(29) Leo IV. (a. 849.) in c. 8. D. 18.

(30) S. Ambros. in c. 10. C. XV. q. 1.

(31) Lib. diurn. in c. 8. D. 16.

(32) Inst. in c. 6. D. 12.; Cod. in c. 7. cad. D.

(33) Capitular. Caroli in c. 34. D. 63.

(34) Nisi forte excipias canones Concil. Lateran. I. et II. atque Decretales Innocentii II. Cfr. *Scherer* l. c. p. 243. sq.; *Laurin* l. c. p. 20. sq.

(35) *Laurin* l. c. p. 18. sq.

Fulgentii Ferrandi, collectionem Anselmo dedicatam, collectionem XII partium aliasque forte ob oculos habuit; maxime vero quoad methodum videtur usus esse operibus Algeri Leodiensis (36).

235. Decretum Gratiani quamvis sua utilitate et praestantia non caruerit et in foro ecclesiastico atque in scientia canonica magni fuerit momenti haud raro a scriptoribus exaggerati (37), tamen *auctoritatem vere publicae et authenticae* collectionis neque *ab initio* habuit neque *postea* unquam *consecutum* est. Quare Decretum Gratiani est collectio canonum ab homine privato facta, cuius “ *dicta* „ vel *summaria* „ habent vim *assertionum doctoris privati*, atque vel ipsi canones textusque allegati tantum valent in Decreto Gratiani, quantum extra illud (38), nisi expressa vel tacita approbatione Romanorum Pontificum aut Conciliorum oecumenicorum vel consuetudine universali vim legum ecclesiasticarum universalium obtinuerint (39). Neque Gregorius XIII. suis Constitutionibus “ *Cum pro nunnere* „ 1. Iul. 1580. et “ *Emendationem* „ 2. Iun. 1582. Decretum Gratiani declaravit esse librum legalem sive codicem authenticum canonum, sed tantum apostolica auctoritate prohibuit, ne recognitus et emendatus textus a quoquam immutaretur aut inverteretur. Item *ex usu quodam fori vel consuetudine* nihil deduci potest; eiusmodi enim usus fori et consuetudo non existunt, neque abusus et

(36) Scherer l. c. p. 244.; Laurin l. c. p. 18. sq.

(37) Laurin l. c. p. 44. sq. p. 87.; Scherer l. c. p. 246.

(38) Reiffenstuel, lus can. prooem. n. 72.; Pirling, lus can. prooem. n. 22.; Suarez, De leg. l. IV. cap. 5. n. 7. 8.; Schmalzgr., lus eocl. dissert. prooem. n. 262. sq.; Bened. XIV., De Synod. dioec. l. VII. cap. 15. n. 6. “ *Gratiani Decretum, quantumvis pluries Romanorum Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac pondus legis non habet, quinimo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret* „. Eandem doctrinam Benedictus XIV. tanquam doctor privatus tradit aliis in locis. Cfr. Laurin l. c. p. 79. Post Benedictum XIV. in eandem sententiam canonistae unanimiter fere conspirant. Quare antiquorum quorundam canonistarum contraria sententia iam a *Suaresio* l. c. explosa tanquam obsoleta est habenda. Cfr. Laurin l. c. p. 80.; Scherer l. c. p. 245.

(39) Si *universae* collectioni Gratiani *ul collectioni* vim authenticae collectionis iuris universalis omnino negamus, minime infitiamur *non paucos canones* (auctoritates) vel *textus* (etiam dicta) Gratiani successu temporis variis modis factos esse *authenticos* sive *leges universales*. Cfr. Laurin l. c. p. 76.

socordia scriptorum allegantium textus ex Gratiano sine iudicio critico sunt rationabiles usus fori et consuetudines (40). At Decretum Gratiani universali illo usu et publica aestimatione reliquas editiones privatas vi et auctoritate superavit, licet non attingeret auctoritatem veri codicis legalis iuris universalis Ecclesiae.

236. Decretum Gratiani cum viris doctis Praelatisque ecclesiasticis commendaretur, mox multum divulgatum brevi tempore factum est manuale quoddam iuris canonici ad usum praelectionum “ *Decretistarum* „ (41). Qui Decretistae, inter quos eminent Paucapalea, Rolandus Bandinellus (Alexander III. († a. 1181.), Ioannes Faventinus († a. 1190.), Rufinus, Stephanus Tornacensis († a. 1203.), Huguccio († a. 1210.), Tancredus († circa a. 1235.) suis *Glossis*, *Summis* et *Distinctionibus* et *Quaestionibus*, *Casibus Decreti* aliisque libris Gratiani textum explicarunt. Inde paulatim orta est “ *Glossa ordinaria* „, quae primum a Ioanne Teutonico, Praeposito Halberstadiensi, († circa a. 1245.) inter a. 1210. et 1215. composita, denuo a Bartholomaeo Brixisiensi († a. 1258.) circa annum 1246. reformata est.

Post inventam artem typographicam Decretum Gratiani mox typis impressum (42) multoque magis vulgatam est. Ex saeculo autem decimo quinto et sexto cum magis secundum severioris artis criticae leges examinaretur, saltem ex parte a defectibus non paucis liberatum (43) emendationem quandam subiit (44). Quodsi vel ipsi correctores Romani (45) scopum illum emendandi Decreti non perfecte assecuti sunt, certe ab exaggeratis oblocutionibus (46) sunt vindicandi. Complures ex recentioribus editionibus Decreti multis notis historicis magna cum eruditione sunt instructae, quae cum ex Gallicanorum atque Protestantium praeoccupatis opinionibus non raro originem ducant, cum delecta sunt admit-

(40) *Laurin* l. c. p. 75. sq. 84. sq.; S. Rota apud *Reiffenstuel* l. c.

(41) *Laurin* l. c. p. 44. sq.; *Archiv f. k. K. t.* 66. p. 460.; *Scherer* l. c. p. 254. sq.

(42) *Friedberg* l. c. p. LXXV. sq.; *Laurin* l. c. p. 56. sq.

(43) *Laurin* l. c. p. 58. sq.; *Richter*, De emendatoribus Gratiani, Lipsiae 1835. Cfr. de edit. corporis iur. can. h. tom. I. n. 263. sq.

(44) *Laurin* l. c. p. 60. sq. Inter antiquiores emendatores Decreti maxime eminent: *Antonius Augustinus* († a. 1586.) atque *Berardus* († a. 1768.).

(45) *Laurin* l. c. p. 63. sq.

(46) *Schulle*, Die Geschichte d. Quell. t. I. p. 73. sq. Cfr. *Laurin* l. c. p. 69.

tendae. Praeterea Boehmer et Friedberg ea re suas editiones viris catholicis minus utiles reddiderunt, quod nequaquam exhibeant textum editionis Romanae a. 1582. publica auctoritate a Gregorio XIII. determinatum et praescriptum (47).

§ 2. DE ANTIQUIS DECRETALIUM COLLECTIONIBUS.

237. Post publicatum Decretum Gratiani duo Concilia oecumenica scilicet *Lateranense III.* (a. 1179.) et *Lateranense IV.* (a. 1215.) celebrata sunt, atque inter Romanos Pontifices huius temporis *Alexander III.* (a. 1159.-1181.) et *Innocentius III.* (a. 1198.-1216.) celeberrimis Ecclesiae legislatoribus sunt adnumerandi (48). Quare cum tot iam novae leges ecclesiasticae existerent, et antiquiores canonicae sanctiones et Decretales non raro a Gratiano essent omissae, neque facili negotio universa illa iura suis locis Decreto Gratiani inseri potuissent, novae collectiones praesertim Decretalium necessario fuerunt adornandae (49).

Primum vestigium novae cuiusdam collectionis Decretalium extra Decretum vagantium sive brevius "*Extravagantium*" occurrit in *Summa* Simonis de Bisiniano ante annum 1179. conscripta (50). Mox sub eodem Alexandro III., sed pariter ante ann. 1179. orta est alia collectio Decretalium in 92 titulos divisa (51). Quam post Concilium Lateranense III. inter ann. 1181.-1191. ea compilatio secuta est, quae in 44 et postea in 50 partes divisa "*Appendix Concilii Lateranensis*" dici solet (52). Post istam *Appendicem* saltem primae recensionis factae sunt collectiones Bambergensis, Lipsiensis, Caselana (53).

238. Ex omnibus antiquis Decretalium collectionibus propter meliorem ordinem, glossationem in scholis atque *ex parte* etiam propter *authentiae* praerogativam, *quinque* potissimum

(47) *Laurin* l. e. p. 69. sq.; *Scherer* l. e. p. 271. sq.; *Arch. f. k. K.* t. 39. p. 149. sq.

(48) *Card. Hergenroether-Kirsch* l. e. t. II. p. 447. sq.

(49) *Scherer* t. e. p. 247.; *Laurin* l. e. p. 88. sq.; *Schneider*, D. Lehre v. d. Kirchenrechtsquellen p. 126. sq.; *Schulte*, Die Geschichte d. Quell. t. I. p. 76. sq.; *Friedberg*, D. Canonensamml. zw. Grat. u. Bern. Papiens.

(50) *Scherer* l. e.

(51) *Theiner*, *Disquis.* p. 117. sq.; *Bernardi Pap.*, Favent. Ep., *Summa Decretalium*, ed. Laspeyres, Ratisbon. 1860. Praef. p. LIX. sq.

(52) *Laurin* l. e. p. 90. sq.

(53) *Laurin* l. e. p. 93. sq.; *Scherer* l. e. p. 247.

eminent singularique plane ratione dicuntur : “ *Quinque compilationes antiquae* „ (54).

I. Quodsi ordo temporis servetur inter quinque illas compilationes, primum locum obtinet *Bernardi Papiensis “ Breviarium Extravagantium* „, quod postea iam inde a Tancredo “ *Compilatio prima* „ appellatum neque ante ann. 1187. neque post ann. 1191. est compositum (55). Quo *consilio* et *ordine* suum *Breviarium* compilarit, ipse Bernardus in “ *Summa* „ a se conscripta accuratius explicat (56). Unde facile deducitur, ipsius intentionem fuisse Gratiani Decretum supplendi, non eliminandi. Iisdem fere *fontibus* atque ipse Gratianus usus est et speciatim Decretales ex collectionibus h. tom. I. n. 218. sq. commemoratis statuta canonica videtur hausisse (57). Quae compilatio prima ex sese tantum est *privata collectio* (58); at ideo maximi est momenti, quod Bernardus illam divisionem in quinque libros, titulos cum suis rubricis, capita ordine chronologico disposita postea semper quoad substantiam retentam primus introduxerit (59). Quanto plausu haec collectio fuerit recepta, inde conici potest, quod mox praelectiones de illa haberi atque *Glossae* publicari coeptae sint (60).

II. *Coupilatio*, quae vulgo vocatur *tertia*, ordine temporis servato est *secunda* (61). *Auctor* principalis huius compilationis fuit ipse Innocentius III. ut Romanus Pontifex, qui in ea “ *ad cautelam* „ concinnanda usus est opera Magistri *Petri Collivicini*, Subdiaconi et Notarii sui et postea Cardinalis (62).

(54) Editionem omnium quinque compilationum, sed mancam curavit *Friedberg*, *Quinque compilat. antiquae*, Lips. 1882. (cfr. *Scherer* in *Arch. f. k. K.* t. 50. p. 466. sq.); melior, sed sine quinta compil. est editio *Ant. Augustini*, *Antiquae collectiones Decretalium*, Herdae 1576.; speciatim quint. comp. publicavit *Cironius*, *Quinta compilatio*, Tolosae 1645.; *Theiner*, *Disquis. erit.* p. 1. sq.; *Laurin* l. e. p. 97.

(55) *Laurin* l. e. p. 104.; *Laspeyres* l. e. p. 355. sq.; *Friedberg* l. e. p. VI. sq.

(56) *Laspeyres* l. e. p. 2.; *Laurin* l. e. p. 102. sq.

(57) *Laurin* l. e. p. 101. sq.; *Friedberg* l. e. p. VII. sq.; *Scherer* l. e. p. 248.

(58) *Laurin* l. e. p. 104.; *Benedict. XIV. Const. “ Iam fere sextus ”* (sine die) a. 1746. = *Praef. t. I. Bullar. Bened. XIV.*

(59) *Laurin* l. e. p. 98. sq.

(60) *Laurin* l. e. p. 105.; *Laspeyres* l. e. ipsius Bernardi *Summam* suae compilationis exhibet.

(61) *Laurin* l. e. p. 111. sq.

(62) Qui compiler saltem ex parte ob oculos habuit alias collectiones Decretalium post primam compilationem Bernardi Papiensis factas. Cfr. *Laurin* l. e. p. 106. sq. 112.; *Scherer* l. e. p. 248. sq.

Quam compilationem suarum Decretalium usque ad annum duodecesimum sui Pontificatus Innocentius III. Const. " *Devotioni vestrae* „ 28. Dec. 1210. approbavit atque magistris et scholaribus Bononiae commorantibus " *transmisit* „ (63), " *ut eisdem absque quolibet dubitationis scrupulo uti possint, cum opus fuerit, tam in iudiciis quam in scholis* „. Quare haec collectio cum non a viro privato sit edita, sed *publica* Ecclesiae auctoritate approbata, *primum est exemplum authenticae collectionis*; hinc mirum non est, quod illico fuerit in scholis recepta Glossisque instructa (64).

III. *Compilatio*, quae *secunda* dicitur, ordine temporis servato revera est *tertia* (65). Nam post compilationem Innocentii III. consueto ordine quinque librorum (66) a *Ioanne Galensi* intra ann. 1210. et 1215. i. e. ante Concilium Lateranense IV. (a. 1215.) composita est. Quae fuerit compilatoris *intentio*, ex iis, quae collectioni suae inseruit (67), facile conici potest. Denique hanc collectionem *non esse authenticam*, sed *mere privatam* ex ipsa origine manifestum est, nihilominus tantam auctoritatem nacta est, ut Glossis quoque instrueretur.

IV. *Compilatio quarta* (68) ab auctore non omnino certo secundum consuetum ordinem librorum, titulorum, capitum est adornata. Quodsi fides habenda sit Ioanni Andreae, ipse Innocentius III. post compilationem per magistrum Petrum factam, " *quae tertia dicebatur* „, ex Decretalibus post annum duodecesimum editis et ex Concilii Lateranensis IV. (a. 1215.) capitulis " *fecit quartam compilationem* „ Cui testimonio Ioannis Andreae iure merito subscribit *Laurin* l. c. p. 122., atque in eadem sententia videtur fuisse *Benedictus XIV.*, qui in praefat. t. I. sui Bullarii scribit: " *Duae primae* (i. e. compilationes) *privato solum iudicio sententiaque editae sunt; ceterae vero publica auctoritate* „. Neque ex tempore et materia contenta seria difficultas contra hanc sententiam moveri po-

(63) Cuius transmissionis vim bene exposuit *Schulte*, cum catholicus esset. Quae post suam defectionem a fide catholica cum ira et studio de eadem re scripsit in sensum contrarium, non sunt attentione digna. Cfr. *Laurin* l. c. p. 112. sq.

(64) *Laurin* l. c. p. 115.

(65) *Laurin* l. c. p. 116.

(66) *Laurin* l. c. p. 116. sq.

(67) *Friedberg* l. c. p. XXVI. sq.; *Laurin* l. c. p. 119.

(68) *Laurin* l. c. p. 120. sq.

test. Etenim haec collectio caret Decretalibus Honorii III., successoris Innocentii III., et praeter canones Concilii Lateranensis IV. (11.-30. Nov. 1215.) tantum Decretales Innocentii III. († 16. Iulii 1216.) continet; facile igitur ultimo anno Pontificatus Innocentii III. potuit esse finita. Contrariae sententiae potius coniecturis innituntur (69). Hinc quarta illa compilatio haud sine solido fundamento *authentica* dici potest: *Glossis* instructa est a *Ioanne Tentonico*.

V. *Compilatio quinta* pro more aliarum quatuor antiquarum compilationum adornata *Honorio III.* (a. 1216.-1227.) debet originem. Ipse enim quasdam epistolas Decretales suas (70) compilari fecit et cum Const. "*Novae causarum* „ magistro Tancredo, Archidiacono Bononiensi, intra 31. Ianuar. 1226. et 18. Mart. 1227. transmisit, ubi i. f. haec statuuntur: "*Quo circa discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus eis solemniter publicatis absque ullo scrupulo dubitationis utaris et ab aliis recipi facias tam in iudiciis quam in scholis* „. Hinc evidenter deducitur hanc quoque compilationem fuisse *authenticam*, non mere privatam (71). Cfr. *Durantis*, Specul. proem. et Ioann. Andr. addition. (m) in f.; *Scherer* in Arch. f. k. K. t. 50. p. 459. 466. sq.

§ 3. DE DECRETALIBUS GREGORII IX.

239. Gregorius IX. (a. 1227.-1241.) iuxta rumorem post suam electionem increbrescentem dicebatur consilium cepisse novam publicandi compilationem (72). Id revera iam an. 1230. executioni mandare coepit (73). Illo enim anno S. Raymundo de Pennaforte († a. 1275.), ex ordine S. Dominici, Capellano

(69) *Scherer* l. c. p. 249.

(70) Insuper Friderici II. Const. "*In die* „ sive "*Haec edielali lege* „ data 22. Nov. 1220. et eodem die eiusdem anni ab Honorio III. confirmata variis capitibus huius compilationis reperitur inserta, licet in Honorii III. Const. "*Novae causarum* „ non commemoretur. Cfr. *Laurin* l. c. p. 124.; *Bullar. Taurin.* t. III. p. 374. sq.

(71) Cur non obstante authentia haec compilatio minorem celebritatem nacta sit, patet ex testimonio *Ioan. Andr.* l. c. apud *Durantis*; ideoque facile intelligitur solum *Ioannem de Albenga* († a. 1274.) *Glossas* in hanc compilationem scripsisse.

(72) *Ioan. Andreae* l. c. in add. ad. Speculum *Durantis*.

(73) *Laurin* l. c. p. 126. sq.; *Phillips*, Kirchenr. t. IV. p. 252. sq.; *Scherer* l. c. p. 250. sq.; *Friedberg* in ed. corp. iur. can. P. II. proleg. p. IX. sq.; *Schulte*, Die Gesch. d. Quellen. t. II. p. 3. sq.

atque Poenitentiario suo (74), Romam evocato curam novae collectionis adornandae commisit. Quid Gregorium IX. ad hoc negotium suspiciendum *moverit*, quidque sibi *proposuerit*, ipse Const. “*Rex pacificus* „ 5. Sept. 1234., qua nova collectio promulgata est, sufficienter aperteque *explicit* hisce verbis: “*Sane diversas Constitutiones et Decretales epistolas praedecessorum nostrorum, in diversa dispersas volumina, quarum aliquae propter nimiam similitudinem, et quaedam propter contrarietatem, nonnullae etiam propter sui prolixitatem, confusionem inducere videbantur; aliquae vero vagabantur extra volumina supra dicta, quae tanquam incertae frequenter in iudiciis vacillabant, ad communem et maxime studentium utilitatem per dilectum filium, fratrem Raymundum Capellanum et Poenitentiarium nostrum, illas in unum volumen resecatis superfluis providius redigendas, adiicientes Constitutiones nostras et Decretales epistolas, per quas nonnulla, quae in prioribus erant dubia, declarantur. Volentes igitur, ut hac tantum compilatione universi utantur in iudiciis et in scholis, districtius prohibemus, ne quis praesumat aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicae speciali* „.

Quae motiva a Gregorio IX. allegata ex sese sunt adeo rationabilia et communi consensu per antiquos et recentiores scriptores probata (75), ut nequaquam sit confugiendum ad rationes a *Schulte* (76) sine ullo fundamento confictas indigne atque iniurioso modo propugnatas et a *Friedberg* (77) sine sufficiente ratione ex *Schulte* exscriptas.

240. Ab ipso Gregorio IX. nova ista collectio appellata est “*Compilatio* „. Qui *titulus*, ut constat ex manuscriptis atque libris, in praxi ita commutatus est, ut compilatio ista diceretur “*nova* „ vel “*sexta* „, cui opponebantur “*Compilationes antiquae* „, vel frequentius “*Liber extrav.* „, vel a parte posteriori “*Decretales* „ etiam cum addito “*Gregorii* „ vel in ed. Rom. a. 1582. “*D. Gregorii Papae IX.* „ ab auctore petito. Qui mos appellandi compilationem Gregorii IX., quae comprehendebat Decretales “*extra* „, Decretum Gratiani (78) “*vagantes* „, etiam nostra aetate quoad substantiam retineretur.

(74) *Laurin* l. c. p. 127.

(75) V. g. *Ioannes Andreae*; *Seherer* l. c.; *Laurin* l. c.

(76) *Schulte* l. c.

(77) *Friedberg* l. c.

(78) Quae res nostra aetate ad distinguendam compilationem Gregorii IX. a Libro Sexto vel a Clementinis significatur littera X. in allegationibus v. g. cap. 1. X. de sponsal. et matr. IV. 1.; *Laurin* l. c. p. 128.; *Seherer* l. c. p. 251.

241. Secutus est S. Raymundus *ordinem* sive *divisionem* (79) quinque compilationum antiquarum. Hinc nova compilatio pariter in quinque dividitur *libros*. Libri subdividuntur in consuetos *titulos*, nonnullis tamen rubricis titulorum additis vel alio loco positis vel etiam immutatis (80). Sub singulis titulis recensentur ordine chronologico imprimis *capita* quoad longe maximam partem ex quinque antiquis compilationibus deprompta. Aliqua vero capita ex Decretalibus Innocentii III. in compil. III. et IV. non relatis aut pauca quaedam capita aliunde petita suis locis sub competentibus titulis inseruntur. Denique i. f. titulorum subiunguntur 195 capita, quae ex Decretalibus ipsius Gregorii IX. sunt assumpta (81).

S. Raymundus ut brevitati consuleret (82), ex antiquis compilationibus non paucas "*auctoritates* „ et Decretales tanquam superfluas plane omisit, alias abbreviavit saltem per decisionem (83) partium superfluarum v. g. longarum enarrationum factorum, alias relicta inscriptione (84) immutavit per congruam verborum suppletionem. Si in antiquioribus fontibus nihil invenit, immediate a Gregorio IX. decisionem dubii potuit postulare; at ex sola inscriptione: "*Gregorius IX.* „ argui nequit omnia capita tali inscriptione munita decisiones continere ad instantiam S. Raymundi datas (85).

242. Gregorius IX. Const. "*Rex pacificus* „ 5. Sept. 1234. (86) collectionem a S. Raymundo elucubratam suam faciens apostolica auctoritate munivit atque per transmissionem saltem ad universitates Bononiensem et Parisiensem rite promulgavit. Qua re illa collectio obtinuit *vim* et *auctoritatem*:

I. *libri* vel codicis legalis sive *collectionis authenticae* legum ecclesiasticarum (87);

(79) *Laurin* l. c. p. 128. sq.

(80) Quodsi Schulte S. Raymundo vitio vertit, quod is inscriptiones reliquerit immutatas, studio carpendi ductus veri et iusti limites violavit. Cfr. *Scherer* l. c. p. 250.; *Laurin* l. c. p. 138.; Bened. XIV. Const. "*Reddita* „ 5. Dec. 1744, § 11.

(81) *Laurin* l. c. p. 133. sq.

(82) *Laurin* l. c. p. 137. sq.

(83) Quae partes dicuntur "*partes decisae* „ et nequaquam a S. Raymundo, ut nunc fieri solet, suae compilationi fuerunt appositae.

(84) Cfr. de falsis inscriptionibus a S. Raymundo retentis atque de veris in formam falsam transmutatis: *Friedberg* l. c. p. XXXV. sq.

(85) *Laurin* l. c. p. 139. sq.

(86) *Laurin* l. c. p. 140. sq.

(87) Benedict. XIV. Const. "*Reddita* „ 5. Dec. 1744. §§ 9.-12.; *Laurin* l. c. p. 143. sq. 156. sq.

II. *unius collectionis*; nam omnes leges eadem die promulgatae sunt (88);

III. *exclusivae compilationis* i. e. abrogatae et antiquatae sunt priores *Decretalium collectiones* (89) post Gratianum factae, itemque generatim sublatae sunt omnes antiquiores leges “ *novo libro* „ *contrariae* (90), *si fuerunt universales*;

IV. *universalis codicis* i. e. universam Ecclesiam per se et ordinarie obligantis, nisi per legitimam auctoritatem postea, ut revera quoad complura capita factum est, abrogatio vel derogatio fuerit constituta (91).

243. I. *Capita* in parte *dispositiva*, non in parte *historica* velut in enarratione facti, allegationibus partium, habent *vim legum ecclesiasticarum universalium*, etiamsi constant sententiis SS. Patrum, canonibus Conciliorum particularium, rescriptis particularibus, imo textibus ex sese spuris v. g. capitibus Pseudo-Isidori (92).

II. *Rubricae*, quae singulis titulis praefiguntur, ea ratione *authenticae* sunt, quatenus *ab ipso legislatore* fuerunt confirmatae et appositae. Quare si *sensum* habent *perfectum*, allegari possunt tanquam *verae leges universales*; sunt enim praescriptiones vel prohibitiones perpetuae ab ipso legislatore supremo Ecclesiae per insertionem in collectionem authenticam universae Ecclesiae promulgatae v. g. lib. III. tit. 9. X. “ *Ne sede vacante aliquid innovetur* „. Quae rubricae si *sensum* habeant *imperfectum* v. g. lib. I. tit. 29. X. “ *De officio et potestate iudicis delegati* „, non tanquam leges universales, sed tantum “ *declarative* „, allegari possunt, i. e. sunt medium quoddam interpretationis ad eruendum genuinum sensum singulorum capitum sub illa rubrica positorum (93).

(88) *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. lib. XI. cap. 4. n. 6. 7.; *Laurin* l. e. p. 157. sq.; *Scherer* l. e. p. 274.

(89) *Bened. XIV.* eit. *Constit.* § 12.; *Gregor. IX.* *Constit.* “ *Rex pacificus* „ i. f.

(90) At ex *Const.* “ *Rex pacificus* „ deduci non potest *omnes* iuris ecclesiastici normas generales *neque* in *Deereto* *neque* in *Compilatione* Gregorii IX. insertas per novam *Compilationem* Gregorii IX. fuisse absolute abrogatas. Quare *Laurin* l. e. praesertim p. 147. sq. aliique velut *Bargilliat* l. e. n. 137. praecunte Schulte nimis rigidam videntur defendere sententiam, quam recte non admittunt: *Scherer* l. e. p. 251.; *Schneider*, D. Lehre v. d. Kirehenrechtsq. p. 144.

(91) *Bened. XIV.* eit. *Const.* “ *Iam fere sextus* „; *Laurin* l. e. p. 143. sq. 156. sq.; *Papp-Szilágyi*, *Enehiridion* § 55.

(92) *Laurin* l. e. p. 157.; *Schmalzgr.* l. e. *Dissertat. prooem.* n. 275. sq.

(93) *Schmalzgr.* l. e. n. 296. sq.; *Scherer* l. e. p. 274.; *Laurin* l. e. p. 160.

III. *Inscriptiones historicae* capitum profecto ipsum S. Raymundum habent auctorem atque una cum aliis partibus textus a Gregorio IX. approbatae sunt; at propterea nequaquam omnes historice verae sunt. Nam non paucae ex iis etiam in editione Romana a. 1582. sunt certissime *falsae* aut *corruptae* (94). Neque inscriptiones *vim quandam legalem* a Gregorio IX. obtinuerunt (95), sed potius partibus mere *historicis, non dispositivis* capitum sunt adnumerandae. Quam ob rem argumenta peremptoria in iure canonico non suppeditant, attamen possunt esse subsidia interpretationis capitum (96).

IV. *Summaria* nunc in editionibus impressis singulis capitibus praefixa (97) neque a S. Raymundo sunt apposita neque a Gregorio IX. approbata. Suam originem repetunt ab editoribus corporis iuris canonici, qui illa ex commentariis Glossatorum velut Abbatis antiqui, Ioannis Andreae, Abbatis Siculi sive Panormitani desumpserunt. Hinc *summaria vim legalem non* habent; cum autem referant sententias antiquorum canonistarum et interpretationes capitum in scholis receptas, *utile* subministrant medium ad *explicationem* et intelligentiam capitum.

V. *Glossae*, quibus non raro editiones Decretalium Gregorii IX. fuerunt instructae, utpote a viris privatis appositae neque unquam a Romanis Pontificibus approbatae, *vi legali omnino carent*; suo vero valore doctrinali non destituuntur atque etiam nostra aetate utiliter consuluntur (98).

244. Scholion. Postquam Decretales Gregorii IX. in variis editionibus impressis corporis iuris canonici magis divulgatae sunt, mox privata industria editorum et typographorum alia additamenta textui apposita sunt, velut "*partes decisae* „ (99)

(94) Cfr. *Friedberg* l. c. p. XXXV. et generatim ipsius notas ad singula capita compilat. Gregorii IX.

(95) *Schmalzgr.* l. c. n. 303. aliique non pauci veteres canonistae cum Glossa illis inscriptionibus vim legalem ad deducenda iura vindicant.

(96) Ita recte iam *Zech*, Praecognita iur. cau. § 305.; item *Laurin* l. c. p. 158. sq. et quoad rem etiam *Scherer* l. c. p. 276.

(97) In editionibus versus finem saeculi decimi quinti publicatis v. g. Venet. 1491. ista *summaria* iam reperiuntur.

(98) Benedict. XIV. Const. "*In postremo* „ 20. Oct. 1756. allegat *summarium* cap. 12. X. de temp. ord. l. 11.

(99) Benedict. XIV. Const. "*Redditae* „ 5. Dec. 1744. inde a §§ 5. sq. vere classicam proponit dissertationem de capite iuris Decretalium et de usu legitimo partium decisarum.

a *Contio* (a. 1570.) aliisque, indices alphabetici, tabulae rubricarum et capitum aliaque similia (100). Quod omnia ista ad ditamenta non solum vi legali et authentia careant, verum interdum etiam inepta et arbitraria ratione textui authentico adiuncta fuerint, longa probatione non est demonstrandum.

245. Quodsi de Decreto Gratiani in scholis publicis praelectiones ordinariae habitae (101) sunt, id a fortiori factum est de nova et authentica compilatione Gregorii IX. Ex illis praelectionibus et exercitationibus scholasticis non pauci orti sunt libri sub diversis titulis publicati, veluti *Summae*, *Distinctiones*, *Notabilia*, *Casus*, *Lecturae*. *Bernardus de Botone* († a. 1263.) composuit *Glossam ordinariam* in compilationem Gregorii IX. brevique tempore ante mortem suam absolvit. Quae Glossa variis additamentis ex novellis commentariis Ioannis Andreae († a. 1348.) desumptis postea (i. e. iam a. 1474.) aucta sunt. Praeter Glossam praesertim consulendi sunt commentarii, quos Goffredus de Trano († a. 1245.), Sinibaldus Fliscus i. e. Innocentius IV. ut doctor privatus († a. 1254.), Henricus de Segusio sive Hostiensis († a. 1271.), Nicolaus de Tudeschis sive Abbas Siculus vel Panormitanus († a. 1453.) scripserunt in Decretales Gregorii IX.

Gregorius XIII. una cum Decreto Gratiani etiam Decretales Gregorii IX. novae revisioni subiecit textumque ex officio constitutum a. 1582. publicavit. Alii editores notis historicis suas editiones illustrantes a defectibus quoque haud levibus non semper caverunt (102).

§ 4. DE DECRETALIBUS BONIFACII VIII. SIVE DE LIBRO SEXTO.

246. Cum post publicatam collectionem authenticam Gregorii IX. novae leges ecclesiasticae haud exiguo numero conditae essent (103), quamplurimae leges Ecclesiae vagabantur extra duas collectiones principales Decreti Gratiani et Decretalium Gregorii IX. Unde iterum orta est necessitas novae collectionis adornandae.

Cui necessitati iam Innocentius IV. (a. 1243.-1254.), successor Gregorii IX., consuluit atque Const. " *Cum inter vene-*

(100) *Scherer* l. c. p. 272. sq.; *Laurin* l. c. p. 152.

(101) *Laurin* l. c. p. 148. sq.

(102) *Laurin* l. c. p. 153.; *Scherer* l. c. p. 271. sq.

(103) *Laurin* l. c. p. 165.; *Scherer* l. c. p. 251. sq.

rabiles „ 21 Apr. 1246. collectionem suae Const. “ *Romana Ecclesia* „ et Gregorii IX. Const. “ *Praesentium* „ ad universitatem Parisiensem in forma consueta transmisit, addito tamen mandato Constitutiones transmissas sub certis titulis a se designatis in collectionem Gregorii IX. inserendi.

Idem Innocentius IV. inter 21. Apr. 1246. et 19. Sept. 1251. *secundam collectionem authenticam* composuit et more solito promulgavit. Quam compilationem mox *tertia collectio authentica* secuta est. Innocentius IV. Const. “ *Ad expediendos* „ 9. Septembr. 1253. omnium suarum Constitutionum, quae communi observantiae essent destinatae, novam publicavit collectionem solitisque clausulis illud adiunxit mandatum. ne quis alias Constitutiones suas editas vel edendas absque mandato Sedis Apostolicae speciali “ *in corpore iuris* „ i. e. in collectione Gregorii IX. inserere auderet.

Ex collectionibus, quibus Decretales successorum Innocentii IV. continentur, solummodo *duae*, utpote *authenticae* (104), singulari quadam ratione commemorandae sunt, scilicet *collectio Constitutionum Gregorii X.* Const. “ *Cum nuper* „ 1. Nov. 1274. more consueto publicata et *collectio Nicolai III.* Const. “ *Cum quasdam Constitutiones* „ 23. Mart. 1280. cum solitis clausulis universitati Parisiensi transmissa.

247. Propter tantam *varietatem* collectionum Decretalium aliasque ob *causas* sane iusta fuit illa postulatio universitatis Bononiensis atque multorum virorum, ut nova compilatio authentica adornaretur (105). Cui postulationi ob *motiva* in Const. “ *Sacrosanctae* „ 3 Mart. 1298. allegata annuit Bonifacius VIII. et *novae collectionis authenticae* factus est auctor. Qua in collectione praeparanda Romanus Pontifex, qui ipse utriusque iuris fuit peritissimus, praeclarissimorum virorum usus est opera scilicet Guilelmi de Mandagotto, Ebrudunensis Archiepiscopi, et Berengarii Fredoli, Episcopi Biterrensis, et Richardi Petroni de Senis, Ecclesiae Romanae Vicecancellarii, et Dini de Rossonibus, professoris iuris civilis, qui ex iure Romano collegit 88 regulas iuris in fine Libri Sexti appositas (106).

Quae nova collectio dicitur *Liber Sextus*. Qui *titulus* ex verbis cit. Const. “ *Sacrosanctae* „ colligitur (107). Ipse vero

(104) Cfr. de collectionibus privatis; Laurin l. c. p. 171. sq. 175. sq.

(105) Laurin l. c. p. 177. sq.; Scherer l. c. p. 252. sq.

(106) Schulte, Geschichte d. Quell. t. II. p. 183. sq. 180. 176. sq.

(107) Nilles in Arch. f. k. K. t. 82. p. 425. sq. de titulo: “ *Liber sextus*

Liber Sextus secundum ordinem iam a Gregorio IX. adoptatum in quinque libros dividitur cum receptis subdivisionibus in titulos et capita. Ex 359 capitibus Libri Sexti longe maxima pars (229) constat Decretalibus et Constitutionibus Bonifacii VIII.; singula vero capita ita transformata et adaptata sunt, ut textus originalis vix amplius retineretur. Qui compilationis modus affecit, ut Liber Sextus vel *ipsa forma externa perfectior quidam esset codex legalis*.

Liber Sextus imprimis eam habet vim atque *auctoritatem*, ut per Const. " *Sacrosanctae* „ factus sit *posterior* collectio vere *authentica* et *una* et *universalis*. Quare omnia et singula capita Libri Sexti in parte dispositiva habent vim legum universalium Ecclesiae et tanquam leges vere posteriores abrogant omnes priores leges *universales* et *côtrarias* etiam in compilatione Gregorii IX. contentas (108). Praeterea eadem Constitutio effecit, ut omnes Decretales *praedecessorum* Bonifacii VIII. post compilationem Gregorii IX. publicatae abrogarentur, nisi in Librum Sextum fuissent *insertae* aut *specialiter reservatae* sive exceptae (109). Quare in rigore iuris Bonifacius VIII. *suas* Constitutiones intra a. 1294.-1298, datas et in Sexto omissas *non* abrogavit; imo cap. 39. 40. de praeb. III. 4. et cap. 8. de concess. III. 7. saltem Constitutiones suas revocatorias expresse confirmavit.

De vi iuridica *rubricarum*, *summariorum*, *inscriptionum*, *subscriptionum*, *glossarum* atque *similium additamentorum* etiam in Libro Sexto eadem valent atque in compilatione

Decretalium Bonifacii PP. VIII. „, ubi etiam exponit, cur numerus senarius a Bonifacio VIII. dicatur perfectus. Nam iuxta Euclidem: Perfectus numerus est, qui suis ipsius partibus est *aequalis*. Pars est numerus numeri, minor maioris, eum minor metitur. V. g. numerus senarius, si dividatur per 2, 3, 6, = 3 + 2 + 1 = 6. Cfr. quoque numeros 28, 496, 8128. At v. g. si numerus duodenarius dividatur per 2, 3, 4, 12, = 6 + 4 + 3 + 2 + 1 = 16, ideoque non est perfectus.

(108) Cap. 1. de Const. l. 2. in Sext.; *Laurin* l. e. p. 185. sq.; *Maschal*, *Inst. ean.* vol. I. p. 214. sq. vol. II. p. 3. sq. Quem valorem liber Sextus etiamnunc retinet, nisi ipsius dispositionibus per leges posteriores sit derogatum. Cfr. *Maschal* l. e. p. 193. sq. Ita v. g. cap. unic. de sponsal. IV. 1. in Sext. per decret. Cone. Trident. Sess. XXIV. cap. 3. de reform. matrim. mutatum est.

(109) Cap. 1. § Nos igitur de renunt. l. 7. in Sext.; cap. 4. de cens. III. 20. in Sext. (Alex. IV.); cap. 1. ne clerici III. 24. in Sext. (Greg. IX. et Clemens IV.); cap. 20. § Const. de haeret. V. 2. in Sext.; cap. 3. de V. S. V. 12. in Sext. (Nieol. III.). Cfr. *Laurin* l. e. p. 186. sq.; *Scherer* l. e. p. 253.; *Schneider*, *D. Lehre v. d. Kirchenrechtsq.* p. 153. sq.

Gregorii IX. Ex eo vero, quod *regulae iuris* in cit. Const. “*Sacrosanctae* „ *expresse non commemorentur*, nequit cum *Laurin* l. c. p. 187. deduci illas *vim legalem* non habere, sed tantum eum valorem retinere, quo ex sua origine vel ex rationibus internis gaudeant; nam illae *regulae* simul cum reliquis partibus Libri Sexti fuerunt promulgatae.

Liber Sextus postquam legitime promulgatus fuit, mox in universitatibus tanquam “*liber extraordinarius* „ a professoribus iuris canonici commentariis instructus est (110). Inde orta sunt Breviaria vel Summae aliaque similia opera, inter quae maxime eminet *Glossa ordinaria* a Ioanne Andreae († a. 1348.) ex proprio suo apparatu et Ioannis Mo-nachi et Guidonis de Baysio apparatibus compilata et postea “*additionibus* „ aucta. Cui Glossae postea insuper accesserunt *Casus* et *Notabilia* Heliae Regnier (versus finem saeculi XV.).

Prima editio Libri Sexti typis impressa est Moguntiae a. 1465. Ex officio facta est editio Romana a. 1582., cui titulus praefixus est: “*Liber Sextus Decretalium D. Bonifacii Papae VIII. suae integritati una cum Clementinis et Extravagan-tibus earumque Glossis restitutus* „.

§ 5. DE CONSTITUTIONIBUS CLEMENTIS V. SIVE DE CLEMENTINIS.

248. Clemens V. († 20 Apr. 1314.), cum mox post publi-catum Librum Sextum multae Decretales prodiissent extra collectiones authenticas vagantes, saltem suas Decretales etiam in Concilio Viennensi (a. 1311.) publicatas secundis curis expolitas cum duabus tantum Constitutionibus suorum prae-decessorum in unum volumen collegit publicavitque in con-sistorio d. 21. Martii 1314. (non a. 1313.) in castro de Mon-tiliis prope Carpentoratem civitatem habito atque ad univer-sitates transmittersse coepit. Quo in negotio perficiendo d. 20. Aprilis eiusdem anni morte impeditus est. Qua re vel ipsa auctoritas novae collectionis vacillabat. Hinc Ioannes XXII. ipsam collectionem Clementis V., non novam planeque im-mutatam et correctam, denuo efficaci certa-que promulgatione publicavit per Const. “*Quoniam nulla* „ 25. Octob. 1317. (111).

(110) *Laurin* l. c. p. 188. sq.

(111) *Friedberg* in ed. corp. i. c. P. II. proleg. p. LVII. sq.; *Scherer* l. c. p. 253. et in *Arch. f. k. K.* t. 50. p. 463. sq. Quae *Schulle*, *Die Gesch. d. Quellen* t. II. p. 45. praesertim contra Ioannem XXII. profert, et in se falsa sunt et quoad formam viro docto plane indigna. Cfr. quoque *Ehrle* in

Nova collectio, quam ipse Ioannes XXII. titulo Libri Septimi honorasse fertur (112), auctoritate Ioannis Andreae potius appellata est: “ *Constitutiones Clementis V.* „ vel simplicius “ *Clementinae* „. Ordo et divisiones priorum compilationum fuerunt retenta. Quae Clementinae pariter sunt *collectio vere authentica, una, universalis*, posterior (113); at minime est *exclusiva* (114) ad instar Sexti, i. e. Decretalibus etiam universalibus post Librum Sextum publicatis atque in Clementinis non insertis nequaquam valorem iuridicum ademit, sed existere potuerunt Extravagantes validae extra Clementinas. Quae de *valore rubricarum, capitum, inscriptionum* (115), *summariorum* aliisque *additamentis* in prioribus collectionibus authenticis iam dicta sunt, Clementinis quoque sunt applicanda.

Ut de aliis compilationibus authenticis, ita etiam de Clementinis, sed tanquam de *libro extraordinario* praelectiones in universitatibus habitae sunt (116), unde solitae Summae, Glossae etc. prodierunt. Glossam ordinariam compilavit Ioannes Andreae. Prima vice Clementinae typis mandatae sunt Moguntiae a. 1460.

§ 6. DE EXTRAVAGANTIBUS IOANNIS XXII.
ATQUE DE EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

249. Quodsi iam ipso tempore publicationis Clementinarum complures extiterunt Extravagantes vi legali praeditae, ipsarum numerus postea multo magis auctus est (117). Obvium igitur fuit consilium novae curandae collectionis Decretalium. Et revera postquam *Guilelmus de Monte Lauduno* c. a. 1317. glossavit tres Decretales Ioannis XXII., iam a. 1325. *Zenzelinus de Cassanis* alias septendecim Decretales eiusdem

Archiv für Literatur-und Kirchengeschichte d. Mittelalt. t. IV. p. 88. sq., a quo Denifle aliquantisper dissentit. Cfr. *Giell*, Lit. Handw. (a. 1893.) p. 215.; *Schneider* l. c. p. 157.

(112) *Phillips* l. c. t. IV. p. 386. sq.; *Ehrle* l. c. p. 96.

(113) Cfr. v. g. cap. 3. de immunit. eccles. III. 23. in Sext., cui derogatum est per cap. unic. eod. III. 17. in Clem.

(114) *Laurin* l. c. p. 203.

(115) *Friedberg* l. c. p. LXIII. de inscript. “ *In generali Concilio Viennensi* „.

(116) *Laurin* l. c. p. 203. sq., ubi p. 205. de edit. Romana a. 1582. aliisque editionibus Clement. agitur.

(117) *Laurin* l. c. p. 210.; *Scherer* l. c. p. 268. sq.

R. Pontificis in unum collegit atque ordine chronologico disposuit Glossisque inextruxit. Inde ortae sunt viginti *Extravagantes Ioannis XXII.*, quae ad instar appendicis ad Clementinas accesserunt et mox aliis Decretalibus auctae sunt. Cum saeculo decimo quinto exeunte Parisiis nova pararetur editio corporis iuris canonici, *Chappuis*, licentiatus iuris et corrector in typografia Parisiensi, illas viginti Extravagantes Ioannis XXII. in ordinem quendam systematicum quatuordecim titulorum cum rubricis, summariis, inscriptionibus, glossis, capitibus redegit et novae editioni corporis iuris canonici a. 1500. publicatae inseruit. Ex quo tempore istae Extravagantes constanter in editionibus corporis iuris canonici iuxta ordinem a Chappuis introductum retineri solent (118).

250. Cum “ *communiter* „ in codicibus et editionibus corporis iuris canonici etiam aliae 70 Extravagantes occurrerent, idem Chappuis illas 70 [69] sub titulo: “ *Extravagantes communes* „ i. e. vulgatas sive communiter occurrentes in novum collegit volumen in quinque libros cum titulis et capitibus divisum excepto libro quarto, qui ob defectum materiae “ *vacat* „. Quam collectionem Chappuis in supra laudata editione corporis iuris canonici a. 1500. Parisiis typis mandatam postea anno 1503. in nova editione 4 [5] Decretalibus aliisque additamentis pro suo modo locupletavit. Ex hoc tempore *compilatio istius licentiatii* iuris in corpore iuris canonici, non obstante sua insigni mediocritate et inferioritate, si cum collectionibus authenticis comparatur, constanter recensetur (119).

251. Utraque Extravagantium collectio, *ut collectio* non est *authentica*, sed *privata* (120), utpote a viro privato compilata, neque per insertionem in editionem Romanam Gregorii XIII. facta est *authentica*; secus etiam *authentica* Decreti Gratiani esset asserenda; id, quod falsum est. Porro *usu* quodam *scholarum* et *tribunalium* in *collectionem authenticam* non est transformata. Etenim huiusmodi usus Extravagantium *ut collectionum authenticarum* est merum signum-

(118) Laurin l. c. p. 212. sq.

(119) Laurin l. c. p. 216. sq.

(120) Bened. XIV. cit Constit. “ *Iam fere sextus* „; Doujat, Praenot. l. IV. c. 24.; *De Angelis*, Praelect. iur. can. proleg. n. 4.; Laurin l. c. p. 218. sq.; Scherer l. c. p. 269. sq. 274.; Schneider l. c. p. 163. sq.; Bargilliat l. c. n. 143.

tum historicum. Exinde quoque nihil deduci potest, quod Extravagantes sint “ *genuinae* „ Constitutiones Romanorum Pontificum (121). Nam si duae vel tres Extravagantes excipias, -de quarum inscriptione (122) dubia moventur, reliquae omnes *certo* sunt *historice genuinae*, non pseudepigraphae vel apocryphae. At cum Romani Pontifices etiam publicare possint Decretales ad *scopum mere transeuntem* et ad *certum territorium restrictum*, quemadmodum complures Decretales huius generis inter Extravagantes reperiuntur (123), nequaquam asserti potest has quoque Decretales *ex sese* habere vim legum *universalium* in Ecclesia. Quare recte *De Angelis* l. c. asserit: “ *Collectio Extravagantium Ioannis XXII. non est authentica, sicut nec collectio Extravagantium communium* „, sed minus recte subiungit: “ *At ista authentia collectionis non erat necessaria, quia omnia (?) capita in talibus duabus ultimis collectionibus inserta erant constitutiones generales (?) Romanorum Pontificum, quae ex sese habebant plenam auctoritatem in universa (?) Ecclesia* „. Attamen *multae* Decretales collectionibus Extravagantium insertae *ex sese* usque ad nostram aetatem valorem *universalem* retinent atque *gravissimi* sunt *momenti* (124).

(121) Quodsi veteres scriptores velut *Sehmalzgr.* l. c. n. 290. sq. aliique Extravagantibus vim atque auctoritatem tribuunt, id sane propter rationem supra in textu allatam optimo iure *generalim* faciunt. Qua ratione minime efficitur collectionem, *ut collectionem* esse authenticam, ita ut omnia et singula capita *vi insertiois* in collectiones Extravagantium *obtinuerint* vel denuo acquisiverint *vim legum universalium* vigentium, etiamsi *in se* tantum fuerunt leges transeuntes, locales aut forte iam pridem abrogatae. Cfr. *Maschal*, Instit. canon. vol. I. p. 281. vol. II. p. 122.; *Seherer* l. c. p. 269. sq.

(122) *Laurin* l. c. p. 214. 215.; *Scherer* l. c. p. 270.; cap. 3. de elect. l. 3. in Extrav. com. = Decretal. Bonifacii VIII., non Bened. XI., cfr. *Friedberg* ad hoc cap.; cap. 1. de regul. III. 8. in Extr. com. = Decretal. Martini V., non Martini IV. († a. 1285.); cap. 1. de simon. V. 1. = Decretal. Urbani V. (a. 1362-1370.) a. 1363., non Urbani IV. († a. 1264.).

(123) Cap. 2. de privil. V. 7. in Extr. com.; cap. unie. de poenis V. 8. in Extr. com.; cap. 1. de elect. I. in Extravag. Ioann. XXII.; cap. unie. de privil. XI. in Extr. Ioann. XXII. Cfr. quoque cap. unie. de dol. II. 3. in Extr. com.; cap. 1. de iud. II. 1. in Clem.

(124) Cfr. v. g. in Extr. Ioann. XXII. cap. unie. de vot. tit. VI.; in Extr. com. cap. 1. de elect. I. 3.; cap. 1. (“ *Unam sanetam* „) de M. et O. I. 8.; cap. unie. (“ *Ambiliosae* „) de reb. Eecles. non alien. III. 4.

§ 7. DE REGULIS CANCELLARIAE APOSTOLICAE
ATQUE DECISIONIBUS ROTAE ROMANAE.

252. Postquam Ioannes XXII. a. 1317. Clementinas promulgavit, novae collectiones authenticae universi iuris ecclesiastici ad instar v. g. Libri Sexti vel compilationis Gregorii IX. per Romanos Pontifices usque ad nostram aetatem non amplius adornatae sunt.

At ex tempore Ioannis XXII. illa iuris singularis collectio paulatim orta est, quae continetur Regulis Cancellariae Apostolicae (125). Quae Regulae nunc intelliguntur complexus illarum [72] Ordinationum Apostolicarum, quas Romani Pontifices initio sui Pontificatus praesertim circa Litterarum Apostolicarum in Cancellaria expeditionem et circa causas beneficiales et iudiciales facere vel a praedecessoribus iam factas pro necessitate temporum renovare, augere vel minuere consueverunt.

Hinc triplex species Regularum Cancellariae Apostolicae est distinguenda. Sunt enim Regulae *directivae* vel *expeditivae*, quae praescribunt formam servandam in actis et negotiis Sedis Apostolicae per litteras expediendis. Porro Regulae aliae dicuntur *beneficiales* vel *reservatoriae*, quippe quae ordinant causas beneficiorum ecclesiasticorum et praesertim illorum reservationem. Denique existunt Regulae *iudiciales*, quibus definitur ordo iudicialis in appellationibus aliisque partibus processus canonici observandas.

Cum in Curia Romana iam inde a primis saeculis tot expedienda essent responsa et decreta, sine dubio stabilis quidam modus in expediendis illis responsis et decretis per consuetudinem fuit introductus et paulatim scripto consi-

(125) *Ottenthal*, D. paepstlichen Kanzleiregeln, Innsbruck 1888. meliorem textum antiquarum Regularum Cancellariae Apostolicae dat; *Tangl*, Die paepstl. Kanzleiverordnung von 1200.-1500., Innsbruck 1894.; *Iackowski*, D. päpsl. Kanzleiregeln, u. ihre Bedeutung f. Deuts. in Archiv f. k. K. vol. 90. p. 3. 197. 432. Inter commentarios in Reg. Cane. Apost. primum locum occupat *Riganti* († a. 1735.), Comment. in Reg., Constit. et Ordinat. Cane. Apost., Romae 1744.-1747., Coloniae Allobrog. 1751.; textum Regular. Cane. Apost. cum brevi solidaque explicatione subministrat *Reiffenstuel*, Ius canonic. l. III. tit. 5. n. 474. sq.; *Bonix*, De princip. iur. canon. p. 284., reiecta tamen mira ipsius theoria de promulgatione legum, quam ex Regul. Cane. Apost. probare studet l. c. p. 231.; *Schutte*, Die Geschichte d. Quell. u. L. d. e. R. t. II. p. 70. sq.

gnatus (126). At prima exempla Ordinationum Cancellariae Apostolicae occurrunt saeculo duodecimo. Denique Ioannes XXII. Cancellariam Apostolicam, cui iam Nicolaus II. a. 1278. ordinem constituerat, denuo Const. " *Ratio iuris* „ 16. Nov. 1331. (1326.) perfectius ordinavit. Verum origo Regularum Cancellariae Apostolicae, quae nunc hoc nomine insi-
gniuntur, maxime repetenda est ex tempore Ioannis XXII. (127) (a. 1316.-1324.), qui Regulas Cancellariae scripto mandavit et sua Const. " *Esecrabilis* „ = cap. unic. de praebend. III. in Extr. Ioann. XXII. Regulas reservatorias ultra limites in corpore iuris statutos extendere coepit (128). Quae Regulae a successoribus magis auctae et praesertim a Nicolao V. (a. 1447.-1455.) in formam quandam stabilem redactae sunt, quamvis etiam post Nicolaum V. Regularum Canc. Apost. immutationes non desint (129). Quodsi iam Riganti (130) saeculo decimo octavo monuit Regulas Cancellariae Apostolicae transiisse in *edictum perpetuum* atque *legem stabilem*, iamdiu cognitam, cuius nova publicatio non fieret ad effectum, ut *innotesceret* (131), id multo magis inde a tempore Pii VI. (a. 1775.) videtur asserendum.

Regulae Cancellariae Apostolicae *per se* sensu stricto *vim legum perpetuarum* non habuerunt (132), nisi excipias nonnullas Constitutionibus perpetuis munitas (133), sed morte S. Pontificis exspirarunt (134), licet ordinarie a successore renovarentur. Merito autem aequiparantur *uni* (135) *legi pontificiae* per *plures articulos* distinctae, quae exceptis Regulis directivis soli Cancellariae Apostolicae datis (136) constituit ius

(126) *Scherer* l. c. p. 294. sq.; *Zech*, Praccognita i. c. §§ 382. sq.; *Bouix*, De princ. iur. can. p. 463. sq.

(127) *Riganti* l. c. Prooem. n. 1. sq.; *Phillips*, Kirchenrecht. t. IV. p. 488. sq.

(128) *Laurin* l. c. p. 222. sq.

(129) *Riganti* l. c. n. 36. sq.; *Scherer* l. c. p. 295. not. 5.

(130) *Riganti* l. c. n. 27. 39.

(131) Quare Regulae Canc. Apost. etiam nostra aetate non tantum cognoscuntur *per coniecturas*, atque edictum perpetuum per se nova promulgatione non indiget. Hinc difficultates a *Scherer* l. c. not. 7. motae non videntur esse peremptoriae.

(132) *Suarez*, De leg. lib. 1. cap. 10. praesertim n. 16. 17. de perpetuitate legis; *Riganti* l. c. n. 26. sq. 17. sq., ubi cum edicto tralatitio et perpetuo Praetorum Romanorum Regulas Canc. Apost. comparat, cfr. *Vering*, Gesch. u. Pand. § 14.; *Schmalzgr.* l. c. Dissert. prooem. n. 390. sq.

(133) *Riganti* l. c. n. 73. 117. 120.

(134) *Riganti* l. c. n. 66. sq.

(135) *Riganti* l. c. n. 28. sq.

(136) *Schmalzgr.* l. c. n. 391.; *Phillips* l. c. p. 492.

commune et universale etiam extra Urbem (137), nisi concordatis aliisque legitimis modis particularibus Regulis sit derogatum (138). Et nimium sane quis deprimeret vim atque ambitum Regularum Canc. Apost., si solummodo tres vel quatuor vel quinque Regulas vigere defenderet (139), quamvis concedendum sit, in regionibus ultra montes praesertim Reg. 19. de viginti, Reg. 20. de idiomate, Reg. 35. de annali possessore, Reg. 36. de triennali aut etiam Reg. 30. de verosimili notitia fuisse in praxi receptas (140). Cardinales salvis quibusdam limitationibus v. g. potissimum Reg. 70. statutis a Regulis Canc. Apost. sunt exempti (141). Ex declaratione Urbani VIII. Regulae Canc. Apost. denuo ligare coeperunt *a crastina die post assumptionem novi R. Pontificis*, licet nondum fuissent *publicatae* (142). Cfr. de interpretatione singularum Regularum: *Riganti* op. cit.

Cum universum ius commune sit in unum codicem redigendum, nihil mirum si reservatis regulis directivis, et expeditivis pro solis officialibus Cancellariae Apost., ceterae quae vim habeant obligatoriam prudenter immutatae suis locis in novo codice inserantur.

253. Inter tribunalia Ecclesiastica tempore medii aevi maximam auctoritatem consecuta est Rota Romana (143). Quare ipsius decisiones saltem iam ex anno 1374. colligi coeptae sunt. Quae collectiones decisionum Rotae cum nonnisi *privata* auctoritate factae essent, *vim codicum authenticorum non obtinuerunt* (144). Porro *sententiae iudiciales* Rotae (145), quamvis ius faciant *inter partes* suaeque auctoritate non careant, tamen *ex sese ius universale non constituunt* neque iudicibus

(137) *Schmalzgr.* l. c. n. 391. 392. sq.; *Reiffenstuel* l. c. n. 476.; *Riganti*: l. c. n. 26. sq. 52. sq.

(138) *Riganti* l. c. n. 54. sq. 61. sq.; *Bouix* l. c. p. 320.; *Devoti*, Ius canonic. t. I. cap. 20. § 7.; *Scherer* l. c. p. 296.; *Ferraris*, Bibl. v. Beneficium art. 10. n. 143.

(139) *Aichner*, Compend. iur. cecl. § 19. i. f.

(140) *Scherer* l. c. not. 12.; *Iackowski* l. c.

(141) *Riganti* l. c. Reg. 70. n. 1. sq.; *Scherer* l. c. p. 296. 483.

(142) *Reiffenstuel* l. c. n. 481. sq.; *Riganti* l. c. Prooem. n. 38. sq.; *Rosset*, De sacramento matrimonii n. 2766. de reassumptione Regular. C. A. a Leone XIII. statim post electionem facta.

(143) *Bangen*, D. Roemische Curie p. 292. sq.; *Phillips* l. c. t. VI. p. 449. sq.; *Hinschius*, System. d. k. Kirchenrechts t. I. p. 392. sq.

(144) *Schulle* l. c. p. 69. sq.

(145) Cap. 19. X. de sent. II. 27.; *Suarez*, De leg. I. IV. cap. 14.; *Zech* l. c. §§ 385. sq.; *Fagnan*. l. c. in cap. 12. X. de iud. II. 1. n. 31. sq.

inferioribus inponunt obligationem in casibus similibus eodem modo iudicandi, licet sint aliqua ratione conformes (146).

§ 8. DE CONCILIIS ET CONCORDATIS SAECULI DECIMI QUINTI.

254. Postquam auctoritas Rom. Pontificum vel sola translatione residentiae in civitatem Avenionensem haud leve detrimentum passa est (147), mox usurpationes Cardinalium nefasto schismati occidentali saeculo decimo quarto aditum pararunt. Etenim *prima vice* (148) a. 1352. Cardinales ausi sunt in conclavi ante electionem novi Romani Pontificis pacta sive *capitulationes* inire, quibus propriarum obligationum (149) immemores sua iura augere atque Romanorum Pontificum iura divinitus constituta deprimere et limitare tentarunt. Quae iniqua stipulatio a melioribus et sapientioribus Cardinalibus nonnisi cum clausula subscripta ab Innocentio VI. mox post electionem factam cassata et reprobata est (150). Cui tristissimo praeambulo successit, brevi tempore post, apertum schisma contra Urbanum VI. (a. 1378.-1389.), certum legitimumque Romanum Pontificem (151). Inde ab hoc tempore usque ad electionem Martini V. (a. 1417.) quasi universa exercitatio potestatis ecclesiasticae in extirpando schismate videbatur esse absorpta. Imo non pauca, quae hoc tempore a Praelatis ecclesiasticis gesta sunt, actis spuriiis atque irritis sunt adnumeranda. Huc spectat potissimum Concilium Pisanum (a. 1409.) cum suis perversis actis et decretis (152).

(146) *Schmalzgr.* l. c. Dissert. prooem. n. 396. sq. Quare v. g. *Laurin* in *Arch. f. k. K.* tom. 26. p. 198. 199. unicae decisioni Rotae nimiam auctoritatem tribuit. Cfr. *Schmalzgr.* l. c. l. I. t. 2. n. 25.; *Act. S. Sed.* vol. XV. p. 263.; *Sauli*, *Praelect. iur. can.* l. I. t. 31. n. 51. sq. Cfr. *decis. S. C. Cons.*, 11. Febr. 1911. qua tribunalibus S. Rotae et Signaturae Apost. negatur facultas authenticae interpretandi leges, et solum conceditur illa iuridica interpretatio pro casu particulari in omni sententia iudiciali contenta, quae ius facit inter partes.

(147) *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. t. II. p. 737. sq.

(148) *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. l. XIII. cap. 13. n. 19. sq. Cfr. quoque Nicolai IV. *Const. « Coelestis altitudo »* 18. Iul. 1289.; *Souchou*, D. *Papstwahlen von Bonifac. VIII. bis Urban VI.*; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 768. sq.

(149) *Cap. 3. de elect.* l. 6. in *Sext.*; cap. 2. de *elect.* l. 3. in *Clem.*

(150) *Innocent. VI. Const. « Sollicitudo »* 6. Iul. 1353.

(151) *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 808. sq.

(152) In huiusmodi actis et decretis diiudicandis et antiquiores et recentiores canonistae et theologi non raro principia perversa aut saltem

255. *Concilium Constantiense* (a. 1414.-1418.) (153), quod non raro apud theologos catholicos propter decreta sessionis IV. et V. male audit, certe inde a sess. XIV. (a. 1415.) *per Gregorii XII. convocationem* (154) factum est legitimum et oecumenicum. Praeterea etiam in quatuor ultimis sessionibus *celebratione* fuit legitimum et oecumenicum, cum post sessionem XXI. Martinus V. (a. 1417.) esset electus et Concilii Constantiensis sess. 42. 43. 44. 45. praesideret (155). Denique per *confirmationem* Martini V. etiam " *omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materia fidei per praesens concilium conciliariter et non aliter nec alio modo* „ vim atque robur obtinuerunt (156). At minus recte ex verbis illis Martini V. deducitur ipsum suam confirmationem Concilii Constantiensis ad *sola dogmatica decreta* limitasse neque ad ullum extendisse decretum disciplinare (157). Cum generalia decreta reformationis difficilia esse viderentur, nonnisi ea disciplinae capita in Concilio Constantiensi universaliter statuta sunt (158), de quibus nationes communi quodam consensu convenerant; reliqua concordatis cum singulis nationibus ineundis fuerunt reservata. Huiusmodi concordata (159) non pauca a Martino V. in Concilio Constantiensi saltem ad quinquennium inita et in librum Cancellariae Apostolicae relata sunt.

256. *Concilium oecumenicum* legitime quidem *Basileam* a Martino V. *convocatum* (160), sed post praeposterum initium

confusa parumque accurata secuti sunt. Cfr. *Card. Hergenroelher-Kirsch* l. c. p. 833. sq. 840. sq.; *Phillips* l. c. t. IV. p. 436.; *Franzelin*, De Eccles. p. 230. sq.

(153) *Phillips* l. c. t. I. p. 256. sq. t. IV. p. 436. sq.; *Card. Hergenroelther-Kirsch* l. c. p. 848. sq. 853. sq.; *Hefele* l. c. t. VII. p. 26. sq.; *Baudril-larl*, in *Dict. de Théolog.* vol. III. col. 1200. sq.

(154) *Hefele* l. c. p. 182.; *Phillips* l. c. p. 436. 437.

(155) Ita sententia *Hefele* l. c. t. I. p. 60. sq. et t. VII. p. 104. 372. atque sententia *Phillips* l. c. videntur posse facile conciliari. Cfr. *Card. Hergenroelther-Kirsch* l. c. p. 870. sq.

(156) *Hefele* l. c. t. I. p. 50. sq. 60. sq. t. VII. p. 368. 372. sq.

(157) Ita *Phillips* l. c. t. IV. p. 442. videtur existimare; at minus accurate, ut solide probat *Hefele* l. c. t. VII. p. 372. sq. Cfr. quoque *Fagnan.* in cap. 7. § 2. X. de elect. l. 6. n. 23. sq., ubi disputat, num caput Libri Sexti per decretum Concilii Constant., quod ut fontem iuris admittit, revera fuerit abrogatum.

(158) Cfr. de generalibus illis decretis atque speciatim de decreto Martini V. " *Ad evitanda* „: *Hefele* l. c. p. 349. sq. 357. iunct. *Kober*, D. *Kirchenbann* p. 248. sq.

(159) *Hefele* l. c. p. 350. sq.; *Renard*, in *Dict. de Théolog.* vol. III. col. 730.

(160) *Hefele* l. c. t. VII. p. 405. sq.

(a. 1431.) ab Eugenio VI. a. 1433. sanatum (161) inde a sess. XXV. finita (a. 1437.) in apertum schisma prolapsum eodem anno Ferrariam (162) deinde Florentiam (163) (a. 1439.), tandem Romam (a. 1442.) translatum est, ubi a. 1444. et 1445. ultimae sessiones celebratae sunt (164). Quare omnia decreta Concilii Basileensis (165) post sess. XXV. usque ad XLV. incl. (a. 1437.-1443.) condita sunt spuria et irrita statuta conciliabuli. *Decreta* quoque priorum sessionum usque ad sess. XXV. incl. partim expresse fuerunt ab Eugenio IV. condemnata (166), partim nonnisi cum gravissimis clausulis et limitationibus approbata (167). Decreta unionis in Synodo oecumenica Florentiae (168) et Romae promulgata potissimum continent definitiones dogmaticas, inter quas praesertim clara apertaque declaratio de primatu Rom. Pontificis (169) etiam pro iure canonico maximi est momenti.

257. Spuria (170) principia de superioritate Concilii super

(161) *Hefele* l. c. p. 445. sq. 529. sq.

(162) Qua in civitate 9. Apr. 1438. Concilium oecumenicum etiam propter unionem cum Graecis coeptum est. Cfr. *Hefele* l. c. p. 651. 664. sq. 673. sq.

(163) *Hefele* l. c. p. 694. sq. Cfr. de decreto pro Armenis: *Wilmers*, De Christi Eccl. p. 398. sq.

(164) *Hefele* l. c. p. 781. 814. sq.

(165) *Hefele* l. c. p. 445. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsh* l. c. p. 903. sq. 907. sq.

(166) Const. " *Moses* " 4. Sept. 1439.

(167) Eugenius IV. 22. Iul. 1446. scribit: " *Generalia Concilia Conslantiense ac Basileense ab eius initio usque ad translationem per nos* (i. e. Eugen. IV.) *factam absque tamen praeiudicio iuris, dignitatis et praecellentiae S. Sedis Apostolicae ac potestatis sibi et in eadem eanonice sedenti in persona B. Petri a Christo concessae eum omni reverentia et devotione suseipimus, amplectimur et veneramur* ". Cfr. *Phillips* l. c. t. IV. p. 453.; *Hefele* l. c. t. I. p. 52. sq. 62. sq.; Concil. Basil. Sess. XXI. decret. 2. = Reg. Cane. Apost. 36. de triennali possessore; *Riganti* l. e. in Reg. Cane. Apost. 36. n. 78.

(168) Quae Gallicani contra oecumenicitatem Concilii Florentini protulerunt, solido fundamento omnino carent. Cfr. *Hefele* l. c. t. I. p. 65. sq.; *Card. Hergenroether-Kirsh* l. c. p. 944. sq.

(169) *Hefele* l. c. t. VII. p. 728. sq. et praesertim p. 753., ubi de decreto unionis eiusque clausulis disserit.

(170) Quae falsae doctrinae theoreticae et practicae fuerunt praeformatae controversiis Romanorum Pontificum cum Philippo Pulchro et Ludovico Bavaro eorumque sequacibus et patronis. Cfr. *Seherer* l. c. p. 284. sq. not. 4. 5. 6. quoad allegationes scriptorum. Praeterea non pauci theologi et canonistae tempore schismatis occidentalis desperatione quadam ad principia parum correcta fuerunt inducti. Cfr. *Hefele-Hergenroether* l. c. t. VIII. p. 1. sq. Accesserunt perversa facta et decreta Concilii Pisani (a. 1409.) atque Concilii Constantiensis.

Papam a conciliabulo *Basileensi* tandem in sess. XXXIII. ceu dogmata proclamata effecerunt, ut unitas Ecclesiae atque obedientia Romani Pontifici debita gravissime violarentur. A Carolo VII. promulgata est in Gallia a. 1438. *Sanctio pragmatica Bituricensis* (171), et Electores et Principes in Germania, post declaratam iam anno 1438. neutralitatem, tandem anno 1439. Instrumentum acceptationis decretorum Basileensium compilarunt (172). Eugenius IV. omnes machinationes evidenter schismaticas in Germania prudenti consilio sopivit, cum concordata principum a. 1446. (173) inita iam a. 1447. quatuor distinctis Constitutionibus rata haberet. Multo magis pax et concordia restituta est per *concordata* inter Fridericum III. et Legatum Sedis Apostolicae a. 1448. *Viennae* in Austria conclusa (174). Quae concordata posteaquam a Nicolao V. Const. " *Ad sacram Petri sedem* „ 19. Mart. 1448. (175) confirmata sunt, non paucis neque levibus superatis difficultatibus per complura saecula statutum quoddam fundamentale iuris particularis Ecclesiae in Germania fuerunt (176).

Difficilior et longior fuit controversia de *Sanctione pragmatica Bituricensi* (a. 1438.). Quae Sanctio pragmatica quamvis iam a. 1461. a Ludovico XI. (theoretice) esset revocata et a Romanis Pontificibus compluries damnata (177), demum per concordatum inter Franciscum I. et Leonem X. a. 1516. in Concilio Lateranensi V. (a. 1512.-1517.) publicatum (178) efficaciter fuit abrogata non obstante gravi oppositione Gallicanorum (179). Praeterea alia concordata (180) inita sunt.

(171) *Hefele* l. c. t. VII. p. 762. sq. Sanctio quaedam pragmatica, quae dicitur esse a. 1268. vel 1269. a S. Ludovico condita, solidis argumentis non probatur atque indubitanter est documentum spurium saeculo decimo quinto confictum. Cfr. Act. theol. Oenip. t. VIII. p. 240.; *Scherer* l. c. p. 285. not. 8.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 600. sq.

(172) *Hefele* l. c. p. 770. sq.; *Scherer* l. c. p. 288. sq.

(173) *Hefele* l. c. p. 816. sq.

(174) *Hefele* l. c. p. 836. sq.

(175) *Scherer* l. c. p. 289. not. 27. ineptas assertiones nonnullorum patronorum sectae " *velerum catholicorum* „ recte reiicit.

(176) *Zech*, Praecogn. iur. can. § 320.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 939. sq.

(177) *Hefele-Hergenroether* l. c. t. VIII. p. 117. sq. 157. 529. 655.; cap. 1. de tregua et p. l. 9. Extrav. com. = Sixt. IV. Constit. " *Ad universalis* „ 13. Aug. 1472.; *Card. Hergenroether-Kirsch* l. c. p. 931. 975. 993. sq.

(178) *Hefele-Herg.* l. c. p. 663. sq. 709. sq.

(179) *Hefele-Herg.* l. c. p. 736.; *Hefele* l. c. t. I. p. 68. etiam exceptiones Gallicanorum contra oecumenicitatem huius Concilii reiicit.

(180) Cfr. de concordato Nicolai V. cum Alphonso, rege Neapol. (a. 1451.)

TITULUS XIII.

DE NOVISSIMIS IURIS ECCLESIASTICI
COLLECTIONIBUS.

(A Concilio Tridentino usque ad Pium X. a. 1545.-1563.-1912.)

§ 1. DE CANONIBUS ET DECRETIS CONCILII TRIDENTINI.

258. Concilium Tridentinum (a. 1545.-1563.) (1) non solum canonibus atque capitibus doctrinalibus fidem catholicam contra pseudoreformatores saeculi decimi sexti vindicavit et explicavit, sed decretis atque capitibus de reformatione, quae ordinarie in altera parte sessionum continentur, novi iuris ecclesiastici codicem (2) constituit veramque praeparavit morum et disciplinae ecclesiasticae reformationem (3).

259. *Definitiones dogmaticae* Concilii Tridentini a die confirmationis et promulgationis per Romanum Pontificem factae universam Ecclesiam et occidentalem et orientalem obligarunt. Quamvis enim promulgatio definitionum dogmaticarum omnino sit necessaria (4), ut vi definitionis obligatio credendi in subditis fidelibus oriatur, tamen facta promulgatione obli-

Hefele-Hergenr. l. e. p. 31. sq.; de concordatis Poloniae cum Leone X. initis et Clem. VII. confirmatis: *Riganti* l. e. in Reg. Cane. Apost. 9. n. 290. et Arch. f. k. K. t. 71. p. 190. sq. de novis disquisitionibus historicis circa concordata Polon.; de Concordat. inter Portugalliae Praelatos et Emanuel. regem eiusdem regni a Leone X. a. 1516. confirmato: *Nussi*, Conventiones in app. p. 11. sq., ubi p. 1. eiusd. app. ad *Candid. Mendes de Almeida* remittit.

(1) De historia Concilii Tridentini consulendus est imprimis *Pallavicino*, Storia del Concilio di Trento, Roma 1656. De historia vero interna eiusdem Concilii potissimum adenda sunt: Acta genuina ss. oecum. Cone. Trid.... ab *Angelo Masarello*... conscripta, sed ab *Aug. Theiner* nequaquam digne atque accurate edita, ut concedit vel ipse *Schulle*, Geschichte etc. t. III. p. 388., nunc vero optime ab *Ehser* a. 1904. publicata. *Phillips* l. e. t. IV. p. 463. sq.; *Schulle* l. e. p. 54. sq. non historiam, sed calumnias Concilii Tridentini conscribit.

(2) Num antinomiae in Concilio Trid. occurrunt? Cfr. *Molitor*, Ueber kanonisches Gerichtsverf. p. 215. et Sess. XIII. cap. 2. de reform. atque Session. XXV. cap. 10. de reform.; *Scherer* l. e. p. 440. et Sess. VI. cap. 1. de ref. atque Sess. XXIII. cap. 1. de ref.

(3) *Phillips* l. e. p. 468. sq.

(4) *Aichner*, Compend. iur. eccl. § 17. n. 2. iuxta principium supra in textu stabilitum est explicandus.

gatio credendi nequit suspendi aut ad certas personas vel regiones limitari.

Decreta disciplinaria eiusdem Concilii confirmatione et promulgatione Pii IV. Const. " *Benedictus Deus* „ die 26. Ianuarii 1564. Romae facta vim obligandi universam Ecclesiam obtinuerunt, sed ex speciali declaratione Romani Pontificis (5) initium obligationis a prima die Maii eiusdem anni fuit computandum. Quae decreta disciplinaria cassatis iuribus et consuetudinibus et privilegiis contrariis (6) quoad partem dispositivam, non quoad summaria (7) aliaque additamenta (8) a viris privatis postea adiecta, etiamnum universam Ecclesiam ligant, nisi posterioribus Constitutionibus Romanorum Pontificum (9) vel futuris decretis Concilii Vaticani vel legitima consuetudine (10) fuerint immutata. Antiquum ius commune, cuius sanctiones Concilium Tridentinum non raro expresse (11) *renovavit*, in pleno vigore permansit, nisi contrariis decretis Concilii Tridentini vel aliis canonibus vel consuetudinibus universalibus vel particularibus legitime sit immutatum (12).

260. *Promulgatio* decretorum Concilii Tridentini Romae facta ad obligationem inducendam plane sufficiebat, *si exci-*

(5) Pii IV. Const. " *Sicut ad sacrorum* „ 18. Iul. 1564. Cfr. de *exhortatione* Concilii Tridentini decreta sua iam data servandi i. f. Sess. XVI. et de *Ecclesia orientati* infra h. tom. I. n. 265. Schol. II.

(6) Pii IV. Const. " *In principis* „ 17. Febr. 1565.; *Reiffenstuel*, ius canonic. I. V. tit. 33. de privileg. n. 135. sq.

(7) *Phillips* l. c. p. 465. sq., *Schulte* l. c. p. 54. sq. *Omnia summaria* in capitibus *disciplinariis* industria virorum privatorum sunt adiecta. *Rubricae* quoque capitum *doctrinalium* tantum de iustif., de eucharist., de poenit. et extr. unct., de comm. sub utraque sunt verba ipsius Conc. Trid.; post Sess. XXI. sunt additiones privatae. Cfr. edit. Roman. a. 1564.

(8) V. g. allegationes s. script. vel leg. ecclesiast. ad calcem canonum et capit. doctrinal. et decretorum disciplinarium. Cfr. cit. ed. Roman. cum editione *Chiffletii*, Antverp. 1640.

(9) *Maschat*, Institut. canonic. vol. II. elenchus VI. " *Apost. Constitul., quae accesserunt Decretis Concilii Tridentini* „ p. 62. sq.; *Giraldi*, Expositio iur. pontific. P. II.

(10) Cfr. de controversia, utrum contra decreta disciplinaria aliqua possit induci consuetudo: *Schmalzgr.* l. c. Dissert. prooem. n. 360.; *De Angelis*, Praelect. lib. I. tit. 4. n. 12.; *Biederlack* in Act. theolog. Oenip. t. VI. p. 438. sq. 608. sq.; *Gasparri*, Tract. canonic. de matrimonio n. 904.; *Scherer* l. c. p. 134. 283.; supra h. tom. I. n. 194.

(11) Cfr. indicem illarum Constitutionum ex antiquo iure innovatarum i. f. editionum Conc. Tridentini.

(12) Pii V. Constit. " *Ad Romanum spectat* „ 1. Iul. 1568. Cfr. Pii IX. Const. " *Apost. Sedis* „ de censuris a Concilio Tridentino tantum innovatis, non *denuo* latis.

pias cap. Tatnesi 1. Sess. XXIV. de ref. matr. Quare quamvis ex mandato Concilii Tridentini (cap. 2. Sess. XXV. de ref.) ipsius decreta in prima Synodo provinciali post Concilium Tridentinum celebranda solemniter *recipienda* fuissent, atque de facto in non paucis regionibus expressa quaedam publicatio facta esset (13), tamen *huiusmodi pronulgatio* in singulis provinciis ad valorem decretorum Tridentinorum omnino non fuit necessaria (14).

261. Pius IV. eadem Const. "*Benedictus Deus* „, qua Concilium Tridentinum confirmavit, sub gravissimis *poenis prohibuit*, ne quis sine auctoritate Sedis Apostolicae auderet *commentarios* super decretis Concilii Tridentini edere (15). Quod si quid obscurius in decretis eiusdem Concilii dictum et statutum fuisse videretur, Sedem Apostolicam adeundam esse iussit eique universam decretorum interpretationem et controversiarum decisionem reservavit. Quare ne unquam deesset iudex et interpres, qui commode adiri posset, iidem Romani Pontifices Congregationem Cardinalium permanentem instituerunt atque ordinarunt, quae Concilii Tridentini decretis *disciplinariibus*, non *dogmaticis* exequendis et interpretandis praeficeretur. Quae sit *auctoritas* iudiciorum, responsorum, decretorum huius S. Congregationis h. tom. I. n. 146. iam est expositum.

262. Scholion. De valore et auctoritate *Catechismi Romani* ad parochos adiri possunt theologi. Cfr. Clement. XIII. Const. "*In dominico* „ 14. Iun. 1761. *Reginald. Ant.*, De Catechismi Rom. auctoritate, Neapol. 1765.

§ 2. DE NOVA EDITIONE CORPORIS IURIS CANONICI
PER GREGORIUM XIII.

263. "*Corpus iuris canonici* „ pro diversitate temporum diversam habuit significationem (16). Etenim verbum "*cor-*

(13) *Pallavicino* l. c. lib. XXIV. cap. 9. sq.; *Phillips* l. c. p. 475. sq. Cfr. de publicatione in Polonia: *Heyzman* in Arch. f. k. K. t. 22. p. 77. sq., in Gallia: *Bouix*, Tract. de Concilio provinciali p. 489. sq.; *Bargilliat* l. c. n. 158. sq.

(14) Qua de re vel ipsi auctores antiqui v. g. *Schmalzgr.* l. c. n. 360. interdum minus accurate disserunt. Cfr. *Scherer* l. c. p. 282.

(15) Quae *Scherer* l. c. n. 15. cum *Schulte* contra hanc ordinationem Pii IV. scribit, solida probatione non commendantur. Cfr. Act. theol. Oenipont. t. XI. p. 337. sq.

(16) *Phillips* l. c. t. IV. p. 403. sq.; *Laurin* l. c. p. 221. sq.

poris iuris „ pro nativa sua indole denotat collectionem quandam completam iuris sive legum. Quae significatio corporis iuris cum iam occurrat in ipso iure Romano (17), mox etiam ad ius canonicum translata est. Hinc iam collectio „ *Anselmo dedicata* „ saeculo nono dicitur „ *corpus canonum* „, porro Decretum Gratiani „ *corpus iuris canonici* „, audit, singulae quinque compilationes antiquae atque imprimis collectio Gregorii IX. appellabantur „ *corpus iuris* „, canonici (18). Postea conciliabulum Basileense (19) reservationes „ *in corpore iuris* „ (i. e. in Libro Sexto) clausas (20) (i. e. *contentas*) opposuit reservationibus in *Extravagantibus* atque in *Regulis Cancellariae* factis. Inde „ *corpus iuris canonici* „, maxime significavit *tres collectiones authenticas* Gregorii IX., Bonifacii VIII., Clementis V. (21). Tandem Gregorius XIII. in Const. „ *Cum pro munere* „, 1. Iul. 1580., postquam Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX., Sextum, Clementinas, Extravagantes singulatim enumeravit, *omnes illas collectiones* simul sumptas *prima vice* appellat „ *Iuris Canonici Corpus* „. At in ipsa editione Romana a. 1582. communis ille titulus v. g. „ *Corpus iuris canonici* „, P. I. P. II. *nondum* reperitur. Id potissimum facum est in *editionibus* corporis iuris canonici, quibus ex saeculo decimo septimo utimur (22). Quare liber, qui vulgo nostra aetate vocatur „ *corpus iuris canonici* „, non est *una collectio authentica iuris canonici sive unus codex legalis*. Hinc ex tribus collectionibus authenticis in casu antinomiae posterior lex derogat priori; in eadem autem authentica collectione, cuius leges eodem die simul promulgatae fuerunt, vera lex posterior et prior existere nequit; aliis igitur interpretationis mediis saltem apparens antinomia est solvenda.

264. Pius IV. morte impeditus est, quominus consilium suum novam publicandi editionem Decreti Gratiani executioni mandaret (23). At ipsius successor Pius V. commissioni

(17) L. unie. pr. Cod. de rei uxoriae act. V. 13.

(18) Innoc. IV. Const. „ *Ad expediendos* „ 9. Septem. 1253.; *Scherer* l. c. p. 270.

(19) Sess. XXIII. cap. 6. (a. 1436.).

(20) Cfr. de vera significatione huius verbi: *Laurin* l. c. p. 223.

(21) Benedicti XIV. Const. „ *Iam fere sextus* „ 1746.

(22) *Laurin* l. c. p. 224. sq. v. g. in edit. Lugdunensi ann. 1671.; *Scherer* l. c. p. 272. n. 21.

(23) *Phillips* l. c. p. 193. sq.; *Theiner*, *Disquisitiones*; *Friedberg* in edit. corp. i. c. P. I. proleg. p. 76. sq.

speciali Cardinalium iam a. 1565. universum negotium novae editionis corporis iuris canonici commisit. Quae commissio ope aliorum virorum doctorum, a. 1580. post complures vicissitudines opus suum ad finem perduxerat. Quod opus licet certe defectibus atque imperfectionibus non careret (24), tamen meliorem subministravit textum corporis iuris canonici, vereque authenticum, utpote a Gregorio XIII. ex officio ita definitum (25), ut nihil “ *addere, detrudere vel inmutare aut invertere nullave interpretatione adiungere* „ liceat (26).

Quamvis novus “ *codex iuris canonici* „ nunc paretur, tamen Ecclesia in suis legibus “ *in unum colligendis* „ vestigia traditionis ecclesiae certe non deseret, neque sacros canones ex disciplina a Sede Apostolica approbata nunc vigentes radicitus evertet. Quare antiquum “ *corpus iuris canonici* „ etiam post novi codicis publicationem non poterit cum honore sepeliri, sed ob historicam eruditionem atque genuinam iuris constituti interpretationem haud raro erit consulendum.

265. Scholion I. *Postulatum de novo corpore iuris canonici* compilando etiam ab ipsis Episcopis in Concilio Vaticano fuit propositum. Cuius in se optimi postulati executio non leves habuit difficultates, quae non semper ab omnibus sufficienter videntur fuisse consideratae. Fatendum quoque videtur saepe et *necessitatem* et *utilitatem* novae codificationis *universi* iuris canonici multum fuisse *exaggeratas*, atque *modos novae codificationis* adornandae etiam a quibusdam Episcopis propositos, qui apti et opportuni vix dici poterunt. Meliorem sane modum commendarunt Patres quidam Concilii Vaticani a *Martin* relati (27).

At negotium arduum leges ecclesiasticas in unum colligendi non est adeo extollendum, quasi executioni mandari omnino non possit. Quare si Pius X. (Mot. propr. “ *Arduum* „ 19. Mart. 1904.) nunc novum codicem iuris canonici praeparari iussit, ut consuleret certitudini, uniformitati, meliori pu-

(24) *Schulte*, Geschichte etc. t. 1. p. 72. sq. de editione Romana eum aequitate non iudicat.

(25) Const. “ *Cum pro munere* „ et Const. “ *Emendationem* „ 2. Iun. 1582.

(26) Cfr. de variis additamentis corporis iuris canonici plus minusve utilibus v. g. de Libro Septimo Decretalium Petri Matthaei († a. 1621.), Institutionibus iuris can. Pauli Lancelotti († a. 1590.): *Laurin* l. c. p. 227. sq.; *Scherer* l. c. p. 272. sq.

(27) *Martin*, Collectio docum. Cone. Vatic. p. 158. sq. 178. 185. sq. 186. 190. 202. sq.; *Laemmer*, Zur Kodifikation de kan. Rechts.

blicationi, faciliori executioni, imo ipsi reformationi iuris constituti, sane rem difficilem, sed utilissimam atque divina favente clementia nequaquam viribus humanis superiorem est aggressus. Non enim agitur de codice quodam compilando documentorum *historicorum*, quo historia vel potius archaeologia iuris canonici promovetur, verum *disciplina* quaedam *iuris nostris temporibus apta* legibus brevibus, claris, ordinatis est *constituenda* super solido fundamento disciplinae hucusque *vigentis* et a Sede Apostolica *approbatae* et ex praxi SS. CC., decretis Conciliorum provincialium, postulatis Episcoporum aliisque modis v. g. concordatis probe cognitae. Quodsi nova iuris canonici codificatio felicem habeat exitum, ut sperare licet, in antecessum ab alio errore extremo cavendum est, quasi novo codice publicato omnis difficultas sit sublata, et omissis solidioribus studiis universa *scientia canonica* reducatur ad iurisprudentiam sive practicam dexteritatem canones novi codicis memoria retentos applicandi ad casus particulares. Vehementer errarent, qui ita opinarentur. Etenim novus codex iuris canonici rite in praxim deduci non poterit, nisi magistratus iudicesque ecclesiastici sibi comparent solidam illius cognitionem. Quae cognitio licet aliquo modo idoneis practicisque commentariis acquiratur, ut ad *perfectionis* gradum pertingat, studiis canonicis tamen *methodo* vere *scientifica* peractis innitatur necesse est. Denique vix quisquam negabit novum codicem non paucis dubiis ansam esse daturum, quorum *plena* solutio a viris *scientia canonica* destitutis frustra expectabitur.

Scholion II. De valore corporis iuris canonici et Concilii Tridentini quoad Graeco-catholicos apposite scribit Papp-Szilágyi in Enchirid. iur. Eccles. orient. catholicae § 55.: “*Dognata fidei catholicae et leges morales omnes Christi fideles ad credendum et agendum obligant. Quod vero ius et disciplinam concernit, corpus iuris canonici et Concilium Tridentinum praeter ea, quae decretis Summorum Pontificum expresse etiam pro Graeco-catholicis sive omnibus sive aliquibus praescripta sunt, pro Graeco-catholicis fontem iuris subsidiarium constituunt, in quibus Codex Ecclesiae orientalis non sufficit, et Ritui etiam orientali congrua sunt* „.

§ 3. DE CLEMENTIS PAPAE VIII. DECRETALIBUS (28).

266. Post Constitutiones Clementis V. authenticae collectiones iuris canonici a Romanis Pontificibus non amplius fuerant promulgatae. Eodem autem tempore, quo Romae nova corporis iuris canonici parabatur editio, Gregorius XIII. (a. 1572.-1585.) (29) certe iam ante ann. 1580. deputationem trium Cardinalium constituit quae, collectionem authenticam iuris novi praepararet atque compilaret. Mortuo Gregorio XIII. Sixtus V. (a. 1585.-1590.) omni vi opus inchoatum perficiendum curavit, novum designavit deputationis praefectum scilicet Cardinalem Pinellum novosque adiutores. Post strenuos labores tandem sub Clemente VIII. (a. 1592-1605.) a 1592. et 1593. singuli libri novae collectionis Decretalium successive typis mandati sunt. Qua impressione finita ad primam revisionem accesserunt deputati eamque intra 16 menses absolverunt. Absoluto negotio revisionis primae universa collectio fuit ordinanda et stylus introducendus iuridicus. Quem laborem in se suscepit ipse Cardinalis Pinellus atque tandem 1. Augusti a. 1598. novam collectionem Clementi VIII. obtulit, ut ab eo approbarentur: “ *Sanctissimi Domini Nostri D. Clementis Papae VIII. Decretales* „; is enim, non “ *Liber septimus Decretalium Clementis VIII* „, fuit verus titulus huius collectionis.

267. Etsi complures scriptores opinati sunt collectionem istam *vere* a Clemente VIII. *fuisse promulgatam* vel saltem approbatam, sed ante publicationem suppressam (30), tamen huiusmodi assertio omni fundamento caret. *Nunquam enim nova haec compilatio a Clemente VIII. fuit approbata et promulgata.* Hinc suppressionis quoque collectionis cuiusdam approbatae nulla reperiuntur vestigia. Postea Paulus V. cum anno 1607. et 1608. *denuo de publicanda* collectione ageretur, approbationem iterum denegavit. Quibus causis duo illi Romani Pontifices fuerint inducti ad negandam confirmationem et promulgationem, ipsi authentica quadam ratione non ma-

(28) *Sentis*, Clementis Papae VIII. Decretales, Friburg. 1870. Qui liber reliquos omnes de hac re scriptos et *corrigit* et supplet.

(29) *Sentis* l. e. Proleg. p. 8. sq.

(30) *Schmalzgr.* l. e. Dissert. prooem. n. 288. sq.; *Phillips* l. e. p. 480. Recentiores quoque scriptores eum plane ignorare videantur novas disquisitiones historicas *Sentis*, antiquatas et refutatas opiniones *Fagnani* denuo proponunt.

nifestarunt; at tum ex relationibus fide dignis tum examinata ipsa collectione et temporum conditione rationes iustae denegatae approbationis facile conici possunt (31). Nam nimis multae definitiones dogmaticae, iam ex sese etiam non attentae Pii IV. Const. “ *Benedictus Deus* „ 26. Ianuar. 1564. a iure canonico et disputationibus canonistarum alienae, schemati novi corporis iuris canonici fuerunt insertae; aliae vero mnteriae iuri canonico propriae in Decretalibus illis Clementis VIII. sedem omnino non invenerunt. Tandem eae quoque receptae fuerunt Decretales, quae pro natura controversiarum tunc praesertim in Gallia agitarum facile novos potuerunt excitare conflictus inter varios Status et Sedem Apostolicam.

Quod schema a deputatione praeparatum etsi nunquam auctoritatem consecutum est authenticae collectionis, tamen sua utilitate ad studium iuris canonici non caret, praesertim si quis utatur editione Decretalium Clem. P. VIII. a Sentis facta (32).

§ 4. DE BULLARIIS.

268. Post Concilium Tridentinum, cum usque ad Concilium Vaticanum Synodus oecumenica non esset celebrata, unicus fons scripti iuris universalis fuerunt *Constitutiones Romanorum Pontificum*. Quarum Constitutionum collectio auctoritate Sedis Apostolicae non est facta, nisi excipias saltem primum tomum Bullarii Benedicti XIV., sed privatae industriae fuit permissa. Crescente necessitate practica extravagantes illas Constitutiones in unum corpus colligendi, inde ab anno 1550. (33) per viros privatos complures collectiones Constitutionum pontificiarum adornatae sunt. Post istas collectiones Laertius Cherubini a. 1586. suam publicavit collectionem Constitutionum Romanorum Pontificum a Gregorio VII. usque ad Sixtum V. eamque prima vice appellavit: “ *Bullarium* „. Quod nomen ex illo tempore constanter retentum est. Subsequentibus annis (1588.-1590.) Cherubini suo Bullario reliquas Sixti V. Constitutiones adiecit et a. 1617. novam publici iuris fecit editionem sui Bullarii a Leone I.

(31) *Sentis* I. c. p. 11. sq.

(32) *Bened. XIV.*, De Synod. dioec. lib. XIII. cap. 24. n. 2.

(33) *Sentis* in Act. theol. Bonnen. 1870. p. 503. sq.

usque ad Paulum V. Auctum et continuatum est istud Bullarium a compluribus Cherubini successoribus, donec tandem Carolus Cocquelines a Leone I. usque ad Clementem XII. incl. Romae 1739.-1744. vel verius 1733.-1762. novum ederet "*Bullarium Romanum* „ (34).

Cuius Bullarii continuatio quaedam censi potest Bullarium Benedicti XIV. (a. 1740.-1758.). Constitutiones Clementis XIII. (a. 1758.-1769.) usque ad Gregorium XVI. (a. 1831.-1846.) incl. exhibet "*Bullarii Romani Continuatio* „, quam Andr. Barbèri et Alex. Spetia publicarunt Romae 1835.-1857. Denique Aloys. Tomassetti "*Bullarium Romanum* „ a Leone I. usque ad Clementem XII. edidit August. Taurin. 1857.-1872. (35).

Bullaria, quae non tantum Bullas, sed etiam alias epistolas Romanorum Pontificum ordine chronologico dispositas continent, utpote a viris privatis compilata, *neque vim publicae vel authenticae collectionis neque vim libri vel codicis legalis* habent, cuius singulae leges obligationem universalem inducant, nisi Constitutio ex Bullario deprompta sit lex genuina atque ex sese universalis. Cfr. *Schnitzgr.* l. c. Dissert. proemial. n. 387. sq.

§ 5. DE COLLECTIONIBUS DECISIONUM
SS. CONGREGATIONUM ROMANARUM.

269. Inter SS. Congregationes sane principem locum occupat *S. Congreg. Inquisitionis*; at ipsius responsa et decisiones iam propter secretum, quo multa negotia in S. H. C. solent et debent tractari, publici iuris saepe non fiunt. Imo etiam declarationum, instructionum, decretorum, responsorum S. C. Inq., quae publice divulgantur, nulla existit privata vel authentica collectio (36).

270. *Decreta* et responsa vel declarationes *S. C. C.* pariter usque ad ann. 1718., ex quo Prosper Lambertini, postea Be-

(34) *Grisar* in *Aet. theolog. Oenip.* t. XII. p. 489.; *Phillips* l. c. t. IV. p. 483. sq.

(35) Cfr. de Bullario S. C. de Prop. F. infra h. tit. § 5. Praeterea existunt multa alia Bullaria particularia ordinum religiosorum vel institutorum ecclesiasticorum, de quibus agit *Ortolan*, in *Diction. de Theolog.* t. II. col. 1243. sq.

(36) Non pauca decreta S. C. Inq. reperiuntur in *Coll. Const...* S. Sed. Paris. 1880. et praesertim in *novis Collectan.* S. C. de Prop. F. Rom. 1893. Alia innotescunt ex nova editione Bullarii S. C. de Prop. F. vel ex *Actis S. Sedis* vel *Analect. eccles. aliisque foliis periodieis.*

nedictus XIV., functus est munere Secretarii S. C. C., neque ex officio et certo ordine typis sunt mandata neque in unum corpus collecta et publicata (37). Privatae vero collectiones decretorum huius S. Congregationis, quas saeculo 17. v. g. Barbosa et Gallemart publicarunt, in Indicem librorum prohibitorum relatae sunt (38). Tandem post plura tentamina (39) inde ab anno 1789. omnium collectionum perfectissima inchoata est, quae dicitur: “ *Thesaurus Resolutionum Sacrae Congregationis Concilii* „, atque decisiones S. C. C. inde ab anno 1718. (vel accuratius ab anno 1700.) ordine chronologico collectas continet. Qui Thesaurus cum ex officio a *Secretario* (40) S. C. C. *publicaretur*, aliqua ratione *publica* sive authentica collectio appellari potest; at nequaquam est *codex legalis* sive “ *Liber* „, cuius *singulae* partes vi insertionis in istum “ *Thesaurum* „ (41) obtineant *vim legis universalis*.

271. S. C. Ep. et Reg. suarum responsionum et decisionum *collectionem authenticam non publicavit*, neque pro more S. C. C. a Secretario huius Congregationis “ *Thesaurus* „, quidam secundum annos divisus typis mandatus est. Quare decisiones S. C. Ep. et Reg. investigandae sunt in archivio illius Congregationis aut ex collectionibus privatis singulorum foliorum, in quibus scripto responsa S. C. sunt adnotata, aut denique in actis theologicis vel canonicis et similibus collectaneis privatim impressis (42).

272. S. C. de *Propaganda Fide* quasi suum habet codicem in bullario S. C. de Prop. F., quod denuo prodiit sub

(37) *Benedict. XIV.*, De Synod. dioece. praef.

(38) At *Baldassini*, *Collectanea doctorum*, S. Rotae decisionum et S. C. Cone. resolutionum ad Cone. Trid., Aesii 1761. non amplius in Indicem relatus est, et in novo Indice a Leone XIII. publicato collectiones Barbosa et Gallemart. fuerunt sublatae.

(39) *Sentis* in *Aet. theologie*. Bonnens. 1868. p. 186.; *Lingen et Reuss*, *Causae selectae*.... S. C. C. praefat. p. 14. sq., ubi universa quaestio de collectionibus decret. S. C. C. solide tractatur.

(40) Cit. *Caus. select.* l. e. p. 16.

(41) Cum iste Thesaurus, cuius publicatio post a. 1907. cessavit, non facile haberi possit, atque haud raro in bibliothecis complete non inveniatur, adeundae sunt collectiones privatae maiori minorive dexteritate compositae velut a *Zamboni*, *Pallottini*, *Muehlbauer*. Accuratam et utilem collectionem causarum selectarum S. C. C., quae per summaria praeeum fuerunt propositae, habes in opere supra laudato *Lingen et Reuss*. Item editio Conc. Trid., quam curarunt *Richter* et *Schulte*, simul utilis est collectio decisionum S. C. C.

(42) *Bizzarri*, *Collectanea in usum Secretariae S. C. Ep. et Reg.*, Rom. 1863., 1886.; *Analecta iur. pontif.* XI. 343. sq.

titulo generali “ *Ius Pontificium de Propaganda Fide SS. D. N. Leonis XIII. P. M. iussu recognitum* „, Rom. 1888. sq. Cuius collectionis pars posterior exhibet omnia decreta S. C. de Prop. F., quae in actis pontificiis prioris partis non iam reperiuntur inserta. Cfr. l. c. P. I. vol. I. Ratio operis p. 10. sq. Quae collectio quamvis iussu Leonis XIII. atque auspice E. mo. Praefecto S. C. de Prop. F. et secundum regulas ab eadem S. C. probatas sit concinnata a Raphaele De Martinis, tamen sensu stricto collectio authentica non est. Collectanea S. C. de Prop. F. a. 1893. publicata, quarum nova editio aucta sed. ordine chronologico minus perfecto digesta prodiit a. 1907., quamvis authentia *legali* non gaudeant ad instar codicis, tamen maximam habent authentiam historicam, quia accurate ex archiviis S. O. et S. C. de Prop. F. fuerunt extracta. Cfr. *Melata* in Anal eccles. t. V. p. 263. sq. not. 1.

273. Collectio authentica (i. e. publica auctoritate tanquam *genuina* recognita) habetur *decretorum* S. Congregationis *Rituum*, quae cura et studio Aloysii Gardellini Romae prodiit. Quare decretum ex hac collectione allegatum neque *in scholis* neque *in tribunalibus* tanquam spurium reiici potest; at nequaquam authentia collectionis Gardelliniana eo usque est extendenda, quasi *vi illius approbationis* et recognitionis a S. Congregatione Rit. vel ipsius Secretario factae unumquodque decretum a Gardellino suae collectioni insertum *vim legis universalis* obtinuerit. Nunc standum est novae collectioni authenticae decretorum eiusdem S. C. a Leone XIII. publicatae (43).

274. Decreta S. C. Indulgentiarum, secundum quae eadem Congregatio (cuius competentia nunc in S. C. Inq. translata est) causas particulares sibi propositas dirimere solebat, vera et proprie dicta *collectione authentica* publicata sunt, cui titulus est: “ *Decreta, authentica S. Congregationis indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae ab anno 1668. ad annum 1882. edita iussu et auctoritate Sauctissimi D. N. Leonis PP. XIII., Ratisbou. 1884.* „. Parem auctoritatem cum praecedenti collectione non habet altera per Ioseph. Schneider edita: “ *Re-*

(43) Deerata authentica Congr. Saeror. Rit. ex actis iusdem S. C. collecta cura *Aloysii Gardellini*, Rom. ed. 3. 1856. sq.; Deerata authent. Congr. Saeror. Rit., Rom. 1898. sq. eum decreto generali 16. Febr. 1898. Cfr. *Bouix*, De Curia Romana p. 355., ubi collectionem ex *publico testimonio genuinam* non satis distinguit a collectione striete *authentica iuris universalis*.

scripta authentica S. C. ind. sacrisque reliq. praep. nec non summaria indulgent., Ratisbon. 1885.

275. Scholion. Decisiones aliarum Congregationum Romanarum cum minoris essent momenti universalis neque tantae auctoritatis, ordinarie ne privata quidem industria fuerunt collectae et publicatae. Cfr. v. g. *Ricci*, Synopsis decretorum et resolutionum S. Congreg. Immunitatis, Taur. 1719.; *Analect. iur. pont.* XI. 706. sq.

§ 6. DE COLLECTIONIBUS DECRETORUM
RECENTIORUM CONCILIORUM.

276. Cum in Curia Romana *schemata Concilii Vaticani* praepararentur, etiam illud videbatur esse opportunum, ut elenchus quidam sive conspectus decretorum recentiorum Conciliorum particularium conficeretur (44). Nequit enim negari ex illis Conciliis particularibus in diversis regionibus celebratis et a S. C. C. vel a S. C. de Prop. Fide recognitis vel ab ipso Rom. Pontifice confirmatis optime cognosci posse disciplinam ordinarie in Ecclesia vigentem et a Sede Apostolica approbatam. Qui fructus aliique non pauci etiam maioris momenti ex celebratione Conciliorum particularium provenientes multo facilius atque efficacius percipi potuissent, si Concilia provincialia (45) universaliter et constanter de facto fuissent celebrata.

At si in nonnullis regionibus decretum Tridentinum de Conciliis provincialibus celebrandis per saecula *ne semel quidem* fuit executioni mandatum, certe plerumque defuit *constans* et *statuto tempore repetita* celebratio Conciliorum provincialium (46).

Post insigne exemplum ultimo saeculo datum ab Episcopis Americae septentrionalis (47) etiam in Europa atque America meridionali aliisque regionibus praesertim post an. 1848. multa Concilia provincialia celebrata sunt. Quae Concilia particularia in Collectione Lacensi tom. III. IV. V. VI. optima quadam

(44) *Cecconi*, Storia del Concilio ecumenico Vaticano P. I. vol. I., Roma 1872. p. 312. sq.

(45) Acta et Decreta Sacrorum Conciliorum Recentiorum. Collectio Lacensis t. I. Friburgi Brisg. 1870. Proleg. col. 1. sq.; *Scherer* l. c. t. I. p. 297.

(46) *Collect. Lac.* t. I. l. c.; *Schulte* l. c. t. III. p. 80. 81. sq., ubi iustos limites non servat.

(47) *Collect. Lac.* t. III. col. 9. sq.

ratione sunt collecta et publicata, et similiter animadversiones criticae in recentiora illa Concilia a Schneemann, principali auctore collectionis Lacensis, t. VI. praefat. col. 5. sq. libere modesteque prolatae sane verae atque iustae sunt dicendae (48).

277. Inter Concilia recentiora principem locum occupat Concilium Vaticanum (a. 1869.-1870.). Quod Concilium diu sapienterque praeparatum (49), tandem legitime fuit convocatum et celebratum (50) et suprema auctoritate Romani Pontificis confirmatum. Quare omnia et singula huius Concilii decreta tanquam Concilii vere oecumenici sunt habenda (51). Ex definitionibus dogmaticis Vaticani Concilii potissimum Constitutio "*Pastor aeternus* ", de primatu Romani Pontificis eiusque infallibili magisterio 18. Iul. 1870. Sess. IV. promulgata spectat ad ius canonicum (52). Decreta vero disciplinaria in Concilio Vaticano condita non sunt. Unicum enim decretum disciplinare de parvo catechismo in Congregatione generali iam approbatum, cum in sessione quadam solemniter nunquam fuisset confirmatum et publicatum, vim legis ecclesiasticae non obtinuit (53). Quare multo minus reliqua schemata (54) quamvis sua utilitate non careant, legum auctoritatem consecuta sunt.

(48) Cfr. quoque *Scherer* l. c. p. 298.; v. g. Concilium plerarium Baltimorese III. (a. 1884.) et Conc. plenar. Amer. lat. (a. 1899.) sub multiplici respectu eminent.

(49) *Ceconi* l. c. P. I. vol. II. a. 1879.; *Granderath-Kirch*, *Gesch. d. Vatik. Konzils* t. I. p. 20. sq.

(50) Cui legitimaee celebrationi eerte non obstat, quod Pius IX. speciebus Constitutionibus praescripserit ordinem procedendi in Concilio Vaticano. Cfr. *Ceconi* l. c. P. I. vol. I. p. 161. sq.; *Granderath-Kirch* l. c. t. II. p. 13. sq.

(51) Exceptiones fallibilistarum, qui sese "*veteres catholicos* " dicunt, contra oecumenicitatem et valorem decretorum Concilii Vaticani allegatae adeo evidenter falsae sunt, ut vel ab ipso *Hinschius*, *System. d. k. K.* t. III. p. 471. sq. 603. sq. reiiciantur. Cfr. *Granderath-Kirch* l. c. t. II. p. 26. sq.

(52) Universa illa decreta Concilii Vaticani authentice quodam modo reperiuntur edita in *Collect. Lacens.* t. VII. una cum quamplurimis actis ad meliorem cognitionem definitionum Vaticanarum omnino necessariis.

(53) *Granderath-Kirch* l. c. t. II. p. 202. sq.

(54) *Martin*, *Omnium (?) Concilii Vaticani, quae ad doctrinam et disciplinam pertinent documentorum collectio*, Paderbornae 1873.; *Ceconi* l. c. P. I. vol. I. p. 297. sq. 300. sq.; *Granderath*, *Const. dogmaticae Conc. Vatic.* p. 8. sq.; *Granderath-Kirch* l. c. t. II. p. 157. sq.

§ 7. DE ACTIS PII IX. ET LEONIS XIII. ET PII X.

278. Pius IX. (55) longa annorum serie sui apostolici regiminis quamplurimas condidit leges etiam universales, quae tamen in unam collectionem authenticam non sunt redactae, ideoque ex collectionibus privatis vel foliis periodicis sunt hauriendae. Verum a Pio IX. publicatae sunt nonnullae collectiones iuris singularis plane novae et summi momenti. Huc spectant potissimum leges ab ipso latae *de regularibus*, quae simul sumptae constituunt velut novum quoddam *corpus iuris regularium* (56). Porro *limitatio censurarum* latae sententiae in Const. "Apostolicae Sedis", 12. Oct. 1869. est codificatio quaedam iuris criminalis Ecclesiae. Insuper a Pio IX. magnus quidam numerus *conventionum* cum guberniis initus est, quarum articuli fundamentales saepe ad verbum conveniunt atque principales partes disciplinae vigentis stabiliunt (57). Celeberrima vero collectio Pii IX. est *Encyclica "Quanta cura"*, atque *Syllabus errorum* 8. Dec. 1864. Quibus in documentis Pius IX. etiam normas generales et fundamentales iuris ecclesiastici complexus est. Atque imprimis dubitari non potest, quin Encyclica "Quanta cura", fuerit vera definitio Romani Pontificis ex cathedra ideoque infallibilis. Syllabus vero etiam *vi primae publicationis* definitio ex cathedra propter rationes haud spernendas merito dici potest, quamvis id minore claritate et certitudine constet, quam de Encyclica "Quanta cura", (58). At cum utriusque documento

(55) Pii IX. Pontif. Max. Acta, Rom. 1854.-1858. P. I. vol. I. et II. sunt collectio mere privata.

(56) *Sentis*, Decretal. Clem. P. VIII. p. 72. sq.

(57) *Nussi*, Conventiones.

(58) Cfr. de hac theoretica controversia: *Card. Mazzella*, De vera relig. et Ecclesia, p. 822. sq., qui tamen in favorem definitionis ex cathedra nonnulla affert argumenta parum effeacia; *Pesch*, Praelect. dogmat. t. I. n. 520.; *Ruffani*, Il Sillabo, Milano 1881.; *Rinaldi*, Il valor del sillabo, Roma 1888., ubi nova et utilia afferuntur documenta. *Card. Newman* in minoribus constitutus, *Fessler*, Secret. C. Vat., aliique Syllabum ex sese definitionem ex cathedra esse negarunt. Cfr. quoque *Seherer* l. c. t. II. p. 5.; *Hourat*, Genèse historique du Syllabus; *Staatslex.* ed. I. (Biederlack), ed. II. (Sehanz) et *Kirchenlex.* (Frins) v. Syllabus. Quodsi etiam viri catholici non tantum Syllabo, sed etiam Encycl. "Quanta cura", naturam definitionis ex cathedra negant, certe modum excedunt atque sententiam plane improbabilem sustinent. Quae *Meurer*, D. Begriff und Eigenthümer d. h. Sachen t. I. p. 126. sq.

etiam Syllabo accesserit consensus magisterii dispersi Ecclesiae, utraque decisio ex alio quoque fonte est norma certa atque infallibilis. Quare nulla propositio in Encycl. " *Quanta cura* „ et in Syllabo damnata, tuta conscientia defendi et teneri a viro catholico potest, neque veritas contradictoriarum propositionum praeposteris interpretationibus est limitanda

de Syllabo contra theologos atque canonistas catholicos disputat, solidis argumentis non nituntur. Porro nonnulli scriptores catholici non satis distinguunt definitionem ex cathedra datam, qua R. Pontifex doctrinam quandam ut *haereticam* damnat, ab aliis definitionibus ex cathedra, quibus doctrina solummodo proscibitur per censuras theologicas nota haereseos inferiores v. g. falsitatis. Profecto in utroque casu R. Pontifex est praeditus praerogativa *infallibilitatis* atque dat definitiones vere irreformabiles sive irrevocabiles (cfr. relat. a Gasser, Episcopo Brixin., in Congreg. gener. Concil. Vatic. datam in Collect. Lac. t. VII. col. 414. sq.; Pesch l. c. n. 531. sq. 556.; Granderaath, Const. dogm. p. 193. sq.), eo tamen discrimine, quod in priore casu doctrina damnata sit qualificata ut *haeresis*, cuius contradictoria proponitur ut dogma catholicum definitum et fide divina credendum, in altero vero casu doctrinae proscriptae nota haereseos non inuritur, neque propositio contradictoria definitur ut dogma catholicum fide divina tenendum, sed ut doctrina *vera* et theologice *certa*; quare huiusmodi propositiones tali modo *irrevocabiliter* notatae interno mentis assensu tanquam *obiective* et *absolute falsae* eo sensu sunt reiiciendae, quo notantur, eorumque contradictoriae pariter interno mentis assensu tanquam verae et certae sunt recipiendae. Quare Episcopus Brixinensis (Gasser), relator commissionis dogmaticae in Concilio Vaticano (cfr. Collect. Lat. t. VII. col. 475.) recte docet: " *Est certitudo theologica eo sensu, ut is, qui negaret Ecclesiam vel ex pari etiam Pontificem in tali decreto edendo non fore infallibilem, ut talis quidem non esset apertus haereticus, attamen errorem gravissimum et peccatum gravissimum sic errando committeret* ..

Quae confusio quorundam scriptorum originem ducere videtur ab ancipite modo loquendi de definitione " *dogmatica* „, quae accipitur quandoque sensu *generico* de omni definitione infallibili, modo sensu *specifico* de illa sola definitione infallibili, qua doctrina quaedam a supremo Ecclesiae magisterio proponitur ut dogma catholicum immediate revelatum fideque divina credendum, cuius contradictoria tanquam haeresis est reiicienda. Quo sensu *specifico* sane omnes et singulae propositiones Syllabi Pii IX. per definitiones " *dogmaticas* „ non sunt proscriptae v. g. errores implicite notati post propositionem 76. v. g. de *necessitate* civilis principatus R. Pontificis; at eadem propositiones *infallibiliter* tanquam *erroneae* possunt et debent dici damnatae sive " *notatae* „ saltem per *aliquam* censuram pontificiam vere irrevocabilem, licet nota haereseos inferiorem. Quae nota theologica in specie particularibus propositionibus Syllabi conveniat, per legitimam interpretationem est erendum. Cfr. Pesch l. c. n. 559.; Bouvier in Études (a. 1905.) t. 102. p. 250. sq., qui solide refutat novum adversarium Syllabi; Choupin, Valeur des Decis. doctr. et discipl. du S. Siège, p. 75. sq. 151. sq. egregie de Syllabo disputat et singulas propositiones damnatas exponit atque fontes unde desumptae sunt proponit.

vel eliminanda (59). Nam Leo XIII. in Const. “ *Officiorum ac munerum* „ 25 Ian. 1897. n. 14. decrevit: “ *Prohibentur pariter libri, qui... errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur* „. Qui errores nequaquam a Sede Apostolica tanquam *haereses* debent proscribi, ut liber quidam prohibitus censeatur; etenim lex *generaliter* et *indistincte* loquitur de erroribus a Sede Apostolica proscriptis. Speciatim vero S. C. indic. 23. Maii 1898. ad quaesitum 2.: “ *An opera (quae permulta sunt) erroribus infecta a Syllabo damnatis verbis articuli 14. prohibita censeantur, quatenus errores ab Apostolica Sede proscriptos continentia?* „ respondit: “ *Affirmative, si hos errores tueantur seu propugnent* „.

279. Quodsi Pius IX. in Encycl. “ *Quanta cura* „ et in Syllabo *directe* errores proscripsit, Leo XIII. praeclaris suis Encyclicis *doctrinae catholicae* capita, e quibus non pauca ad ius canonicum referuntur, potius *positiva* ratione exposuit et demonstravit. Quare inter sententias condemnatorias errorum Pii IX. et Encyclicas Leonis XIII. eadem fere intercedit relatio atque inter *canones* et *capita de doctrina Concilii Tridentini* et *Concilii Vaticani*. Unus seminavit, alter rigavit, atque ita Deus Ecclesiae suae dedit incrementum. De disciplina quoque ecclesiastica Leo XIII. non paucas promulgavit Constitutiones modo ad dirimendas controversias inter viros doctos pendentes, modo ad interpretationem practicam iuris communis, modo ad novas plane normas introducendas. Quae Constitutiones Leonis XIII. ad instar primi tomi Bullarii Benedicti XIV. in unam collectionem authenticam non sunt compilatae, sed tantum prostant in libro, cui titulus praefixus est: “ *Leonis XIII. Pontificis Maximi Acta* „. Quae Acta inde ab ann. 1881. compluribus voluminibus ex typographia Vaticana prodierunt. *Conventiones* a Leone XIII. cum pluribus guberniis civilibus initae in unum volumen sunt redactae atque Romae a. 1893. ex eadem typographia Vaticana divulgatae sub titulo: “ *Conventiones de reb. eccles. inter S. Sed. et civil. potest. initae sub Pontificatu Sanctissimi D. N. Leonis PP. XIII.*

Si attendantur decreta et instructiones SS. Congregationum, quibus Leo XIII. suam approbationem impertitus est, non desunt exempla saltem partialis cuiusdam codificationis. Cfr. v. g. Instr. S. C. Ep. et Reg. 11. Iun. 1880. de summario

(59) Casus conscientiae (de liberalismo), Bruxell. 1884. p. 16. sq. 26. sq.; *Pesch* l. c. n. 520. 524. sq.

ordine iudiciario in causis criminalibus clericorum et nova “ *Decreta generalia de prohibitione et censura librorum* „ Const. “ *Officiorum ac munerum* „ 25. Ian. 1897. promulgata. Quibus codificationibus particularibus nunc accedet codificatio universi iuris canonici iussu Pii X. perficienda, qui suum praedecessorem Pium IX. etiam in proscribendis erroribus nostrae aetatis imitatus est per condemnationem *modernismi* in Encycl. “ *Pascendi* „ et decr. “ *Lamentabili* „ factam.

PARS TERTIA

HISTORIA LITTERARIA SCIENTIAE IURIS ECCLESIASTICI

Praenotiones.

280. “ *Ratio temporis, scribit Zech (1), ad publica studia adhiberi soliti non permittit, ut onnia in academiis debita acuratione tractentur, quae ad solidam iurisprudentiae canonicae notitiam hauriendam pertinere videntur. Privata igitur industria suppleri debet, quod publicae institutioni deest* “. Quae verba licet de universo iure canonico docendo et discendo sint veritati consentanea, tamen maxime conveniunt studio historiae litterariae iuris canonici. Quare ut hac in re saltem necessaria habeatur cognitio, brevis quaedam synopsis historiae litterariae iuris canonici est proponenda, quae ex indicatis scriptoribus studio privato atque profundioribus disquisitionibus expoliatur.

281. *Notio. Historia litteraria iuris can. est expositio originis, progressus, vicissitudinum scientiae sacrorum canonum. Quae scientia imprimis est cognitio subiectiva in viris doctis (2), quam deinde obiective exhibent sive vivae vocis oraculo in praelectionibus scholasticis sive in scriptis libris, ut in aliis similem cognitionem subiectivam sacrorum canonum producant et promoveant. Hinc in historia scientiae canonicae primo loco agendum est de viris doctis, qui sive ut professores sive ut scriptores scientiam iuris ecclesiastici condiderunt aut promoverunt, aut ei forte nocuerunt. Neque parvi faciendae sunt conditiones vitae illorum virorum, cum ex iis non raro ipsorum auctoritas augeatur (3) vel minua-*

(1) Praecognita iur. can. tit. 23. de praecipuis interpretibus iuris canonici (§ 440.).

(2) *Kihn* l. c. p. 43. sq. 521. sq.; *Scheeben*, Handbuch d. k. Dogmatik t. I. p. 1. sq.; *D'Annibale* l. c. P. I. p. 7. sq. de origine, progressu et vicibus theologiae moralis.

(3) *Scherer* l. c. t. I. p. 300.

tur, aut forte ratio progressus vel regressus scientiae canonicae repeti possit.

Praeterea in historia litteraria iuris canonici indicandi sunt *libri singulorum scriptorum* de materia canonica, iudicium de valore atque auctoritate est proferendum, qua methodo quibusve principiis libri isti sint conscripti, et quomodo sese habeant ad libros praecedentes et subsequentes, quae insigniores controversiae forte aliquo libro fuerint excitatae et qua ratione definitae.

Denique de *scholis canonicis* earumque *methodo, forma regiminis, subsidiis litterariis* est inquirendum. Longe igitur a vero aberrat, si quis ex solis *libris scriptis* perfecte cognosci posse existimet, quae fuerit pro diversis temporibus atque regionibus scientiae canonicae conditio (4).

282. Divisio. *Historia* litteraria iuris canonici interdum dividitur secundum *scriptores* in tres epochas scilicet. *Glossatorum* a Gratiano usque ad annum 1350., *commentatorum* usque ad finem saeculi decimi octavi, *systematicorum* usque ad nostram aetatem. Alia divisio repetitur ex diversitate *methodi* in tempus *exaetarum*, quo praevalebat methodus mere *exegetica*, et in tempus *scholasticorum*, quo scriptores canonici potissimum usi sunt methodo *scholastica* et ordine *legali*, et in tempus *criticorum* et *historicorum*, cum canonistae derelicta methodo mere scholastica magis rationem haberent artis criticae et historiae iuris ecclesiastici. Quae divisiones quamvis aliquid veri contineant, tamen non sunt satis accuratae neque chronologiae convenientes. Quare tertia quaedam divisio, quae fit secundum *fontes* sive iuris collectiones, ceteris omnino videtur praeferenda (5). Hinc in historia litteraria scientiae canonicae tres principales epochae distingui possunt scilicet.

I. a fundatione Ecclesiae usque ad Decretum Gratiani (a. 1139.-1150.);

II. a Decreto Gratiani usque ad Concilium Tridentinum (a. 1545.-1563.);

III. a Conc. Tridentino usque ad Concilium Vaticanum et Pium X. (a. 1912.).

283. Notae historicae. Cum ipsa scientia iuris canonici nondum esset perfecte exulta, multo minus canonistae de

(4) *Schulte*, Geschichte d. Quell. t. 1. p. 19. sq.

(5) *Schulte* l. c. p. 3. sq.

historia litteraria iuris canonici agere curarunt. Nihilominus iam ipso medio aevo prima reperiuntur tentamina suppedi-
tandi ordinatam quandam notitiam scriptorum de iure ca-
nonico (6). Qua in re omnes superat *Ioannes Andreae* († a. 1348.),
ita ut merito dicatur pater historiae litterariae iuris cano-
nici. Is in prooemio *Novellae in Decretales Gregorii IX.* cata-
logum quandam exhibet canonistarum, quem postea in suis
additionibus ad *Speculum Durantis* complevit, atque in aliis
quoque suis operibus utiles subministrat notitias de docto-
ribus iuris canonici et libris ab ipsis conscriptis. Vestigia
Ioannis Andreae mox alii scriptores secuti magis ex professo de
eadem materia tractarunt velut *Baldus de Ubaldis* († a. 1400.),
“ *De Commemoratione famosissimorum doctorum in utroque
iure* „, atque *Thomas Diplovataccius* († a. 1541.), “ *De praestan-
tia doctorum* „ maxime vero *Gnido Panzirolus* († a. 1599.), “ *De
claris legum interpretibus* „, ex quo non pauci subsequentes
scriptores suas notitias de canonistis deprompserunt e. g. *Do-
viatius* († a. 1688.) in libro quinto suarum „ *Praenotionum
canonicarum* „.

Quoniam in Italia atque imprimis in universitate Bono-
niensi usque ad saeculum decimum quintum principalis esset
sedes iurisprudentiae sacrae et profanae, maximi momenti est
liber plane singularis suadente et adiuvante *Benedicto XIV.*
conscriptus a *Mauro Sarti*, Abbate S. Gregorii in Urbe († a. 1760.),
“ *De claris Archigymnasii Bononiensis professoribus a sae-
culo XI. usque ad saeculum XIV.* „, Quem librum, cum auctor
morte praeventus esset, complevit atque publicavit *Fattorini*
(† a. 1789.) (7). *Fantuzzi* vero in suo opere, “ *Notizie degli
scrittori Bolognesi* „, 1781.-1794. inde a saeculo 14. idem prae-
stitit atque *Sarti* pro tempore supra indicato. Cum ultimo
saeculo restaurata essent studia legitima et historica, etiam
historiam scientiae canonicae non leviter promovit *Savigny*
sua historia iuris Romani tempore medii aevi. *Schulte* cum
Ecclesiae catholicae esset addictus, suis Institutionibus (8) iuris
ecclesiastici inseruit brevem historiam litterariam iuris cano-
nici, qua melior in aliis libris non existit. Postea *Maassen* histo-

(6) *Schulte* l. c. p. 12. sq.

(7) *Mauro Sarti* et *Mauro Fattorini*, De claris Archigymnasii Bonon.
professoribus a saeculo XI. usque ad saeculum XIV. Iterum edid, *Caesar
Albicinius*, Foroliviensis t. I., Bonon. 1888.

(8) *Lehrbuch d. k. Kirchenr.* ed. 2. (ed. 3. et 4. prodierunt post defe-
ctionem auctoris a fide cath.) p. 36. sq.

riam fontium et scriptorum iuris canonici in Occidente inde a fundatione Ecclesiae usque ad finem medii aevi conscribendam suscepit; at unicum solummodo volumen publicavit scl. usque ad Pseudo-Isidorum. *Schulte* post suam a fide catholica defectionem publici iuris fecit historiam fontium et scriptorum iuris canonici a Gratiano usque ad nostram aetatem (9). Lacuna, quae intercedit inter opus *Schulte* atque primum volumen *Maassen*, scl. a Pseudo-Isidoro usque ad Decretum Gratiani a *Fournier* novo quodam libro videtur esse explenda.

TITULUS XIV.

HISTORIA LITTERARIA SCIENTIAE IURIS ECCLESIASTICI A FUNDATIONE ECCLESIAE USQUE AD DECRETUM GRATIANI (a. 29.-1139./1150.).

§ I. A FUNDATIONE ECCLESIAE USQUE AD PRIMAS COLLECTIONES CANONUM (a. 29.-451.).

284. Inde a fundatione Ecclesiae Christi existit ius ecclesiasticum, quod scientiae canonicae est obiectum. Etenim Christus Dominus constitutionem fundamentalem Ecclesiae suae dedit, quam Apostoli suis quoque ordinationibus compleverunt, neque defuerunt leges disciplinares atque laudabiles consuetudines ad regendos primos christianos. At quemadmodum scientia theologica (10) ab initio religionis christianae non reperitur, ita frustra quis inquireret de scientia canonica aetatis apostolicae. Sane Apostoli supernaturali cognitione instructi revelationem divinam melius perspectam habuerunt quam theologi per scientiam suam acquisitam (11). Porro speciali Spiritus Sancti assistentia adiuti primi Ecclesiae Patres multos conscripserunt *tractatus singulares*, sed *universam scientiam* theologiam via et ratione ne *unus* quidem ex eis *uno opere* est complexus. Inveniuntur primis illis saeculis

(9) Cfr. supra h. tom. I. n. 66.

(10) *Scheeben* l. c. t. I. p. 419. sq.; *Card. Hergenroether Kirsch*, Handb. d. a. K. t. I. p. 203. sq. 242. sq.; *Küh* l. c. p. 43. sq. 517. sq.; *Hurter*, Nomenclator liter. theol. cath. t. I. (Aetas prima) p. 1. sq.; *Bardenhewer*, Patrologie v. v. Dogmatik, Prakt. Theologie et §§ 37. sq.

(11) *Palmieri*, De Rom. Pontifice p. 164. sq.

praeformatores scientiae theologiae veluti Theodoretus saeculo quinto multoque magis S. Ioannes Damascenus saeculo octavo. Nihilominus vere scientifica et systematica complexio universae doctrinae theologiae prima vice facta est a doctolibus scholasticis.

Quod in theologia accidit, idem obtinuit in iure canonico. Certe Apostoli insignem habuerunt scientiam supernaturalem de constitutione Ecclesiae, profecto neque ignorarunt canones a se conditos. Primi quoque Ecclesiae pastores sine dubio probe tenuerunt leges et traditiones Apostolorum, canones a se latos, consuetudines legitime introductas. Quae cognitio primorum Patrum Ecclesiae neque subiective fuit scientifica neque obiective methodo quadam scientifica sive in libris sive in scholis fuit exhibita (12).

§ 2. A PRIMIS COLLECTIONIBUS CANONUM
USQUE AD DECRETUM GRATIANI (a. 451.—1139./1150.).

285. Cum in dies cresceret numerus canonum, initia et rudimenta scientiae canonicae coincidunt cum primis canonum *collectionibus*. Quae cum factae fuerint secundum ordinem quandam *chronologicum*, quo canones illi fuerunt conditi, scientiae iuris canonici imperfectissimam constituunt formam (13).

Quare cum scientiae canonicae sit imprimis canones qualicumque ratione collectos in proprium quandam ordinem logicum et systematicum redigere, inde a saeculo sexto et septimo factus est progressus ad veram scientiam iuris canonici obtinendam. Ex illo enim tempore derelicto ordine mere chronologico canones pro argumenti diversitate secundum ordinem *systematicum* colligi coepti sunt (14).

Postquam perfectior divisio canonum fuit introducta, mox etiam initium et *praeformatio* fit *scientificae tractationis* iuris canonici per *Glossas* sive per breves verborum et sententiarum explicationes ipsi textui additas. Prima Glossarum vestigia occurrunt saeculo nono ad collectionem Hadrianam (15).

(12) Cfr. supra h. tom. I. n. 200. de collect. iur. apost.; *Phillips* l. c. t. III. p. 3. sq.; *Bardenhewer*, Patrologie §§ 42. 46. 75.

(13) Supra h. tom. I. n. 203.; *Maassen* l. c. p. 3. sq.

(14) Supra h. tom. I. n. 165. sq.; *Bardenhewer* l. c. § 106. n. 2.

(15) *Scherer* l. c. t. I. p. 254.; *Schulte* l. c. p. 29. sq.

Praeterea ut disputatio systematica de theologia universa est praeparata per *tractatus singulares*, ita iidem tractatus etiam fuerunt prodromi scientificae commentationis universi iuris canonici ordine systematico factae (16).

Quamvis ita via parata esset, ut propria quaedam scientia iuris canonici oriretur, tamen usque ad saeculum duodecimum ius canonicum *nequaquam* fuit disciplina quaedam a *theologia dogmatica* et *moralis* perfecte *distincta*, sed tanquam "*theologia practica*," sive "*theologia reatrix*," et ab iisdem doctoribus et in iisdem scholis una cum aliis quaestionibus theologicis tradebatur. Qua in re inde a Decreto Gratiani paulatim magna locum habuit immutatio, et *ius canonicum* facta est *disciplina theologica* (17) omnino *distincta* a *theologia scholastica*. Hinc optimo iure nova epocha scientiae iuris canonici a Gratiano inchoatur.

TITULUS XV.

HISTORIA LITTÉRARIA SCIENTIAE IURIS ECCLESIASTICI A DECRETO GRATIANI USQUE AD CONC. TRIDENT. (a. 1139./1150.-1545./1563.).

§ 1. DE ANTIQUIS DECRETISTIS ET DECRETALISTIS

A DECRETO GRATIANI

USQUE AD DECRETALES GREGORII IX. (a. 1139./1150.-1234.).

I. De Glossatoribus Decreti Gratiani sive de antiquis Decretistis.

286. *Gratianus* († c. a. 1158.-1179.) non solum in monasterio SS. Felicis et Naboris exstitit magister, sed maxime suo

(16) Cfr. v. g. *Cyprian.* († a. 258.), De catholicae Eccl. unitate; *S. Ambros.* († a. 395.), De officiis ministrorum; *S. Gregor. M.* († a. 604.), Liber regulae pastoralis; *S. Isidor.* († a. 636.), De ecclesiasticis officiis; *Theodorus Cantuar.* († a. 690.), Poenitentiale (falso ei tributum); *S. Chrodegangus* († a. 766.), Regula; *Amalarius* († a. 837.-851.), De officiis ecclesiasticis; *Hincmarus Remensis* († a. 882.), De divortio Lotharii; *Regino Pruniens.* († a. 915.), De synodalibus causis et disciplinis ecclesiasticis; *Burchardus Wormat.* († a. 1025.), Decretum. Cfr. quoque *Hurter*, Nomenclator (ed. 2.) t. IV. p. 51. sq.

(17) *Schulle*, Lehrb. p. 37.; "*Inter ceteras theologiae disciplinas Sanctorum Palrum decreta et Conciliorum statuta non postremum occupant locum.... ordine placitandi ex legibus translato*." Ita legitur in praef. Summae sacc. 12., quam publici iuris fecit *Maasscu.* "*Examini theologico relinquimus*" i. c. quaestionem quandam de eucharistia, dicit *Sicardus Cremonensis* († a. 1215.). Cfr. *Schulle*, Geschichte d. Quell. t. I. p. 30.

Decreto, quod vera fuit canonum collectio simulque liber scholasticus, factus est doctor plane singularis. Multos enim nactus est discipulos atque imitatores suae methodi sui que Decreti commentatores (18). Quare quemadmodum *Eusebius* dicitur pater historiographiae ecclesiasticae, ita *Gratianus* merito appellatur pater scientiae canonicae. Cfr. supra h. tom. I. n. 231. sq.

287. *Paucapalea* (Pocapaglia) (19), clericus et magister iuris ecclesiastici in civitate Bononiensi, fuit discipulus Gratiani. Qui cum in Decreto Gratiani immutando et formando suas partes habuerit, ut supra est expositum, atque *Summan* conscripserit iam a Rolando commemoratam (20), certe compluribus annis ante annum 1150., sed post ann. 1139. vel potius 1144., nisi quis res parum credibiles fingere velit, Glossas et commentarios Decreti Gratiani composuit (21).

Proximum post Paucapaleam locum tenet *Rolandus Bandinelli*, qui “ *Bononiae resedit in cathedra magistrali in divina pagina* „ (22) (theologia), antequam a. 1150. Cardinalis creatus et tandem a. 1159. sub nomine Alexandri III. Rom. Pontifex electus est († a. 1181.). Cui Rolando optimo iure adscribitur *Stroma* sive (pro arbitraria parumque accurata immutatione *Thauer*, recentissimi editoris) “ *Summa* „ quaedam Decreti Gratiani, quam is, antequam ad dignitatem cardinalitiam promoveretur, imo iam ante a. 1148. videtur composuisse (23). Neque concludentes afferuntur rationes, ob quas idem *Rolandus* suam *Summam* sententiarum (24) theologicarum dicitur post adeptum Cardinalatum publicasse (25).

Omnibonus (Ognibene), discipulus Gratiani et collega Ro-

(18) *Schulte*, Lehrb. p. 39. sq.; *Sarti*, De claris archigymnasii Bonon. professoribus t. I. P. I. p. 259. sq.; *Phillips*, Kirchenrecht t. IV. p. 162. sq.; *Hurler*, Nomenclator (ed. 2.) t. IV. p. 115. sq.

(19) *Sarti* l. c. t. I. P. I. p. 281. sq.; *Maassen*, Paucapalea, Wien 1859.; *Schulte*, Geschichte d. Quell. t. I. p. 109. sq.; *Schulte*, D. Summa d. Paucapalea, Giessen 1890., Einl. p. 7. sq.

(20) D. Summa Magistri Rolandi (Stroma) ed. *Thauer* p. 165.

(21) *Schulte*, D. Summa d. Paucapalea l. c.; *Hurter* l. c. p. 116. sq.

(22) Ita testatur *Huguccio* ad c. 31. C. II. q. 6. Cfr. *Schulte*, Geschichte d. Quell. t. I. p. 114. sq.

(23) *Thauer* l. c. Einleitg. p. 31. sq.; *Schulte*, D. Summa d. Paucapalea, Einleit. p. 10.; *Hurter* l. c. p. 122. sq.

(24) *Gietl*, Rolandus.... Sentenzen, Freiburg 1891.

(25) *Ehrle* (contra *Gietl*) in Act. theol. Oenip. t. XVI. p. 148. sq.

landi, iam ante a. 1153. fuit magister in civitate Bononiensi (26) et a. 1157. ad sedem episcopalem Veronensem promotus a. 1185. diem supremum obiit. Omnibouo haud sine fundamento tribuitur "*Abbreuiatio Decreti* „ circa ann. 1156. forte publicata (27).

Antiquissimis Glossatoribus adnumerandus est *Rufinus* (28), Francus (occidentalis vel orientalis?), qui studiis iuridicis Bononiae peractis videtur fuisse Parisiis magister iuris canonici. Praeter Glossas etiam *Summam* Decreti publicavit. Id, quod factum est certe ante ann. 1171., forte circa an. 1165., cum Ioannes Faventinus iam multum usus sit Summa Rufini (29).

Post Rufinum speciali mentione dignus est *Stephanus Tornacensis* (30). Qui Glossator (31) natus est inter a. 1128.-1135. in civitate Aurelianensi in Gallia. Bononiae studiis legitimis et canonicis operam dedit, postquam Parisiis philosophiae et theologiae studuit. In Ecclesia S. Evurtii civitatis Aurelianensis primum canonicus saecularis et cantor, deinde canonicus regularis et Abbas S. Evurtii (a. 1167.) et S. Genovefae (a. 1177.) factus est. Denique a. 1191. Episcopus Tornacensis electus a. 1203. ex hac vita decessit. Dubium existere non potest, quin Stephanus Summam in tres partes Decreti Gratiani conscripserit. Quae publicatio facta est, posteaquam inter canonicos regulares iam fuit receptus, et forte non

(26) Decretal. Eugenii III. (a. 1145.-1153.) ad Mag. Omnibon. in cap. 3. de iuram. cal. I. 35. (34.) compl. l.; cap. 2. X. de iuram. cal. II. 7.; Hurter l. c. p. 123.

(27) *Schulte*, Geschichte d. Quell. l. c. p. 119. sq.; Archiv f. k. K. t. 70. p. 170. sq.

(28) *Schulte* l. c. p. 121. sq.

(29) *L. Tanon* in Nouvelle Revue historique de droit français et étranger a. 1888. p. 822.; *Schulte*, D. Summa d. Ruf. p. 7. Qui auctor postea, non genuinam *Rufini* Summam, sed plagiatis et excerptis corruptam insuper ex iudicio virorum doctorum parum accurate publicavit. Cfr. Arch. f. k. K. t. 66. p. 460. t. 67. p. 361. Longe optimam editionem nunc publici iuris fecit: *Singer*, Die Summa Decretorum d. Magister Rolandus, Paderbornae 1902. Cfr. Arch. f. k. K. t. 69. p. 369. sq. t. 73. p. 3. sq.; Hurter l. c. p. 117. sq.

(30) Circa idem fere tempus duo alii exstiterunt Glossatores Decreti scl. *Albertus Beneventanus*, qui postea Romanus Pontifex electus (a. 1187.) Gregorii VIII. nomen assumpsit († a. 1187.). Praeterea commemorandus est *Gandulphus*, de cuius vita nihil reperitur traditum. Cfr. *Schulte*, Geschichte d. Quell. l. c. p. 130. sq.; *Phillips* l. c. p. 175.; Hurter l. c. p. 157.

(31) *Schulte* l. c. p. 133. sq., D. Summa d. Stepan. Torn., Einl. p. 22. sq. p. 3. sq.

multum post a. 1159. et ante a. 1169.–1671. Nam Summam Stephani iam exscribunt auctor Summae Coloniensis et Ioannes Faventinus.

Ioannes Faventinus (32), qui saltem ab a. 1160. usque ad annum mortis (1190.) fuerat Episcopus Faventinus, inter Glossatores Decreti principem occupat locum. Is enim praesertim ex Summis Ruffini et Stephani Tornacensis (33) tanta dexterritate novam *Summam* c. a. 1171. compilavit, ut duo antiquiores illi Glossatores in praxi fere oblivioni darentur. Post istam Summam Ioannes Faventinus etiam *Glossam Decreti* composuit c. a. 1179.–1187.

288. Quodsi Glossatores hucusque inde a Gratiano commemorati celeberrimae novae legislationis Romanorum Pontificum praesertim Alexandri III. vix ullam rationem habuerunt (34), id insigni modo factum est a *Sinone de Bisiniano* in *Summa* intra a. 1174.–1179. composita (35).

Vestigia Simonis secutus est *Sicardus Cremonensis* (36), qui absolutis studiis in universitate Bononiensi Moguntiae in schola Capituli litteras docuit. Post acceptos ordines sacros electus est Episcopus Cremonae, patriae suae (a. 1185.), atque compluribus officiis et legationibus ecclesiasticis expletis a. 1215. mortuus est. Ex libris a Sicardo conscriptis solummodo ipsius *Summa* spectat ad ius canonicum. Quae Summa certe post Concilium Lateranense III. (a. 1179.) et vivente Alexandro III. († a. 1181.), et ut videtur, Moguntiae (37) fuit exarata. Sicardus in Summa ista, derelicta methodo mere exegetica singula capita Decreti explicandi, novam divisionem singularum partium Decreti tentavit singulasque materias potius ordine quodam systematico proposuit. Qua re primum dedit exemplum Institutionum canonicarum, quae proprio ordine fuerunt digestae, sed imitatores sui studii immediatos nactus non est.

(32) *Sarti* l. c. p. 288. sq.; *Schulle*, Geschichte l. c. p. 137. sq.

(33) « *Incipit praefatio in decreto magistri G. a magistro Io. Faventino canonice et dilucide edita ex duabus summis Ruffini et Stephani utili artificiosoque (modo) composita* », ita habet inscriptio codicis, ut refert *Schulle*, D. Summa d. Steph., Einl. p. 7.; *Hurler* l. c. p. 159.

(34) *Schulle*, Geschichte d. Quell. l. c. p. 138.

(35) *Schulle* l. c. p. 140. sq., ubi tamen effectum huius methodi evidenter exaggerat; *Hurler* l. c. p. 157.

(36) *Sarti* l. c. p. 284.; *Schulle* l. c. p. 143. sq.

(37) *Phillips* l. c. p. 169.; *Schulle* l. c. p. 144.

289. Omissis aliis Glossatoribus (38) minore celebritate praeditis reliquum est, ut tres potissimum Decretistae coronidis loco adducantur, scilicet *Bazianus* (39), qui Bononiae natus ibidem quoque studiis iuridicis operam navavit. In universitate Bononiensi cum laicus esset, imprimis ius civile docuit, et deinde clericus factus ius canonicum professus est. Quare summam laudem obtinuit, quod *primus* fuerit “*Doctor utriusque iuris* „. Post adeptum canonicatum ecclesiae cathedralis Bononiensis in patria sua a. 1197. mortuus est. Qui auctor scripsit *Apparatum* voluminosum in Decretum tempore Lucii III. (a. 1181.–1185.) vel Urbani III. (a. 1185.–1187.) iam finitum (40).

Inter Glossatores antiquos Decreti facile princeps est *Huguccio*, Pisanus (41). Post absoluta studia iuridica in civitate Bononiensi ibidem pariter ius canonicum docuit, donec a. 1190. Episcopus Ferrariensis nominatus est. Quo in munere obeundo ab Innocentio III., suo quondam in universitate Bononiensi discipulo, delegationibus (42) et Decretalibus transmissis (43) honoratus est atque tandem a. 1210. ex hac vita migravit.

Summa ab Huguccione certe post a. 1185., et ut videtur, ante a. 1187. finita, exceptis commentariis in quatuor Causas XXIII.–XXVI. per Ioannem de Deo circa a. 1250. postea insertis, omnes alias Summas in Decretum Gratiani tum ambitu materiae tum completa et aequali uniuscuiusque partis Decreti expositione et insigni disputandi genere longe superat. Interdum vero Huguccio non obstante sua fide catholica agit doctorem nimis “*resolutum* „ atque “*praecisum* „ (44).

(38) Cfr. de Cardinali Gratiano, de Cardinali Laborante (Laborans), de Ioanne Hispano, Melendo, Silvestro, Ursone, Anselmo, Petro Hispano: *Durantis*, Speculum, Add. Ioann. Andreae ad proem.; *Sarti* l. c. p. 286. sq. 300. sq.; *Phillips* l. c. p. 170. sq.; *Schulte* l. c. p. 145. sq.

(39) *Sarti* l. c. p. 292. sq.; *Schulte* l. c. p. 154. sq. *Hurter* l. c. p. 159 sq.

(40) *Schulle* l. c. p. 155.

(41) *Sarti* l. c. p. 296. sq.; *Schulte* l. c. p. 156. sq.; *Hurter* l. c. p. 193. sq.

(42) Cap. 34. X. de off. et p. i. d. l. 29. = Decretal. Innoc. III. sacr. a. 1201.

(43) Cap. 7. X. de divort. IV. 19. = Decretal. Innoc. III. scr. a. 1199., ubi praesertim principium text. orig. est consulendum; cap. 8. X. de celebr. III. 41. = Decretal. Innoc. III. scr. a. 1209., quam Decretalem *Schulte* l. c. p. 157. propter antiquatum disserendi modum de quatuor elementis et humoribus qui *post* aliam solidam expositionem subiungitur, verbis non congruis exagitat.

(44) *Schulte* l. c. p. 164. sq., ubi tamen non pauca ex novis suis praedictis opinionibus affert.

Ultimo tandem loco *Ioannes Teutonicus* (45) cum Glossam ordinariam in Decretum Gratiani composuerit, inter Glossatores specialem mentionem meretur. *Ioannes Semeca* (Zemeke), natione Germanus, Bononiae scientiae legitimae atque canonicae operam dedit et in iure civili *Azone* usus est magistro. Verisimile quoque est, quod ibidem etiam ius canonicum docuerit. In eadem civitate ante Concilium Lateranense IV. (a. 1215.) suum *Apparatum* ad Decretum brevem atque practicum composuerat, qui tanquam Glossa ordinaria merito receptus est (46). Quare parum probabile est, quod demum a. 1269. vel 1275. mortuus sit, sed potius post adeptam Praeposituram Halberstadiensem c. a. 1240. vel 1245. videtur ex hac vita migrasse (47).

II. De antiquis Decretalists.

290. Quemadmodum *Bernardus Papiensis* (48) primae compilationis Extravagantium factus est auctor, ita etiam inter commentatores novi iuris Decretalium primum occupat locum. Natus est Bernardus Papiae atque tum iuri canonico tum theologiae Bononiae studuit, ubi Gandulpho in studio theologico, Huguccione vero et Ioanne (Hispano) in iure canonico usus est magistris. Munus quoque docendi Bononiae Bernardus videtur obiisse. Etiam in Curia Romana versatus est, ubi a iuris negotiis non fuit alienus. Postquam usque ad ann. 1191. fuit Praepositus Capituli Papiensis, factus est Episcopus Faventinus et successor Ioannis Faventini. Tandem a. 1198. unanimiter electus vel rectius, ut monuit Innocentius III., postulatus est Episcopus Papiensis et a. 1213. mortuus est.

Inter opera canonica *Bernardi* tempore primum est *Summa de matrimonio* (49). Quam brevem atque exiguam dissertationem ante Concilium Lateranense III. (a. 1179.) secuta est

(45) *Sarti* l. c. p. 326. sq.; *Schulte* l. c. p. 172.; *Hurter* l. c. p. 291. sq.

(46) *Schulte* l. c. p. 173. sq.; *Laurin*, Introductio in corp. iur. ean. p. 24. 54.

(47) Propter connexionem materiae hoc loco alii quidam commentatores antiquiores Decreti commemorandi sunt v. g. *Guido de Baysio*, qui inter a. 1296-1302. *Rosarinus* Decreti exaravit; *Ioannes de Turvecermata* († a. 1468.). Cfr. *Scherer* l. c. p. 256.; *Laurin* l. c. p. 55. sq.

(48) *Sarti* l. c. p. 302. sq.; *Bernardi Pap.*, Episc. Favent., *Summa Decretal.* ed. *Laspeyres*, Praef. p. 55. sq.; *Schulte* l. c. p. 175. sq.; *Hurter* l. c. p. 191. sq.

(49) *Bernard. Pap.* l. c. Praef. p. 57. sq. et p. 287.-306.

Summa de electiōe, in qua ad instar tractatus singularis breviter ius constitutum de electione exponit (50). Post publicatam inter a. 1187. et 1191. *compilationem primam* Bernardus cum iam esset Episcopus Faventinus, inter a. 1191.-1198. insignem *Summam Decretalium* (51) “*elimavit* „ atque publicavit. Denique tertium opus canonicum scilicet *Casus Decretalium* iam in civitate Faventina inchoatum demum Papiae absolvit a. 1198-1213. (52).

291. Ex Glossatoribus primae compilationis praeterea recensendus est *Richardus Anglicus* (53), qui, ut ipsum cognomen insinuat, ex Anglia fuit oriundus. Cum Bononiae studiis vacaret, tanta oppressus est paupertate, ut *pauper* cognominaretur. Saeculo duodecimo exeunte et ineunte saeculo decimo tertio Bononiae ius canonicum docuit. In patriam reversus a. 1205. Decani Salisburiensis dignitatem obtinuit et successive ad tres sedes episcopales inde ab a. 1214. promotus est. Obiit a. 1237. Richardus praeter *Glossam* in compilationem primam composuit: *Ordinem iudicarium*, *Distinctiones* super *Decretis*, *Casus Decretalium* (54).

Gilbertus, *Alanus*, *Ioannes Galensis* (55), tres canonistae Anglici, singularem merentur mentionem, quod ipsi et *collectiones Decretalium* composuerunt et suis *Glossis* collectiones Decretalium a se vel ab aliis factas illustrarunt (56).

292. Ex quatuor Decretalistis *Hispanicis* (57), qui ineunte saeculo decimo tertio Bononiae floruerunt, imprimis eminet *Bernardus Conpostellanus*, cognomento *antiquus* (58). Is fuit auctor *collectionis* Decretalium, “*quam Bononiae studentes Romanam compilationem aliquanto tempore vocaverunt* „ *Laurentius Hispanus*, qui Bononiae fuerat magister Tancredi (59), praeter amplum *Apparatum* in *Decretum* composuit prolixum *Apparatum* in *compilationem primam*. Qui *Apparatus* circiter intra a. 1208.-1212. videntur esse compositi.

(50) *Bernard. Pap.* l. c. Praef. p. 59. sq. et p. 307-323.; *Schulle* l. c. p. 178. sq.

(51) *Bernard. Pap.* l. c. Praef. p. 61. sq. p. 1.-283.; *Schulle* l. c. p. 179. sq.

(52) *Bernard. Pap.* l. c. Praef. p. 62. et p. 327. sq.; *Schulle* l. c. p. 182.

(53) *Sarti* l. c. p. 310. sq.; *Schulle* l. c. p. 183. sq.

(54) *Schulle* l. c. p. 184. sq.

(55) *Schulle* l. c. p. 187. sq.

(56) *Laurin* l. c. p. 107. sq.

(57) *Schulle*, *Geschichte d. Quell.* t. I. p. 190. sq.

(58) *Laurin* l. c. p. 105. 111.; *Schulle* l. c. p. 190. 85.

(59) *Tancredi* Bononiensis ordo iudiciarius ed. *Bergmann* p. 312.

Vincentius Hispanus Bononiae iuri civili atque canonico certe ante a. 1212. studuit et de iure quidem Romano praelectiones Accursii audivit (60). Postea ipse quoque ius canonicum in eadem civitate docuit, et deinde Episcopus in Hispania factus est atque a. 1244. obiit. Quo tempore, ut ipse fatetur, *Glossas* sive *Apparatum* in *Decretales Gregorii IX.* conscripsit. Inter alia ipsius opera canonica maxime eminent duo *Apparatus* maioris voluminis, unus in compilationem primam, alter in compilationem tertiam, ut videtur, inter a. 1210. et 1217. compositi.

Petrus Hispanus, qui primis tribus decenniis saeculi decimi tertii videtur Bononiae et Patavii docuisse ius canonicum, praeter *Decretum* etiam *compilationem* primam *glossavit*.

Damasus (61), cui a *Durantis* ad significandam patriam cognomen “ *Boenius* „ datur, circa a. 1210.–1215. Bononiae iam fuit magister iuris canonici. Praeter *Summam Decretalium* minoris momenti utiles atque practicas composuit *Quaestiones*, quibus adnumeranda sunt: *Summa de ordine iudiciario* (62) clare, succincte apteque iam ante Concilium Lateranense IV. (a. 1215.) conscripta, atque 125 *Brocarda* sive collectio regularum canonicarum (63).

293. Quemadmodum *Huguccio* reliquos Decretistas antiquos post Gratianum superat, ita inter antiquos Decretalistas post Bernardum Papiensem omnium princeps est *Taucredus* (64). Praeclarissimus ille canonista natus est Bononiae circa a. 1185. et in sua patria scientiae legitimae et canonicae operam dedit. In studio iuris canonici Ioanne Galensi et Vincentio Hispano usus est magistris, at de iure Romano audivit “ *Dominum Azonem* „ (65). Certe iam ante 14. Sept. 1214. Bononiae fuit “ *Decretorum magister* „. Postquam circa a. 1216. fuit “ *caonicus Bononiensis* „, ab Honorio III. ad archidiaconi di-

(60) *Sarti* l. c. p. 333.

(61) *Durantis*, *Speculum*, Prooem. n. 14. et *Ioann. Andr.* in Add. m. ad Prooem.; *Sarti* l. c. p. 306.; *Laspeyres* l. c. Praef. p. 40. sq.; *Schulte* l. c. p. 194. sq.

(62) *Agathon Wunderlich*, *Aneedota*, quae ad processum civil. spectant, Gotting. 1841.

(63) Cfr. de Gratia: *Bergmann*, *Pillii*, *Tancredi*, *Gratiae libri de ordine iudiciario*, Gotting. 1842., Praef. p. 17. sq.; *Schulte* l. c. p. 197. sq.; cfr. de Lanfranco: *Sarti* l. c. p. 336; *Schulte* l. c. p. 198. sq.; *Hurter* l. c. p. 229.

(64) *Sarti* l. c. t. II. p. 28. sq.; *Bergmann* l. c. p. III. sq.; *Schulte* l. c. p. 199. sq.; *Hurter* l. c. p. 230. sq.

(65) *Bergmann* l. c. p. 175.

gnitatem in ecclesia cathedrali Bononiensi a. 1226. est promotus. Quibus in officiis et suis civibus et Romanis Pontificibus fuit acceptissimus atque inter a. 1234. et 1236. vita functus est.

Ex operibus canonicis Tancredi tempore primum est *Summa de matrimonio* (66) inter 1210. et 1214. compilata. Quae licet non sit prolixa, tamen insignis est tractatus singularis de matrimonio et usque ad nostram aetatem praesertim quoad historiam iuris matrimonialis magna cum utilitate consulitur.

Proximum locum post Summam de matrimonio occupat *Ordo iudiciarius*, quem Tancredus post Concilium Lateranense IV. (a. 1215.) finivit. Qui *Ordo iudiciarius*, quamvis primus tractatus sui generis non sit, tamen perspicua dicendi ratione atque completo et insigni disputandi modo similes tractatus praecedentes longe superat. Quare optimo iure multum est divulgatus et subsequentium ordinum iudicialium existit fundamentum. Nostra quoque aetate iste tractatus in disputationibus de ordine iudiciario Ecclesiae impune negligi non potest (67).

Denique postquam Tancredus iam ante Concilium Lateranense IV. (a. 1215.) *Apparatus in compil. prim. et secund.* composuit, ipse post Conc. Lateranense IV, forte circa ann. 1217. etiam *Apparatum in compil. tertiam* publici iuris fecit (68).

Ultimo loco commemorandus est unicus *Glossator compilationis quintae* scilicet *Iacobus de Albenga* (69). Qui cum iam a. 1210. per adolescentulum advocati officium exercuisset, Bononiae docuit ius canonicum et ibidem Henricum de Segusia, qui postea fuit Cardinalis Hostiensis, et Petrum de Sampsona habuit discipulos. Praepositus Albigensis factus demum a. 1258. Episcopus civitatis Faventinae electus est. Quo in officio gerendo a. 1274. diem supremum obiit (70).

(66) Optimam editionem curavit *Agathon Wunderlich*, Tancredi Summa de matrimonio, Gottingae 1841.

(67) *Bergmann* l. c. p. 89.-314.

(68) *Schulle* l. c. p. 204. sq.

(69) *Durantis*, Speculum, Prooem. n. 14. et *Ioann. Andreae* in add. m.; *Schulle* l. c. p. 205. sq.

(70) Cfr. de aliis canonistis versus finem saeculi 12. vel incunte saeculo 13.: *Sarti* l. c. t. I. p. 307. 318. sq.; *Schulle* l. c. p. 207. sq. 211.; *Hurter* l. c. p. 230. sq.

§ 2. DE DECRETALISTIS A S. RAYMUNDO
USQUE AD IOANNEM ANDREAE (a. 1334–1348.).

294. *S. Raymundus* (71) *de Pennaforte* seriem canonistarum huius aetatis classicae iuris Decretalium sacraeque iurisprudentiae merito auspicatur. Quamvis enim pro more aliorum Decretalistarum commentarios in Decretales Gregorii IX. non conscripserit, tamen tanquam compilator collectionis ex mandato Gregorii IX. factae atque optimus interpret codicis Gregoriani in sua *Summa* (72) mox post annum 1234. publicata recte primo loco recensetur. Natus est S. Raymundus circa a. 1180. in Pennaforte prope Barcinonem. Postquam Bononiae circa a. 1211. utrique iuri studuit doctorque Decretorum ibidem est constitutus, anno 1222. ordini S. Dominici nomen dedit. Gregorius IX. ipsum Romam evocavit eique collectionis authenticae praeparandae curam commisit. Post publicatam illam collectionem (a. 1234.) in Hispaniam reversus a. 1238. sui ordinis generalis Magister electus est. Quod officium duobus annis post deposuit et denuo ex Urbe in Hispaniam reversus a. 1275. mortuus est.

295. Post publicatam collectionem authenticam Gregorii IX. *Innocentius Hispanus* et *Guilelmus Naso* et *Philippus* primi fuerunt (73), qui illam compilationem *Glossis* atque *Lecturis* explicarent. “*Summam super titulis Decretalium*”, Gregorii IX. *Ioannes Hispanus* (74) *de Petesella* circa a. 1235. vel 1236. primus aggressus est componere. Qui Glossator Bononiae (a. 1223.) et Patavii (a. 1229.) ut doctor iuris canonici occurrit (75).

Cum *Summa* Ioannis Hispani mox oblivioni daretur, *Sum-*

(71) *Sarti* l. c. t. I. p. 331.; *Phillips* l. c. p. 257. sq.; *Quétif et Echard*, Scriptor. ord. Praed. t. I. p. 106.; *Shulle* l. c. t. II. p. 408. sq.; *Hurter* l. c. p. 283. sq.

(72) Quae *Summa* in multis manuscriptis reperitur, et post inventam artem typographicam diversae factae sunt editiones. Cfr. *Schulle* l. c. p. 410. sq.

(73) *Sarti* l. c. I. 342.; *Schulle* l. c. p. 78. sq. Hoc loco *Roffredus Epiphanius* quamvis Decretalistas proprie dictis non sit adnumerandus, tamen singulari mentione dignus est († post a. 1243.). Cfr. *Sarti* l. c. t. I. p. 118. *Schulle* l. c. p. 75. sq.

(74) *Sarti* l. c. t. I. p. 351.; *Schulle* l. c. p. 81. sq.

(75) Cfr. de Bartholomaeo Brixisiensi († a. 1258.?): *Sarti* l. c. p. 329. sq.; *Schulle* l. c. p. 83. sq.

ma super rubricis Decretalium composita inter a. 1241–1245. a *Goffredo de Trano*, discipulo Azonis, professore iuris canonici in universitate Bononiensi, Subdiacono et Capellano Gregorii IX., Auditore contradictarum tandemque a. 1245. Cardinali († a. 1245.), summo plausu in scholis et in praxi recepta et post inventam artem typographicam inde ab a. 1487. etiam typis divulgata est (76).

296. Primum exemplum scriptoris canonici in cathedra S. Petri (77) constituti est *Innocentius IV.* (a. 1243–1254.). Qui ante suam electionem dicebatur *Sinibaldus Fliscus* sive de Flisco sive Fieschi atque ex nobili familia Genuensi ortus est. Bononiae studuit iuri canonico et civili et per aliquod tempus etiam officio docendi functus est. Postquam canonicus Parmensis factus est, Romanam Curiam adiit, ubi iam a. 1226. fuit Auditor contradictarum, dein ad dignitatem Episcopi Albigensis et Vicecancellarii Romanae Ecclesiae promotus a. 1227. Cardinalis creatus est. Ut doctor privatus mox post Concilium Lugdunense I. (a. 1245.) apparatus in quinque libros Decretalium Gregorii IX. vere insignem publicavit postea etiam typis impressum.

Ioannes de Deo (78), natus in Silves, provinciae Algabriae in Lusitania, post absoluta Bononiae studia iuridica in eadem civitate factus est professor iuris canonici atque iam a. 1247. et 1253. “ *Ioanni de Deo, Decretorum doctori, canonico Ulixbonensi, Bononiae commoranti* „ controversiarum decisiones committuntur vel delegantur. Non paucas reliquit elucubrationes canonicas quae sua vi et auctoritate non caruerunt velut *Liber pastoralis, Liber dispensationum, Summa super certis casibus Decretalium, Liber indicum, Notabilia, Liber distinctionum, Commentum super novellis Decretalibus* (i. e. Innocentii IV.), *Liber quaestionum, Cavillationes, Continuationes et complementum Hugnecionis.*

Petrus de Sampson (79), ex Gallia (Province) oriundus, Bononiae Iacobi de Albenga fuit discipulus. Postea ipse ibidem magister factus (a. 1230–1260.) Abbatem antiquum habuit discipulum. Praeter *Summam Decretalium* scripsit *Distinctiones* et *Lecturam* in Decretales *Innocentii IV.*

(76) *Sarti* l. c. p. 341. sq.; *Schulte* l. c. p. 88. sq.

(77) *Bened. XIV.*, De synod. dioec., Praef. i. f.; *Hurter* l. c. p. 287. sq.; *Schulte* l. c. p. 92.

(78) *Sarti* l. c. p. 349; *Schulte* l. c. p. 94. sq.

(79) *Sarti* l. c. p. 366. sq.; *Schulte* l. c. p. 108. sq.

Bernardus Parmensis de Botone (80) cum auctor factus esset *Glossae ordinariae* in Decretales Gregorii IX., singulari mentione dignus est. Bononiae post absoluta studia magisterium exercuit. Quo tempore *Durantis* (81) ipsius praelectiones audivit. Canonicatum quoque ecclesiae cathedralis Bononiensis obtinuit et Capellanus Papae factus graves causas dirimendas suscepit. “*Bernardus Bottonus, Cancellarius studii Bononiensis* „ ut in suo epitaphio nominatur, a. 1266. mortuus est. Praeter apparatus ad Decretales Gregorii IX., qui propter suum valorem ut Glossa ordinaria receptus est, Bernardi opera canonica sunt: *Casus longi* (82) et *Summa* super titulis Decretalium.

297. Post Innocentium IV. alios Decretalistas hucusque recensitos longe superat *Henricus de Segusia* sive *Hostiensis* (83), qui haud sine fundamento per eminentiam dicebatur “*utriusque iuris doctor* „ vel “*monarchia iuris* „. Natus est Hostiensis Susae. De iure Romano Bononiae Iacobi Balduini († a. 1235.) et Homoboni praelectiones audivit, cum in iure canonico Iacobo de Albenga usus sit magistro. Finitis studiis fortasse Bononiae ius canonicum docuit; at certe Parisiis Decretales explicavit. Postquam minoribus officiis ecclesiasticis prae-fuit, tandem Episcopus Sistaricensis (Sisteron) (a. 1244.) atque Archiepiscopus Ebredunensis (a. 1250.) et Cardinalis (a. 1261.) creatus est († a. 1271.). Ex operibus canonicis certo ab Hostiensi conscriptis recensenda sunt: *Summa* super titulis Decretalium (in officio minori incepta et incendio amissa, in maiori officio Archiepiscopi finita); *Lectura* in Decretales *Gregorii IX.* (Parisiis ad instantiam suorum auditorum inchoata et nonnisi post a. 1268. perfecte elimata) (84); *Lectura* in Decretales *Innocentii IV.*

Abbas antiquus (85) dicitur Decretalista saeculi decimi tertii, ut distinguatur ab Abbate Siculo sive Panormitano saeculi decimi quinti. Ex Gallia videtur esse oriundus atque

(80) *Sarti* l. e. p. 355. sq.; *Schulle* l. e. p. 114. sq.

(81) *Durantis*, *Speul. iud.* l. III. de inquis. § 1. n. 13.

(82) Cfr. de edit. impressis: *Schulle* l. e. p. 115.

(83) *Sarti* l. e. p. 360. sq.; *Phillips* l. e. p. 325. sq.; *Doujal* l. e. lib. V. cap. 5. § 2.; *Schulle* l. e. p. 123. sq.; *Hurler* l. e. p. 289. sq.

(84) Quae *Lectura* in D. Greg. et praesertim *Summa*, quae etiam aurea dicitur, postea typis sunt impressae; v. g. *Summa* iterum prodiit Venet. 1574. et Colon. 1612. Cfr. *Schulle* l. e. p. 125.

(85) *Sarti* l. e. p. 367.; *Schulle* l. e. p. 130. sq.

Bononiae, ubi Petrum de Sampsona audivit, etiam ius canonicum probabiliter docuit. Ipsius *Lectura* sive apparatus ad *Decretales Gregorii IX.* inter a. 1261. et 1275. composita frequenter a subsequentibus canonistis est adhibita. Praeterea Abbas antiquus est auctor *Lecturae* in *Const. Innocentii IV.* et *Distinctionum* (86).

Aegidius de Fuscarariis (87) ex nobili familia Bononiensi ortus, in sua patria iuri studuit et a. 1252. magister doctorum recensetur. Cum Aegidius tempore sui magisterii esset laicus et matrimonio iunctus, primum est exemplum, quod laicus atque adeo uxoratus Bononiae docuerit ius canonicum. Mortuus est a. 1289. "*Ordo iudiciarius* „ (88) ab Aegidio conscriptus suo valore non caret, atque ipsius *Lecturae* in *Decretales Ioannes Andreae* egregie defendit contra reprehensiones *Durantis* (89) qui ceteroquin multa ex Aegidio in suum *Speculum iudiciale* deprompsit. *Quaestiones* quoque et *Consilia* Aegidio tribuuntur.

298. *Guilelmus Durantis* (90), qui a celeberrimo suo opere "*Speculum iudiciale* „ *Speculator* cognominatur, natus est c. a. 1237. ex nobilibus parentibus Prodiomissione (Puymisson) prope civitatem Biterricensem in Gallia. *Durantis* absolvit studia iuridica in universitate Bononiensi; de ipsius lectoratu in eadem civitate nonnisi coniecturis constat. Certe "*Mutinae... in Decretis legebat* „. At mox in Curia Romani Pontificis varia officia ecclesiastica v. g. Auditoris causarum S. Palatii suscipiens derelicta cathedra magistrali potius fori negotia administrabat. Cum Concilium Lugdunense II. (a. 1274.) celebraretur, *Durantis* schemata canonum conciliarium compilare iussus est. Post alia gravissima munera ecclesiastica a. 1286. Episcopus Mimatensis (Mende) electus est, et refutatis aliis dignitatibus Romae a. 1296. diem supremum obiit. Omisso libro *Durantis*, qui ab ipso nominatur "*Rationale divinarum officiorum* „, et magis ad liturgiam spectat, praesertim (91) commemorandum est *Speculum iudiciale*, cuius operis vere

(86) *Laurii* l. c. p. 159. (de summariis).

(87) *Sarti* l. c. p. 368. sq.; *Schulte* l. c.

(88) Typis impressus est Bononiae a. 1572.

(89) *Durantis*, *Specul.* l. l. partic. 1. de dispensation. § 5. n. 7. cum addit. a *Ioann. Andreae*; *Hurter* l. c. p. 356.

(90) *Doujat* l. c. l. V. cap. 5. § 5.; *Sarti* l. c. p. 386. sq.; *Schulte* l. c. p. 144. sq.; *Hurter* l. c. p. 352. sq.

(91) Cfr. de aliis operibus canonicis *Durantis*: *Schulte* l. c. p. 152. sq.

eximii duplicem editionem ipse Durantis curavit, sel. unam circiter inter a. 1271.-1276., alteram inter a. 1276. et 1287. (92).

Ultimis et melioribus canonistis (93) huius epochae adscribendus est *Guido de Baysio* (94), Bononiensis. Is Guidonis de Suzaria Mutinae vel Regii audivit praelectiones. Cum esset capellanus Gerardi, Episcopi Parmensis, a Bonifacio VIII. Archidiaconus Bononiensis a. 1296. nominatus est. Quam dignitatem cum teneret, Bononiae maxima cum frequentia usque ad a. 1304. praelectiones habuit de iure canonico Ioannemque Andreae inter suos discipulos numeravit. A. 1304. ad Curiam R. Pontificis Avenionensem accessit, ubi variis perfunctus est officiis, et a. 1313. diem supremum obiit. Guido inter a. 1296.-1302. suum prolixum publicavit apparatus ad Decretum, qui *Rosarium* dicitur. Quod opus inter a. 1299.-1313. et probabiliter post a. 1304. secutus est *Apparatus* (95) sive *Commentarius in Sextum* (96).

Zenzelinus de Cassanis (97), Gallus, professor iuris canonici in universitate Montispessulana, canonicus Biterricensis, Papae Capellanus, Auditor causarum s. Palatii (a. 1333.), cum iam ineunte a. 1325. composuisset apparatus ad Extravagantes (20) (98), Ioannis XXII. hac ratione remote factus est auctor collectionis Extravagantium Ioannis XXII. Mortuus est c. a. 1350.

299. *Ioannes Andreae* (99) aetatis aureae Decretalistarum

(92) Quantam vim et auctoritatem habuerit illud Speculum, exinde patet, quod ex saec. 15. saltem 39 editionibus typographicis fuerit divulgatum.

(93) Cfr. de aliis canonistis huius temporis v. g. de Boatino, Ioanne Garsia Hispano: *Schulte* l. c. p. 157. sq.

(94) *Doujat*, Praenotion. can. l. V. cap. 6.; *Fantuzzi* l. c. l. p. 316. sq.; *Schulte* l. c. p. 186 sq.; *Hurter* l. c. p. 413.

(95) Uterque apparatus postea etiam typis mandatus est v. g. prior a. 1472., alter a. 1480. Cfr. *Schulte* l. c. p. 187. 189.

(96) Cfr. de Glossatoribus aliis libri Sexti, *Laurin* l. c. p. 194. sq., atque speciatim de compilatoribus Lib. Sexti: *Schulte* l. c. p. 176. 180. 183.

(97) *Doujat* l. c. l. V. cap. 7.; *Schulte* l. c. p. 199. sq.

(98) Guillemus de Monte Lauduno (Montlezun) († a. 1343.) praeter Lecturam super Sextum et Leet. super Clem. parum divulgatas seripserat iam ante a. 1325. et mox post a. 1317. apparatus ad (3) Extravagantes Ioannis XXII. Cfr. *Schulle* l. c. p. 190. sq. De aliis Glossatoribus et commentatoribus Clementinarum inde a Ioanne Andreae et Guilermo de Mont. Laud. agit *Laurin* l. c. p. 204. et p. 207. sq.

(99) *Sarli* l. c. II. p. 207.; *Fantuzzi* l. c. l. p. 246. sq.; *Schulle* l. c. p. 205. sq.; *Hurter* l. c. p. 489. sq.

est felix clausula. Natus est circa a. 1270. in Rifredo, ditionis Florentinae. Cum patre suo Bononiam migravit atque ibidem adhuc puerulus praelectiones Aegidii Fuscararii de Decretalibus audire coepit et praesertim Guidonis de Baysio scholam canonicam frequentavit. “ *In sacra pagina... modicum studuit sub ipso excellentissimo doctore magistro Ioanne de Parma* „. Doctores ipsius in legibus fuerunt Martinus Syllmani et Richardus Malumbra. Post adolescentiam neque a miseria neque a lascivia alienam elapso a. 1296. doctor creatus est et iam a. 1302. inter professores Bononienses Decretalium recensetur. Quo in munere docendi ius canonicum Ioannes Andreae, qui fuit laicus uxoratus, exceptis circiter tribus annis (a. 1307.-1309.) Patavii transactis, in universitate Bononiensi post vitam laudabiliter emendatam usque ad mortem suam (a. 1348.) perseveravit Civibus Bononiensibus ipsisque Romanis Pontificibus praesertim Ioanni XXII. fuit vir acceptissimus.

Prima elucubratio canonica Ioannis Andreae est *Glossa in Sextum* (100) circa a. 1304. composita, quae paulatim ut *Glossa ordinaria Libri Sexti* fuit recepta (101). Item ipsius *Apparatus in Clementinas*, quem a. 1326. complevit, facta est pariter *Glossa ordinaria Clementinarum* (102). Alia Ioannis Andreae opera sunt: *Novella in Sextum* et *Additiones ad Apparatum Sexti*; *Novella in Decretales Gregorii IX.* (103); *Additiones ad Speculum iudiciale Guil. Durantis* (104). Quae Additiones ultimum opus (105) Ioannis fuerunt, cum illas certe inter a. 1346.-1348. finierit. Eminent profecto Ioannes Andreae in suis operibus insigni cognitione fontium et scriptorum iuris canonici et civilis; sed ipsius scientia canonica proprie dicta non est adeo deprimenda, ut fit a Schulte haeretico l. e. p. 227. sq., cui contrarius est Schulte catholicus in *Lehrb. d. k. K.* p. 73. sq.

300. Scholion. Aetas illa classica iuris Decretalium et Decretalistarum, quae tribus collectionibus authenticis Gregorii IX., Bonifacii VIII., Clementis V., insignitur, vere perfecteque cognosci non potest, nisi simul eximiorum *theologo-*

(100) *Schulte* l. e. p. 213. sq. 218. Quae *Glossa* potissimum ante a. 1500. etiam typis fuit mandata.

(101) *Laurin* l. e. p. 189 sq.

(102) Cfr. ed. corp. iur. can. eum *Glossa*.

(103) *Schulte* l. e. p. 219. sq. agit de edit. impress. inde ab ann. 1484.

(104) Cfr. ed. *Speuli*.

(105) Cfr. de aliis operib. ean. l. Andr.: *Schulte* l. e. p. 214. sq. 223. sq.

rum scholasticorum eiusdem temporis ratio habeatur (106). Id, quod potissimum valet de quaestionibus fundamentalibus iuris ecclesiastici, quae cum theologia dogmatica intime sunt connexae (107). Quare si contemptus quidam theologorum et theologiae disputationis in iure canonico ex natura rei est reprehendendus, et *iactatio iuridicae methodi* non raro *inani-bus vocibus* adnumeranda, maxime illa aetate, quae pariter theologiae scholasticae aurea aetas existit, theologorum principes velut S. Thomas et S. Bonaventura aliique sunt audiendi. Quodsi theologi quidam exaggeratas theorias propugnauerunt aut saltem terminologiam parum accuratam adhibuerunt, id nequaquam universae scholae theologorum est vitio vertendum. Et si exemplis sit pugnandum, non desunt canonistae et iuristae, qui ab exaggerationibus non sunt immunes (108).

§ 3. DE DECRETALISTIS A IOANNE ANDREAE
USQUE AD ABBATEM SICULUM (a. 1348.-1453.).

301. Quemadmodum *theologia scholastica* inde a medio saeculo decimo quarto multum pristini splendoris amisit (109), ita *scriptores de iure canonico* post Ioannem Andreae suis praedecessoribus pares existimari non possunt. Cuius demutationis scientiae canonicae sane non paucae existunt causae. Imprimis vix fieri potuit, ut *singularis* quaedam disciplina theologia a damno esset immunis, cum *universum studium theologicum* atque *iuridicum* ex saeculo decimo quarto detrimentum pateretur. Porro inter arma silent musae; mirum igitur non est, quod propter schisma occidentale mox ortum atque pendentibus omnibus istis controversiis nimio fervore agitatis, deficiente nova perfectaue legislatione ecclesiastica, iuris canonici scientia non ceperit incrementa. Denique negari vix potest parum profuisse iuri canonico, quod inter

(106) *Scheeben* l. c. p. 428. sq.; *Hurter*, Nomenclator (ed. 2.) t. IV.

(107) V. g. de potestate ecclesiastica.

(108) Quae *Schulte*, *Gesch. d. Quell.* t. II. p. 193. sq. contra Augustinum de Ancona profert, modum excedunt. Cfr. de Aegid. Rom. solide et sobrie disserentem: *Scheeben* in *Kirchenlex.* t. III. p. 667. sq.; *Schulte* l. c. p. 182.; *Hurter* l. c. p. 389. sq. iunct. p. 494. sq. Cfr. *Lugo*, De virt. fid. div. disp. 19. n. 95. 96., qui reprehendit Panormitani exaggerationes; *Suarez*, De leg. l. III. cap. 7., ubi reiicit iuristarum placita.

(109) *Scheeben* l. c. p. 430. 438. sq.

cultores sacrae iurisprudentiae nimium creverit numerus illorum canonistarum, qui, utpote non raro *laici*, multum in studiis legitimis, at *parum* in *disciplinis philosophicis* et *theologicis* erant versati. Nihilominus etiam hac aetate praeclari quidam canonistae non desunt (110).

Ioannes Calderinus, discipulus et filius adoptivus Ioannis Andreae, “*doctor decretorum famosissimus*”, inde ab a. 1326-1359. Bononiae docuit ius canonicum. Quo anno ille canonicus, qui tres uxores successive duxerat, aliis negotiis impeditus officium docendi dimisit et a. 1365. ex hac vita migravit. Proprii cives et Romani Pontifices aliique principes Ioannem Calderinum, utpote canonicum magnae auctoritatis et in rebus gerendis versatum, magno honore prosecuti sunt. Praeter tractatus singulares velut *de appellationibus*, *de interdicto ecclesiastico* etc. scripsit “*Super Clementinas*”, aliaque opera canonica (111), quae suo tempore practica utilitate atque auctoritate non carebant.

Ioannes de Lignano (112) iam a. 1358. Bononiae fuit doctor legum et advocatus; anno vero 1364. factus est professor Decretalium. Quo in munere exercendo Franciscum de Zabarellis et Ioannem de Imola habuit discipulos. Compluribus Rom. Pontificibus velut Urbano V., Gregorio XI., Urbano VI., cuius iura contra Pseudopapam Clementem VII. strenue propugnabat, fuit persona aequae grata atque propriis civibus. Ioannes pariter fuit laicus et matrimonio iunctus. Cum anno 1383. peste correptus diem obiisset supremum, maximo cum honore Bononiae sepultus est. Non paucos composuit tractatus singulares et *Consilia* et *Repetitiones* atque potissimum *Commentarium in Decretales Gregorii IX.* et *Lecturam super Clementinas*, de qua Zabarella, ipsius discipulus, satis severum nec plane iniustum fert iudicium (113).

Henricus de Bohic (114) natus est a. 1310. in dioecesi Leonensi in Britannia (Lion). Studiis operam dedit in universitate Parisiensi, in qua postea fuit professor utriusque iuris. Quo tempore (a. 1348.) complevit suas “*Distinctiones in libros*

(110) *Fantuzzi* l. c. III. p. 14. sq.; *Schulte* l. c. p. 247. sq.

(111) *Schulte* l. c. p. 249. sq.; *Hurter* l. c. p. 540. sq.

(112) *Doujat* l. c. l. V. cap. 6.; *Fantuzzi* l. c. V. p. 28. sq.; *Schulte* l. c. p. 257. sq.; *Hurter* l. c. p. 585. sq.

(113) *Schulte* l. c. p. 260. sq.; *Hurter* l. c. p. 585. not. 3.

(114) *Doujat* l. c. l. V. cap. 6.; *Schulte* l. c. p. 266. sq.

quinque Decretalium „ (115), in quibus conscribendis magis quam doctores Bononienses facere solebant, usus est theologorum operibus. Obiit inter a. 1350.-1390.

Aegidius Bellamera (116) a. 1374. a Gregorio XI. nominatus est Auditor. Post schisma occidentale ortum a Pseudopapa Clemente VII. acceptavit varios Episcopatus et a. 1390. dioecesi Avenionensi praefectus est, ubi secundum plures a. 1392. decessit; at *Gams* illum usque ad a. 1406. vixisse putat. *Collegit decisiones Rotae* ab a. 1374.-1377. (117), publicavit *Praelectiones in Decretalium* libros (118) atque in *Clementinas* et tractatum de permutatione beneficiorum ecclesiasticorum.

302. *Baldus* (119) *de Ubaldis*, unus ex praeclarissimis canonistis huius epochae, natus est Perusii circa a. 1319. Post peracta Perusii et Pisis (?) studia iuridica iam a. 1344. a Bartolo Perusii ad doctoratum promotus est. Deinde doctor ille, qui fuit laicus et uxoratus, in sex universitatibus maximo cum plausu et proventu ius canonicum docuit et Gregorium XI., Petrum de Ancharano, Cardinalem Zabarella, Iohannem de Inola habuit discipulos. Vita functus est Papiae a. 1400. Ex ipsius operibus canonicis, quae magnam auctoritatem consecuta fuerant, eminent: *Lectura* super l. I. II. III. *Decretalium* (120), *Additiones ad Speculum* iudiciale Durantis (121), *De schismate* i. e. duo tractatus singulares a. 1378. et 1380. in favorem legitimae electionis Urbani VI. conscripti (122).

Petrus de Ancharano (123) originem duxit c. a. 1330. ex nobili familia Farnesiorum in castello d'Ancharano in Etruria. Ut ipse fatetur, Baldus fuit ipsius dominus sive praeceptor in iure civili. Ex a. 1385. Patavii praelectiones habuit; inde transiit Senas, ubi a. 1393.-1396. explanavit Decretales; deinde Bononiam reversus a. 1402. Ferrariam discessit, sed tandem ex a. 1405. iterum Bononiae resedit. Aetate iam satis prove-

(115) Typis impressae sunt Lugd. 1498., Lugd. 1537., Venet. 1580.

(116) *Schulte* l. c. p. 274. sq.; *Hurter* l. c. p. 640.

(117) Impressae fuerunt Rom. 1474., Venet. 1496.

(118) Lugd. 1548.

(119) *Savigny*, *Geschichte d. r. R. im M.* VI. p. 208. sq.; *Schulte* l. c. p. 275. sq.; *Hurter* l. c. p. 581.

(120) Mediol. 1476. sq. (I. et II.), Venet. 1495. 1500., Lugd. 1585.

(121) Cfr. edit. *Speculi iudic.*

(122) *Schulte* l. c. p. 276. sq.

(123) *Fantuzzi* l. c. l. p. 230. sq.; *Schulte* l. c. p. 278.; *Hurter* l. c. p. 637. sq.

ctus matrimonium celebravit aliisque officiis publicis fuit distentus. Tempore schismatis occidentalis in Concilio Pisano stetit contra Gregorium XII. votisque et argumentis vere debilibus causam desperatam Cardinalium et Pseudoconcilii Pisani sustinuit (124). Post obtentam a. 1413. cathedram Decretalium ad Concilium Constantiense profectus est, sed mox Bononiam reversus ibidem a. 1416. vitam clausit. Petrus cum suo tempore esset canonista et iurisconsultus celeberrimus totius Europae, imprimis *Cousilia* et *Responsa* in gravissimis controversiis dedit. Praeterea ex ipsius operibus canonicis recensenda sunt: *Commentaria* in Decretales (125); *Lectura* super *Sexto: Lectura* super *Clementinas*.

Franciscus (126) *de Zabarellis* (vel *Zabarella*) c. a. 1335.-1339. natalem urbem habuit Patavium, Bononiae autem studiis iuridicis operam dedit. Postea Patavii et Florentiae ius canonicum docuit. Propter insignem suam famam a Bonifacio IX. (a. 1389.-1404.) Romam evocatus est, ut suum daret consilium de magno schismate occidentali componendo. Cum tandem a. 1410. possessionem cepisset sedis episcopalis Florentinae, ad quam promotus fuerat, mox a Ioanne XXII. Cardinalis creatus est. In Concilio Constantiensi, cui tanquam legatus praesederat, a. 1417. ex hac vita decessit. Omissis *Repetitionibus*, *Tractatibus*, *Consiliis*, *Quaestionibus* pro more aliorum canonistarum huius aetatis a Cardinali Florentino conscriptis praesertim commemoranda sunt: *Commentaria* in quinque libros *Decretalium* (127), et imprimis *Lectura* super *Clementinas* (128).

Antouius de Butrio (129), Bononiensis, circa a. 1338. natus est. Finitis Bononiae studiis iuris civilis sub magistro Petro de Ancharano lauream iuris civilis obtinuit et absolutis studiis canonicis, quibus operam dederat, doctor quoque iuris canonici creatus est. Postquam a. 1391. Bononiae in collegium doctorum iuris canonici fuit receptus, usque ad finem vitae

(124) *Bened. XIV.*, De beat. et canoniz. l. III. cap. 20. n. 5. 6. 7.; *Cardin. Hergenroether-Kirseh*, Handb. d. allg. K. t. II. p. 807. sq. 833. sq. 840. sq. 846. sq. 853. sq.

(125) Cum duabus - *Leeturis* - impr. Lugd. 1535.-1543.

(126) *Doujat* l. c. l. V. cap. 7.; *Schulte* l. c. p. 283. sq.; *Hurler* l. c. p. 635. sq.

(127) Venet. 1622.

(128) Rom. 1477., Lugd. 1551.

(129) *Doujat* l. c. V. cap. 7.; *Fantuzzi* l. c. II. p. 353. sq.; *Schulte* l. c. p. 289. sq.; *Hurler* l. c. p. 638. sq.

suae paucis exceptionibus factis in eadem civitate ius canonicum docuit. Propter insignem suam probitatem et pietatem neque minorem scientiae laudem a Gregorio XII. aliisque coaetaneis maximi aestimatus est. Bononiae a. 1408. vel 1409. diem supremum obiit. Opera canonica Antonii velut *Commentaria in quinque libros Decretalium* (130), *Commentaria in Sextum* (131), quibus accesserunt pro more recepto *Repetitiones, Tractatus, Consilia*, ab aliis nimis laudibus fuerunt celebrata, ab aliis nimis severo iudicio condemnata (132).

Dominicus de Sancto Geminiano (133) a castello ditionis Florentinae, ubi natus erat, cognomen accepit. Post absoluta studia iuridica, in quibus Antonio de Butrio et Petro de Ancharano usus est magistris, nominatus est Vicarius Episcopi Mutinensis (a. 1407.). Interfuit Synodo Pisanae (a. 1409.) et postea Bononiae exstitit professor iuris canonici atque Romae Auditor Camerae. *Commentarius in libros Decretalium, Commentarius in Sextum* (134) cum aliis consuetis elucubrationibus inter opera canonica Dominici recensentur.

Ioannes ab Imola (135), cuius patria ipso cognomine satis denotatur, cum patre Bononiam migrans praesertim in ista civitate studiis iuridicis vacabat. Post promotionem suam ad doctoratum in utroque iure variis in universitatibus habuit praelectiones canonicas. Bononiae a. 1436. mortuus est. Praeter *Consilia, Repetit., Tract. de appellationibus* scripsit: *Commentarium* (incompletum) in *Decretales* Gregorii IX. (136), item *Commentarium in Sextum* et *Commentar. in Clementinas* (137).

303. *Nicolaus de Tudeschis* (138) lucem aspexit a. 1386. Catanæ in Sicilia. Cum admodum adolescens esset, ordini S. Benedicti nomen dedit. Absolutis studiis, in quibus Patavii Zabarellam habuit magistrum iuris canonici, inde ab anno 1421.

(130) Rom. 1473., Venet. 1582.

(131) Venet. 1499., 1575.

(132) *Schulte* l. c. p. 293. sq.

(133) *Vincentius Coppi*, De viris insignib. Sangeminianiensib., Florent. 1695.; *Schulte* l. c.; p. 294. sq.; *Hurter* l. c. p. 640.

(134) Venet. 1485., 1579.

(135) *Fantuzzi* l. c. IV. p. 351. sq.; *Schulte* l. c. p. 296. sq.; *Hurter* l. c. p. 709.

(136) Venet. 1498.

(137) Rom. 1474., Venet. 1500.

(138) *Aeneas Sylvius*, De viris illust. n. 19.; *Schulte* l. c. p. 312. sq.; *Hurter* l. c. p. 709. sq.

primum Senis, deinde in aliis Italiae civitatibus ius ecclesiasticum explicavit. Postquam a Martino V. a. 1425. Abbas S. Mariae de Maniaco in dioecesi Messinensi, (unde "*Abbas Siculus* „ dicitur), est renunciatus, post alias dignitates obtentas a. 1437. a rege Alphonso Archiepiscopus Panormitanus nominatus et a Martino V. institutus est. Quare etiam "*Panormitanus* „ audit. In Concilio Basileensi cum primis temporibus a parte Eugénii IV. stetisset, postea ad castra Pseudopapae Felicis transiit et dignitatem cardinalitiam ab illo acceptam retinere usque ad finem vitae (a. 1445. vel 1453.) non erubuit. Quare Nicolaus non obstante insigni sua eruditione canonica atque exaggerata sua theoria de ambitu potestatis Romani Pontificis legitima iura successorum S. Petri in praxi non satis agnovit, neque ipsum apte excusat *Scherer* l. c. t. I. p. 276. Panormitanus quoque scripsit: *Consilia, Quaestiones, Repetitiones*, sed praeclarissimis canonistis medii aevi adnumeratur, quod ab eo publicatae fuerunt: *Lectura in Decretales* (139), *Lectura in Sextum* (140), *Lectura in Clementinas* (141).

Huic epochae pariter adscribi possunt ex canonistis: *Petrus de Monte*, Brixiensis; *Marianus Socinus*; *Ioannes de Anania*; *Iacobus de Zacchis*; *Alexander Tartagnus* (142).

304. Scholion. *Ioannes a Turrecremata* (143) licet potius theologis sit adnumerandus, tamen propter varia opera canonica (144) et tractatus, qui potissimum ad Ecclesiam eiusque constitutionem referuntur (145), etiam inter canonistas huius

(139) Lugd. 1524.; de aliis edit. ant. an. 1500. agit *Schulte* l. c. p. 313; *Andreas de Barbatia* († a. 1479.), qui celebrioribus canonistis saec. 15. ad censetur, scripsit: *Additiones ad Nic. d. Tud.*, *Commentaria super decret.* Cfr. *Schulte* l. c. p. 311. Repertorium in opera Nicol. Panormitani composuit *Anton. Corsetus*, Siculus († a. 1503.). Cfr. *Schulte* l. c. p. 349.

(140) Venet. 1479., 1592.

(141) *Schulte* l. c.

(142) *Schulte* l. c. p. 317.; *Hurter* l. c. p. 713. sq. 887. sq.

(143) *Nicolaus Antonius*, *Bibl. hisp. vetus* II. p. 286. sq.; *Quétif* et *Echard* l. c. I. p. 837. sq.; *Scheeben* l. c. t. I. p. 443. 220. 230.; *Schulte* l. c. p. 322. sq.; *Hurter* l. c. p. 728. sq.

(144) Hue spectat: *Commentarius in Decretum Gratiani*, Lugd. 1519., 6. vol. in fol. Utrum Turrecremata sit verus auctor novae ordinationis Decreti, an tantum fuerit scriptor et editor paucis immutationibus factis alieuius operis iam saeculo 14. compositi, id pendet a quaestione, num revera codex Haenelianus sit ex saeculo 14. Id sane *Schulte* l. c. p. 324. sq.; *Scherer* l. c. I. p. 246. certo probatum esse contendunt, at argumenta concludentia disertis verbis non afferunt. Cfr. *Laurin* l. c. p. 56. 86.

(145) V. g. *Summa de Ecclesia*. Cfr. *Scheeben* l. c., cuius iudicium optimo iure discrepat ab assertionibus *Schulte* l. c. p. 326. sq.

epochae merito recensetur. Ioannes ortum habuit a. 1388. in Hispania, et postquam Vallisoleti ordini S. Dominici fuit adscriptus, Parisiis studiis vacabat. In Hispaniam reversus officii sui ordinis functus est et Romam missus ab Eugenio IV. a. 1431. Magister s. Palatii nominatus est. In controversiis Eugenii IV. cum Basileensibus schismaticis eorumque asseclis semper fideliter stetit a parte Romani Pontificis. Quare ab eodem Eugenio IV. a. 1439. Cardinalis creatus est. Romae obiit a. 1468. atque sepultus est in ecclesia S. Mariae supra Minervam, cuius conventum adnexum aedificaverat.

§ 4. DE DECRETALISTIS AB ABBATE SICULO
USQUE AD REFORMATIONEM TRIDENTINAM (a. 1453.-1545./1563.).

305. Inde circiter a medio saeculo decimo quinto magna quaedam immutatio etiam in scientia canonica praeformari coepta est (146). Etenim inventio artis typographicae difficilem illam et laboriosam methodum addiscendi ius canonicum et civile sustulit. Praeterea cum illo saeculo restaurata essent studia liberalium doctrinarum, horridum istud et abstrusum dicendi genus non paucorum philosophorum et theologorum, iuristarum et canonistarum illius aetatis iusto iudicio fuit condemnatum. Denique derelictis inutilibus subtilitatibus etiam studiis positivis historiae et artis criticae praesertim post ortam pseudoreformationem paulatim a canonistis catholicis maior cura est impensa.

Ex scriptoribus et doctoribus huius epochae, qui professores et magistri fuerunt canonistarum Tridentinorum, aut ipsi Concilio Tridentino interfuerunt, aut certe etiam a scriptoribus post Concilium Tridentinum allegari solent, potissimum sequentes videntur esse recensendi:

Alexander de Nevo (147), Vicentia oriundus, in universitate Patavina inde ab a. 1457. per 26 annos ius canonicum docuit et Taurisii fuit canonicus. Edidit *Decretum Gratiani*, Venet. 1474., et publicavit: *Comentum* in libros *Decretalium*, Venet. 1473.

Ioannes Franciscus de Pavinis (148) in vitam venit Patavii,

(146) *Schulte*, *Lehrb.* p. 77. sq.

(147) *Schulte*, *Geschichte d. Quell.* l. c. p. 330. sq.; *Schmalzgr.* l. c. l. IV. tit. 1. n. 131. sq., ubi Alex. de Nevo aliosque antiquos canonistas allegat; *Hurter* l. c. p. 890.

(148) *Schulte* l. c. p. 331. sq.

ubi postea ius canonicum docuit et canonicatum obtinuit. Cum a Paulo II. (a. 1464.-1471.) nominatus fuisset Auditor causarum in s. Palatio. Romam migravit et ibidem post a. 1484. mortuus est. Qui canonista laudandus est, quod *decisiones Rotae collegerit*. Praeterea scripsit explicationes in *Regulas Cancellariae Apost.*, tractatus singulares de visitat. Episcoporum. (149), de officio et potestate Capituli sede vacante, de decimis et de caritativo subsidio (150).

Ioannes de Breitenbach, Lipsiensis, Perusii et studia iuridica absolvit et doctoris lauream a. 1465. consecutus est. Ex Italia in patriam reversus factus est Officialis episcopalis atque (a. 1479.) professor ordinarius iuris canonici in facultate iuridica Lipsiensi († circ. a. 1507.). Secundum methodum receptam scripsit: *Repetition.*, *Additiones etc.*, *Consilia*, *Tract.* de successione ab intestato.

Ioannes Antonio de S. Gregorio (151). Qui canonista etiam Praepositus sive Praepositus Alexandrinus dicitur et originem ducit ex nobili familia Placentina. Postquam diu in universitate Papiensi (iam ant. a. 1474.) docuit ius canonicum, primum Auditor Rotae, Referendarius Apostolicus, Episcopus Alexandrinus (a. 1483.) atque tandem ab Alexandro VI. a. 1493. nominatus est Cardinalis († a. 1509.). Scripsit: *Tractatus* v. g. super titulo de appellationibus, Comi 1474.; *Commentaria* super quarto Decretalium, Papias 1476.; *Commentaria* super Decretorum volumina, Rom. 1493. (P. I. Decr.).

Dominicus Iacobatus (152), Romanus, a. 1485. factus est Advocatus consistorialis, a. 1493. Auditor Rotae, a. 1503. Canonicus S. Petri, denique Episcopus Lucerinus, Vicarius Leonis X., a quo a. 1517. creatus est Cardinalis († Romae a. 1528.). Ex ipsius libris unice commemorandus est tractatus: *De Concilio*, Romae 1538.

Petrus Andreas Gambarus (153) sive de Gambarinis natus a. 1480. in ditione Bononiensi post finita studia philosophiae et artium liberalium iuri civili atque canonico operam dedit. Complura officia ecclesiastica obiit; at cum a. 1528. ad sedem Faventinam promotus esset, eodem anno in itinere ad capien-

(149) Rom. 1475.

(150) *Schulte* l. c. p. 332. sq.

(151) *Doujat* l. c. l. V. cap. 7; *Schulte* l. c. p. 338. sq.; *Pastor*, Geschichte der Paepste t. III. p. 301.

(152) *Schulte* l. c. p. 342. sq.

(153) *Fantuzzi* l. c. IV. p. 54. sq.; *Schulte* l. c. p. 343. sq.

dam possessionem suae dioecesis mortuus est. Ex operibus canonicis huius Episcopi Faventini singularem mentionem meretur ipsius *Commentarius in Extrav. Iulii II.* (154) *de electione simoniaca* Rom. Pontificis, Romae (1528.).

Philippus Decius (155), Mediolanensis, natus a. 1453. et † circ. a. 1535. scripta canonica mediocris valoris reliquit, sed propter insignem artem docendi atque disputandi plane incredibilem famam consecutus erat.

Ludovicus Gomez, Hispanus (156), post finita studia Bononiae in collegio hispanico Patavium migravit et ibidem Institutiones iuris civilis, deinde ius canonicum docuit. A Clemente VII. Romam evocatus Auditor Rotae et a. 1534. Episcopus Sarnensis nominatus est († a. 1553.). Composuit *Collectionem decisionum Rotae*, Paris. 1546.; conscripsit: *Commentaria* in (13 tantum) *Regulas Cancellariae Apost.*, Paris. 1545.; *De reservationibus papalibus et legatorum*, Rom. 1539.

Augustinus Beroius (157) originem duxit (a. 1474.) ex nobili familia Bononiensi et finitis studiis iuridicis in patria sua a. 1503. doctor utriusque iuris creatus est. Ab a. 1504. per quinquaginta annos in universitate Bononiensi praesertim de iure canonico praelectiones habuit. Non solum Iulius II. et Iulius III. aliique principes hunc canonistam laicum et matrimonio iunctum magni fecerunt, sed duos quoque scholares sortitus est, qui postea Romani Pontifices electi sunt, scilicet Pium IV. et Gregorium XIII. Mortuus est 13. Sept. 1554. Scripsit: *Commentaria super Decretales*, Lugdun. 1550., insuper publicavit *Quaestiones et Consilia*.

306. Coronidis loco inter canonistas saltem ante finem Concilii Tridentini celebres dignissimus sane est, ut commemoretur: *Thomas Canpegius* (158). Is natus est Papiae a. 1481. Postquam lauream in philosophia obtinuit eandemque scientiam per complures annos Bononiae professus est, doctoratum in utroque iure a. 1512. acquisivit. Quo gradu academico obtento valedixit magisterio et rebus gerendis sese totum dedicavit. Demum Nuntius Apostolicus factus etiam Concilio

(154) *Pastor* l. c. p. 686. sq.

(155) *Franc. Beza*, Vita Phil. Decii, Lugd. 1550.; *Schulte* l. c. p. 361. sq.; *Hurter* l. c. p. 1122. sq.

(156) *Nicolaus Antonius*, Bibl. Hisp. nov. II. 35.; *Schulte* l. c. p. 354. sq.

(157) *Fantuzzi* II. p. 96.; *Schulte* l. c. p. 355. sq.; *Hurter*, l. c. p. 1319. sq.

(158) *Fantuzzi* III. p. 65. sq.; *Schulte* l. c. p. 357. sq.; *Hurter*, Nomenclator (ed. 2.) t. I. p. 40. sq.

Tridentino interfuit, in quo pro sua scientia et dexteritate in rebus agendis non levem partem habuit. Mortuus est Romae 11. Ianuar. 1564. Scripta huius eximii viri spectant partim ad constitutionem Ecclesiae v. g. *De auctoritate et potestate R. Pontificis in Eccl. Dei*, Venet. 1555.; *De auctoritate sacrorum Conciliorum*, partim ad disciplinam ecclesiasticam velut *De residentia pastorum*, *De pluralitate beneficiorum*, *De beneficiorum reservatione*, *De pensionibus*, *De unionibus ecclesiarum*, *De coadiutore Episcoporum* (159).

§ 5. DE SCHOLIS ATQUE LIBRIS DECRETISTARUM
ET DECRETALISTARUM UNIVERSIM SPECTATIS.

I. De scholis Decretistarum et Decretalistarum.

307. Quamvis ius canonicum inde a Gratiano paulatim factum sit disciplina theologica a theologia scholastica distincta “ *ordine placitandi ex legibus translato* „, tamen *nequaquam ex ordine disciplinarum theologiarum est avulsum*. Et enim *lectores iuris canonici* circiter usque ad finem saeculi decimi tertii (160), ex *solis clericis* (161), sive saecularibus sive regularibus fuerunt assumpti et cum theologis commune habuerunt nomen “ *magistorum* „, non “ *dominorum* „, vel “ *doctorum* „, quod ab antecessoribus iuris Romani sive legisitae fuit usitatum. Quae praxis nonnisi ex fine saeculi duodecimi est immutata, ita ut relicto nomine “ *dominorum* „, legisitae sive legis doctoribus, etiam magistri iuris canonici dicerentur “ *doctores* „ (162). Circa idem tempus atque ineunte saeculo

(159) De aliis canonistis huius epochae, qui aliqua ratione mentionem merentur, catalogum alphabetico ordine compilavit *Schulle* l. c. p. 363 sq.

(160) *Aegidius Fuscararius* († a. 1289.) primus fuit laicus, qui Bononiae ius canonicum doceret. Cfr. *Schulle* l. c. t. II. p. 462.

(161) *Schulle* l. c. t. II. p. 460. sq. Imo non pauci ex magistris iuris canonici simul in officiis et dignitatibus ecclesiasticis erant constituti v. g. *Tancredus*, aut saltem postea ad dignitatem episcopalem v. g. *Bernardus Papiensis* et cardinalitiam v. g. *Goffredus de Trauo*, imo nonnulli ad cathedram S. Petri fuerunt promoti v. g. *Rolandus Baudinelli* (Alex. III.), *Albertus Beneventanus* (Gregor. VIII. a. 1187.), *Sinibaldus Flisus* (Innocentius IV.).

(162) Quae promotio ad gradum doctoris fuit per se receptio in collegium doctorum vel professorum *determinati* studii generalis sive universitatis, postquam quis suae scientiae et artis docendi periculum subiit. Cfr. *Savigny*, *Geschichte d. r. R. t.* VI. p. 61. sq.; *Denifle*, *D. Universitaeten* d. M. t. I. p. 1. sq.; *Scherer* l. c. t. II. p. 50. sq.

decimo tertio alia quoque immutatio introducta est. Magistri iuris canonici et doctores legum hucusque distinctas tenuerunt cathedras. At postquam *Bazianus* († a. 1197.) primus fuit, qui legis doctor et *deinde* derelicto statu laicali iuris canonici doctor esset, unde merito “ *doctor utriusque iuris* „ appellaretur, *Lanfrancus Cremensis* († a. 1229.) prima vice videtur Bononiae simul ius canonicum et civile docuisse (163). Qui gradus doctoris in utroque iure cum non pauca afferret comoda (164) et complures praerogativas (165), a multis fuit expetitus, licet sex vel septem annorum studium exigere-tur (166).

308. *Scholares iuris canonici* imprimis fuerunt *clerici* sive theologi; at auditores quoque iuris civilis praelectiones doctorum iuris canonici frequentarunt (167), neque ab initio ulla existit prohibitio, quominus clerici doctores legum audirent. Hinc mirum non est, quod antiqui Decretistae et Decretalistae iuris Romani fuerint periti (168). Quod studium iuris civilis, cum multi clerici inordinato fervore abrepti iustos limites non servassent, ab Honorio III. a. 1219. et postea a Gregorio IX. in sua compilatione authentica (169) clericis atque monachis expresse in studiis generalibus interdictum est (170).

At Romani Pontifices clericorum studio iuris canonici in universitatibus non solum non obstiterunt, sed potius speciales favores impertiti sunt (171). Hinc factum est ut magnus numerus beneficiatorum, canonicorum atque adeo parochorum in universitatibus studiis legitimis et canonicis operam

(163) *Schulle*, Gesch. d. Quell. t. I. p. 198. sq. 212. sq.

(164) Cfr. de salario vel honorario professorum : *Schulle* I. e. t. II. p. 460. ; *Scherer* I. e. t. I. p. 257.

(165) *Schulle* I. e. p. 463. et in Arch. f. k. K. t. XIX. p. 3. sq. ; *Scherer* I. e. t. II. p. 55. sq.

(166) *Schulle*, Geschichte d. Quell. t. II. p. 474.

(167) *Stephanus Tornacensis* in Summa ed. *Schulle* p. 1. “ *Duos ad convivium vocavi, theologum et legistam* „

(168) *Schulle* I. e. t. II. p. 487. sq.

(169) Cap. 28. X. de privileg. V. 33. ; cap. 3. 10. X. ne cler. III. 50.

(170) At Innocentii IV. Const. “ *Dolenles* „ 1254. spuria est dicenda. Cfr. *Denifle* I. e. p. 696. iunet. p. 252. sq. in Archiv. f. Lit. u. K. d. M. t. V. p. 172. ; *Saegmueller*, Lehrb. d. k. K. p. 200. not. 7. 8. ; *Digard*, La papauté et l'étude du droit rom. au 13 siècle à propos de la fausse bulle d'Innoc. IV. “ *Dolenles* „ ; *Fournier*, L'Église et le droit rom. au 13. siècle.

(171) Cap. 34. X. de elect. I. 6. ; cap. 4. 12. X. de cleric. non resid. III. 4. ; cap. 5. X. de mag. V. 5.

daret (172). Regulares quoque studium iuris canonici non neglexerunt (173).

309. *Methodus exegetica in scholis cauonicis* a Decretistis et Decretalistis principaliter, non exclusive servata est. Quare quemadmodum doctores iuris civilis leges codicum Iustinianaeorum secundum ordinem fontium explicabant, ita Decretistae (174) textum Decreti Gratiani secuti sunt. Praelectiones (175) publicae sive “ *Lecturae* „ magistrorum initium sumebant a brevi succinctoque quodam *sumuario* (Summa) materiae (textus, litterae) explicandae. Mox secuta est *recitatio* (176) “ *litterae* „ sive *textus* Gratiani una cum summariiis sive rubricis capitulorum (177), ut auditores scripto illum excipere possent; nondum enim inventa fuerat ars typographica (178). Qua recitatione litterae facta proponebatur *species facti* sive “ *casus* „ in textu contentus. Dein subiungebatur *expositio verborum et rerum* atque deducebatur ex textu *generalis iuris regula*, quae *Brocarda* dicebatur. Denique allegabantur *textus paralleli* vel etiam apparenter *contrarii*, quorum *explicatione* textus principalis expositio videbatur fieri magis solida et tuta.

Lecturis postea (179) accesserunt *Repetitiones*, in quibus magistri vel scholares ad gradus academicos promovendi particularis cuiusdam textus (capitis) uberiolem magisque exquisitam tradiderunt expositionem. Denique inter exercitationes scholasticas recensendae sunt *Disputationes*, in quibus illo tempore quaestio vel controversia ex iure canonico publice exposita et defensa ab aliis, quibus ius arguendi compete-
bat,

(172) *Schulte* l. c. p. 459.

(173) *Schulte* l. c. p. 464. Qui scriptor, si regulares dieit fuisse *vindices* “ *curialis omnipotentiae* „, rem sane verissimam et laude, non vituperio dignam asserit, dummodo ineptis verbis “ *curialis omnipotentiae* „ substituuntur legitima vocabula “ *iurium Sedis Apostolicae* „.

(174) *Schulte* l. c. t. I. p. 212. sq.

(175) *Laurin* l. c. p. 746. sq.

(176) Cfr. de paleis quoque *Rufinum* apud *Laurin* l. c. p. 47. et *Schulte* l. c. t. I. p. 250.

(177) Cui recitationi subiungi interdum solebat “ *emendatio* „ vel correctio “ *litterae* „. Cfr. exemplum ex Huguccione allatum a *Schulte* l. c. t. I. p. 115. not. 3. Cfr. quoque *Innoc. IV.* Commentaria, prooem. n. 3.

(178) “ *Staltonarii* „ in universitatibus tempore medii aevi studiosis libros manuscriptos commodabant. Cfr. *Schulte* l. c. t. II. p. 457. sq.

(179) *Denifle* in *Arch. f. L. u. K.* t. V. p. 183.; *Schulle* l. c. t. I. p. 214. t. II. p. 474.

impugnabatur (180). Quae methodus docendi quoad substantiam etiam a Decretalisticis usque ad saeculum decimum sextum est retenta (181). Quodsi toto medio aevo *methodus* in docendo iure canonico per *diversas regiones Europae* satis uniformis fuit, id sine dubio imprimis exinde repetendum est, quod saltem primis huius epochae saeculis nonnisi *pauca* huius scientiae existerent *studia generalia* sive universitates, in quibus universa iuventus iuris cupida institueretur (182). Accessit *unio* et *communicatio* facilis inter diversas universitates propter *unitatem linguae latinae* inter viros doctos in universa Europa receptae. Quare quod in una regione praeclare dictum vel scriptum fuerat, sine difficili versionis labore in aliis regionibus brevi tempore fuit cognitum atque in frequentem usum venit. Denique non tantum *praevia illa studia*, quibus adolescentes ad philosophiam et theologiam disponebantur, magis fuerunt uniformia, sed ipsa *philosophia* et *theologia* scholastica universaliter in Ecclesia recepta etiam scientiae canonicae fuit *solidum* et *commune fundamentum*. Quod fundamentum eo magis fuit stabile atque inconcussum, quo firmior exstitit illo tempore unitas inter viros doctos eadem *fide catholica* intra eandem Ecclesiam *colligatos*.

310. Scholion. Nemo profecto infitiabitur methodum scholasticam huius epochae suas habuisse lacunas suosque defectus. Exinde autem nequaquam sequitur, quidquid *Schulte* (183) per exaggerationes asserit, solidum habere fundamentum. Quare ut iustum feratur iudicium, difficultates et angustiae illorum temporum sunt attendendae. Nequaquam enim tanta fuit abundantia librorum, bibliothecarum, collectionum (184), quanta est nostra aetate. Canonistae quoque moderni ultra iustos limites carpere non debent magistros antiquos, eo quod ipsi in feliciora inciderint tempora. Praeterea ut recte monet *Zallinger* (185), habent disciplinae artium, uti mores hominum, conversiones suas mutationesque formarum et pro temporum varietate aliter atque aliter versantur in re eadem.

(180) *Laurin* l. c. p. 48.; *Schulte* l. c. t. II. p. 474. sq.

(181) Cfr. de libris et praelectionibus "ordinariis" et "extraordinariis"; *Schulte* l. c. p. 456. sq. t. III. b. p. 326. sq.

(182) *Schulte* l. c. t. II. p. 467. sq. 536. sq.

(183) *Schulte* l. c. atque praesertim p. 512. sq. 547. sq., ubi de foro interno plane praepostera ratione disserit.

(184) *Scherer* l. c. t. I. p. 260. sq.

(185) In cit. ed. Rom. vol. II. p. 203. sq.

Mirum igitur non est, quod ipsa quoque theologia et iurisprudencia inde a SS. Patribus et doctoribus scholasticis usque ad nostram aetatem pro diversitate temporum et regionum dispari quoque modo fuerint tractatae. Nam quod hominibus unius aetatis vel regionis arrisit, id tanquam norma universalis et stabilis et infallibilis non est proclamandum. Dandum est enim aliquid instabili hominum ingenio, virorum prudentium conatibus iudiciisque (et quod maioris est momenti) necessitati temporum. Hinc sapienti sane consilio in constitutionibus (186) novae universitatis Washingtonensis Romae a Congregatione speciali Cardinalium recognitis et a Leone XIII. approbatis vel ipsis philosophis haec inculcantur: “ *Doctrina ex eius (D. Thomae) scriptis haustam auditoribus suis eo modo proponant, quo proposuisset ipsemet, si in nostra rerum tempora incidisset. Qua docendi ratione mentem D. Thomae melius et accuratius assequantur, ipsius laudem apud domesticos et exteros promulgabunt et Leonis XIII.... voluntati et iuperio optime obsecundabunt* „.

II. De libris Decretistarum et Decretalistarum.

311. Propter intimam connexionem, quae inde a Gratiano intercessit inter scientiam canonicam iurisque canonici fontes atque scholas canonicas, libri quoque canonici potissimum ex praelectionibus orti sunt et methodum scholasticam exhibent ordinemque legalem.

Quare imprimis conscriptae sunt *Glossae* Decreti Gratiani (187), quae cum ab initio essent interlineares et marginales, paulatim veri facti sunt apparatus. Cfr. supra h. tom. I. n. 289. Ioannem Teutonicum. Similiter ad quinque compilationes antiquas et collectiones saltem authenticas Decretalium *Glossae* fuerunt appositae. *Glossis* accesserunt *Summae*, quae per se fuerunt breves quidam conspectus universi Decreti v. g. *Summa* vel rectius *Stroma* Rolandi. Huiusmodi *Summae* praesertim Decretalium ambitu atque ordine proprio paulatim ad maiorem perfectionem adductae sunt. Cfr. v. g. *Summam* Coloniensem (188), Goffredi de Trano, Hostiensis (189).

(186) Archiv. f. k. K. t. 65. p. 45.; Act. S. Sed. vol. XXI. p. 517. sq.

(187) *Lawin* l. c. p. 49. sq.; 105. sq. 160. sq. 212. 215.; *Schulle* l. c. t. I. p. 216. sq. t. II. p. 475. sq. 489. sq.

(188) *Schulle* l. c. t. I. p. 223. sq.

(189) Cfr. de *Summa* titulorum (Decretalium) *Balduini*: *Schulle* l. c. t. II. p. 498. sq.

Distinctiones dicebantur breves et systematicae exhibitiones conclusionum canonicarum sive regularum iuris secundum ordinem fontium. Cfr. Richardum Anglicum (190). Quae *Distinctiones* interdum etiam *Repetitiones* dicuntur et sunt magis extensae et solidiores explicationes singularis cuiusdam legis ecclesiasticae (191).

Quaestiones sunt solutiones diversarum causarum canonicarum ad instar methodi servatae in secunda parte Decreti Gratiani (192). Cum istis *Quaestionibus* maximam similitudinem habent *Casus*, quorum collectionem publicavit Benencasa († a. 1206,) (193).

Brocardae dicebantur breves conclusiones canonicae ex fontibus deductae, quae non raro fuerunt obiecta disputationum neque semper certo ordine legali vel systematico sunt collectae. E contra *Notabilia*, *Apostillae*, *Reportationes* sunt collectiones conclusionum canonicarum secundum ordinem fontium atque praeformationes commentariorum iuris Decretalium, in quibus ordine systematico sub singulis titulis doctrina canonica explicatur (194).

312. Cum *ordo legalis* in scholis observatus etiam in libris conscribendis accurate retineretur, rara sunt exempla, quod universum ius canonicum *proprio* quodam *ordine* proponeretur. Quare unice in *tractatibus singularibus* maior libertas scriptoribus canonicis fuit relicta. Et revera in tractatibus singularibus de matrimonio (195) et de ordine iudiciario (196) iam inde a Tancredo et Durantis canonistae non rigorese ordinem legalem sequuntur. Qui tractatus singulares praesertim ex saeculo decimo quinto incredibili numero prodierunt, et ex his non pauci spectant ad ius publicum Ecclesiae atque relationem inter Ecclesiam et Statum (197). Denique praecla-

(190) Qui auctor scripsit « *Distinctiones* » super decretis. Cfr. *Laurin* l. c. p. 49.

(191) *Scherer* l. c. t. I. p. 260.

(192) Incerti auctoris (36) quaestiones (inter a. 1154.-1179.) publicavit *Thauer* in ed. cit. *Summae Rolandi* p. 237. sq.; *Schulle* l. c. t. I. p. 234. t. II. p. 510.

(193) *Laurin* l. c. p. 50.; *Schulle* l. c. t. I. p. 234. sq. l. II. p. 489. sq., *Bernardi Pap.*, *Summa* ed. *Laspeyres* l. c. p. 327. sq.

(194) *Laurin* l. c. p. 50; *Scherer* l. c. t. I. p. 258. sq.; *Schulle* l. c. t. II. p. 489. sq.

(195) *Bernard. Pap.*; *Tancred.*; *Scherer* l. c. t. I. p. 264.; *Schulle* l. c. t. II. p. 507.

(196) *Scherer* l. c. t. I. p. 266. sq.; *Schulle* l. c. t. II. p. 508. sq.

(197) *Scherer* l. c. t. I. p. 267. sq.; *Schulle* l. c. t. II. p. 507. sq. 479. 511.

riores canonistae et iuristae sua *Responsa et Consilia* in veris controversiis et causis agitatae data ut plurimum publici iuris facere non dubitarunt (198).

313. Scholion I. Quae fuerit medio aevo pars singularum nationum in excolendo iure canonico sive in scholis sive in libris scriptis, generatim cum aequitate exponit *Schulte*, *Gesch. d. Quell.* t. II. p. 536. sq.

Scholion II. Quamvis historia litteraria de foro interno sive poenitentiali ab historia litteraria iuris canonici non sit prorsus aliena, tamen disquisitionem historicam de hac re ex professo instituendam professoribus theologiae moralis relinquimus. Neque ad scientiae canonicae emolumentum multum videtur conferre, si quis assertiones *Schulte* de foro poenitentiali eiusque scriptoribus longe lateque refutare conetur. Cfr. *Schmitz*, *D. Bussbuecher*; *Scherer* l. c. t. I. p. 264. sq.; *D'Annibale* l. c. P. I. n. 1. sq.

TITULUS XVI.

HISTORIA LITTERARIA SCIENTIAE IURIS ECCLESIASTICI A CONCILIO TRIDENTINO USQUE AD PIUM X. (a. 1545./1563.—1912.).

§ 1. A CONCILIO TRIDENT. USQUE AD PIUM VII. (a. 1545.—1801.).

I. De scholis et libris canonicis huius epochae universim spectatis.

314. *Concilium Tridentinum* cum non solum multa nova decreta disciplinaria condidisset (1), sed etiam iuris antiqui sanctiones modo expresse renovasset (2) modo in non paucis immutasset (3), novi studii canonici amplissimam subministravit materiam. Pro more autem antiquorum Glossatorum et commentatorum decretis Concilii Tridentini Glossas et commentarios apponere nefas fuit. Prohibuit enim Pius IV., quominus a doctoribus privatis decreta Tridentina glossarentur, atque ipsa ratio scientiae huiusmodi methodum non commendavit. Quamvis enim universa decreta Concilii Tri-

(198) *Scherer* l. c. t. I. p. 268.; *Schulte* l. c. p. 510.

(1) *Phillipps* l. c. t. IV. p. 468. sq.

(2) Ed. *Richt.* *Conc. Trid.* p. 631.

(3) *Maschal*, *Instit. canon.*, *Elench.* II. sq.

dentini ad instar unius codicis eodem die a Romano Pontifice essent confirmata, tamen singulae sessiones minore ordine (4) interno inter sese sunt colligatae, quam vel ipsi libri atque tituli iuris Decretalium. Porro ordo iste mere externus et accidentaliter singularum sessionum non fuit aptus, qui in disputatione scholastica retineretur. Quare aut nova quaedam systemata novo iuri fuerunt adaptanda (5), aut retento ordine legali denuo redeundum fuit ad praxim antiquorum commentatorum velut Goffredi de Trano, Hostiensis, i. e. sub singulis rubricis ordine systematico materia tituli fuit exponenda, atque ius Tridentinum et pontificium novarum Constitutionum Apostolicarum suis locis inserendum (6).

Hinc factum est, ut inde a fine saeculi (7) decimi quinti praelectiones ordinariae de *Decreto Gratiani*, cui tempore medii aevi in universitatibus primaria cathedra fuerat reservata, magis magisque omitterentur; et unice de *Decretalibus Gregorii IX.* et de *Libro Sexto* et de *Clementinis* (8) ordinariae haberentur praelectiones. Quibus ex saeculo decimo sexto tanquam extraordinaria atque etiam ordinaria accessit praelectio de *Institutionibus* canonicis. Denique cum non pauca in iure antiquo fuissent immutata, *ius vigens* ab *historia iuris* in disputationibus scholasticis accuratius fuit discernendum, ne res plane antiquatae ut disciplina vigens traderentur, aut iis omnino omissis connexio historica pessumderetur (9).

Quare optimo iure affirmari potest scientiam canonicam inde a Concilio Tridentino non obstantibus compluribus dif-

(4) Ed. *Richt.* Conc. Trid. p. XI. sq. Ordo legendi decreta reform. per Conc. Trid. facta.

(5) Huc spectant tentamina *Cucchi*, *Lancelotti*, *Henr. Canisii*.

(6) Inter hos eminent *Pirhing*, cuius vestigia multi scriptores ex fine saecul. 17. secuti sunt. Cfr. quae *Pirhing* in proem. § 6. de methodo tractandi ius canonicum apte disserit. Unice forte desiderandum fuisset, ne nimis rigide *ordinem legalem* retinisset, et ut novam suam methodum etiam ad partem *historicam* extendisset.

(7) *Schulte* l. e. t. III. b. p. 315. Nihilominus usque ad revolutionem gallicam tum in Italia tum in Gallia praelectiones saltem de partibus quibusdam Decreti Gratiani non plane cessarunt. Cfr. *Schulte* l. e. p. 326. sq.

(8) In his libris explicandis methodus mere exegetica et ordo capitum nondum omnino fuerunt derelicta, ut patet ex comment. *Laymanni*, *Wagnereck*, *Fagnani*, *Passerini* aliorumque.

(9) Qua in re *Thomassinus*, *Benedictus XIV.*, *Biner*, *Devoti*, *Ponsius* cruditionem historicam magis cum iurisprudencia ecclesiastica coniungere coeperunt.

ficultatibus in diversis regionibus existentibus veros progressus fecisse atque multos viros catholicos insigni eruditione canonica fuisse instructos. Quodsi huiusmodi eruditio *Schulte* (10) non placet, et ipse sub specie iuridicae scientiae et argumentis ex Indice, Inquisitione, censura librorum aliisque ex fontibus repetitis universam istam epocham deprimere studet, non raro profert assertiones solide non probatas parumque sibi constat. Propria autem sua descriptione universitatum *nostrae aetatis* optime probat auream aetatem in illis nondum appropinquasse et discipulis antiquarum scholarum canonicarum a comparatione cum modernarum universitatum alumni non esse refugiendum. Inde tamen minime infitiamur severum istum censorem nonnullos abusus huius temporis recte notasse (cfr. l. c. p. 285.) aut subsequentes insinuasse omissiones vere deplorandas. Cfr. l. c. p. 305. sq. Desiderandum esset, ut secundum adagium “*Ab hoste consilium* „, huiusmodi lacunae supplerentur.

II. De scriptoribus et libris canonicis huius epochae in specie.

315. Huic epochae illud proprium est, ut paulatim pars *historica* studii canonici maiore cura expoliretur. Quam curam imprimis ipsis fontibus impendunt: *Ioannes Quintinus*, natus a. 1500. Augustoduni in Gallia, presbyter ordinis Hospitalior. S. Ioannis, ex a. 1536. professor iuris canonici in universitate Parisiensi († a. 1561.). Is in suo opera: *Speculum Sacerdotii* aliqua, quae ad emendandum Decretum Gratiani conferrent, notavit (11), et alia quoque praesertim de graecis fontibus conscripsit. *Antonius Demochares* (de Mouchy), professor theologiae in universitate Parisiensi († a. 1574.), novam *Decreti Gratiani editionem* (a. 1547.) publici iuris fecit, in qua multos defectus notat, inscriptiones non paucas emendat, textum corrigit (12). *Antonius Contius* (Le Conte), natus a. 1517. Noviomagi in Gallia, professor iuris civilis (a. 1551.) in univers. Bituricensi et Aurelianensi († a. 1586.), pariter in *emendando Decreto Gratiani* (Paris. 1556.) et praesertim in *notandis*

(10) *Schulte* l. c. t. III. b. p. 286 sq.

(11) *Laurin* l. c. p. 61.; *Schulte* l. c. p. 556. sq. t. III. p. 555. Quod Carolus Molinaeus († a. 1568). (Du Moulin) in emendando Decreto Gratiani utiliter praestitit, id aliis suis additamentis corrumpit. Cfr. *Laurin* l. c. p. 61. sq.

(12) *Laurin* l. c.; *Schulte* l. c.

falsis Decretalibus operam suam collocavit (13), item Decretales Gregorii IX. aliasque collectiones Decretalium novis curis publicavit, Antverp. 1569. sq. (14).

Antonius Augustinus (15) toto saeculo decimo sexto inter promotores historiae iuris canonici facile princeps existit. Lucem aspexit Caesaraugustae a. 1517. Post finita prima studia iuris civilis in universitate Salmanticensi a. 1535. Bononiam profectus est, ut in collegio hispanico iuris et artium liberalium studia sub praeclaris magistris velut Alciato continuaret atque absolveret. Cum Patavii etiam Mariani Socini iunioris praelectiones audisset, finitis studiis Florentiam discessit et a. 1543. Venetiis prima specimina scientiae suae publicavit: "*Emendationum et opinionum iuris civilis libri IV.*.. Eodem a. 1543. iam Decreti Gratiani emendandi laborem susceperat. Interim a. 1544. Romae factus est Auditor Rotae atque a. 1555. Episcopus in Italia inferiore (Alife). A qua sede a. 1561. in Ilerdensem dioecesim est translatus. Interfuit ultimis sessionibus Concilii Tridentini atque deinde in patriam rediit, ut dioecesim suam administraret. Denique a. 1576. Archiepiscopus Tarraconensis nominatus est, in qua sede a. 1586. diem supremum obiit. Praeclarum suum opus: "*De emendatione Gratiani dialogorum libri duo* „ finierat, cum a. 1582. novam Gregorii XIII. editionem acciperet. Quare manuscripto suo completo "*Additiones* „ apposuit; inde accidit, ut universum opus demum anno 1587. Tarracone post mortem auctoris prodierit (16).

Carolus Sebastianus Berardi (17) post Ant. Augustinum is est auctor, qui de critica Decreti Gratiani examinatione (non raro tamen hypercritica) optime meritus est. Qui canonista natus est a. 1719. Uneliae. Post absoluta studia humaniora theologiae et utrique iuri operam dedit et sacerdotio initiatus

(13) *Laurin* l. c. p. 62. sq.; *Schulle* l. c. p. 559.

(14) Ex Gallia de fontibus canonicis optime meriti sunt: *Iacob. Sirmond*, qui natus est a. 1559. et obiit a. 1651. (cfr. *Hurter*, Nomenclator (ed. 2.) t. I. p. 449. sq.); *Petr. Coustant*, Compendii natus a. 1654. praesertim sua edit. epist. Rom. Pontif. debitam laudem obtinuit. A qua editione perfienda morte a. 1721. impeditus est. Cfr. *Hurter* l. c. (ed. 2.) t. II. p. 1103. sq.; *Schulle* l. c. p. 631. sq.

(15) *Nicol. Antonius*, Bibl. Hispan. nov. I. 97. sq.; *Maassen* l. c. p. XIX. sq.; *Schulle* l. c. p. 723. sq.

(16) Ex aliis ipsius operibus potissimum *Epitome* iuris pont. et *Antiquae collect.* Decretal. sunt commemorandae.

(17) *Schulle* l. c. p. 541.; *Hurter*, Nomenclator (ed. 2.) t. III. p. 179. sq.

inde ab a. 1754. in universitate Taurinensi usque ad a. 1768., quo mortuus est, professor iuris canonici exstitit. Praeter opus iam insinuatam: *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti*, Aug. Taurin. 1752. sq. scripsit: *Commentaria in ius ecclesiastic. universum*, Aug. Taurin. 1766.; *Institutiones iuris eccl.* Aug. Taurin. 1769., opera caute legenda.

Petrus Ballerini (18), qui de antiquis canonum collecto-ribus et collectionibus optimam publicavit elucubrationem, Veronae a. 1698. natus est. Absolutis studiis a. 1722. sacerdos factus dimissoque officio Rectoris academiae Veronensis unice rebus litterariis sese dedicavit. Quorum laborum fructus est eximia editio *operum S. Leonis M.*, ad quam accessit tanquam parergon: *De antiquis tum editis tum ineditis collectionibus et collectoribus canonum ad Gratianum usque tractatus in quatuor partes distributus*, Venet. 1757. Item Ballerini sua eruditione canonica et historica usus est, ut contra Febronium defenderet primatum Rom. Pontificum (19). Ex hac vita decessit a. 1769.

Hieronymus Ballerini, qui fratrem suum in edendis operibus adiuvit, natus est a. 1702. diemque supremum obiit a. 1781.

Ioannes Dominicus Mansi ortum habuit Lucae a. 1692. et iam a. 1708. clericis regularibus Matris Dei fuit adscriptus. Inter opera historica et theologica, quibus tota ipsius vita fuerat dedicata, praesertim eminent amplissima collectio Conciliorum, cuius tom. I. prodiit Florentiae 1759. Anno 1765. factus est Archiepiscopus Lucensis. Obiit a. 1769., cum collectio Conciliorum nonnisi usque ad tom. XV. typis mandata esset. Quae collectio demum a. 1798. finita usque ad nostram aetatem meliore non est suffecta. Cfr. *Hurter*, Nomenclator (ed. 2.) t. III. p. 117. sq.; *Schulte*, Gesch. d. Q. t. III. p. 97.

Franciscus Zaccaria S. I. non solum ut vindex insignis genuinae constitutionis Ecclesiae, sed etiam ob sua merita de historia fontium et iuris canonici hoc loco singularem mentionem meretur (20). Natus est Venetiis a. 1714. atque

(18) *Hurter* l. c. p. 93. sq.; *Schulte* l. c. p. 516. sq.

(19) De vi ac ratione primatus Rom. Pontificum et de ipsorum infalibilitate in definiendis controversiis fidei, Veronae 1766.; De potestate ecclesiastica Summor. Pontif. et Concilior. general., Veron. 1768.

(20) *Schulte* l. c. p. 522. licet admittat cruditionem historicam Zaccariae, tamen perperam putat Zaccariam ob praediuicatas opiniones curialistarum facta historica non reete diiudicasse.

a. 1731. soc. Iesu est adscriptus. *Muratori* successit a. 1754. tanquam bibliothecarius Ducis Mutinensis. Post suppressam societatem Iesu a Pio VI. nominatus est professor in universitate Romana atque a. 1795. mortuus est. Longum catalogum ipsius operum recensent Fratres *Backer* in *Bibl. scriptor. S. I.* Cfr. quoque *Hurter*, Nomenclator t. III. p. 416. sq.

316. Non pauci scriptores inde a Concilio Tridentino consilium ceperunt speciales conscribendi *introductiones*, inter quos eminent: *Boetius Epo* (21), qui a. 1529. in Frisia natus, Coloniae litteris humanioribus et philosophiae studuit, deinde theologiae et iuri operam dedit. Post non paucas divagationes Parisiis haeresim Calvinianam abiuravit et obtento in universitate Tolosana gradu doctoris in utroque iure ab a. 1562. usque ad mortem a. 1599. in nova universitate Duacensi fuit professor iuris. Scripsit: *Antiquitatum ecclesiast. syntagma*, Duaci 1578.; *Heroicar. et ecclesiasticar. quaestion. libri VI.* Duac. 1588.

Ioannes Doviatus (Doujat) (22) originem duxit Tolosae a. 1609. ex familia advocatorum parlamenti. Finitis studiis legitimis in patria sua iam ex a. 1637. officio advocati functus est. Cum a. 1651. in collegio regio Franciae Parisiis designatus esset professor iuris canonici, quatuor annis post ad primam cathedram facultatis iuridicae fuit promotus, quam usque ad mortem (a. 1688.) tenuit. De principali ipsius opere, quod pro sua aetate fuit elucubratio vere insignis, neque nostro tempore valore plane caret, cfr. supra h. tom. I. n. 64. Praeterea Doujat scripsit: *Notae ad Institutiones P. Lancelotti*, Paris. 1648.; *Specimen iuris canon. apud Gallos usu recepti*, Paris. 1671.

317. In Germania post *Hunoldum Plettenberg* praesertim laudandus est *Franc. Xav. Zech* (23). Is natus est a. 1692. Ellingae in Franconia et post finita Dilingae studia philosophica a. 1712. societati Iesu nomen dedit. Expleto curriculo studiorum theologicorum mox variis in collegiis philosophiam et theologiam et ius canonicum docuit. Quo in iure tradendo cum Oeniponti versaretur, a. 1743. ad universitatem Ingolstadiensem est translatus, ubi usque ad. a. 1768. et ius canonicum docuit et sex volumina suarum Institutionum iuris

(21) *Schulle* l. c. p. 685. sq.; *Hurter* l. c. t. I. p. 120.

(22) *Schulle* l. c. p. 608. sq.; *Hurter* l. c. t. II. p. 569. sq.

(23) *Backer* l. c. v. *Zech*; *Hurter* l. c. t. III. p. 175. sq.; *Schulle* l. c. p. 179. sq.

ecclesiastici composuit nova methodo suisque temporibus magis accommodata. Deposito munere docendi a. 1768. Monachium recessit, ubi a. 1772. vita functus est. Ultimus fuit praeclarus canonista ex antiqua universitate Ingolstadiensi, cuius opera usque ad nostram aetatem suo valore praestant. “ *Alle seine Schriften sind recht brauchbar* „, vel ipse *Schulte* fatetur. Quam laudem sibi conciliat ob solidam disputandi rationem, non propter principia catholica expolita et extenuata.

Iacobus Zallinger (24) natus est Bulsani in comitatu Tirolensi a. 1735. Postquam a. 1753. societatem Iesu ingressus est et studia theologica absolvit, potissimum in docenda philosophia fuerat occupatus, sed post ann. 1773. August. Vindel. ius canonicum per triginta fere annos tradidit scriptisque illustravit. Qua in re solidis principiis antiquae scholae retentis Zechii exemplum secutus, cuius libris multum utitur, novis necessitatibus servire non recusavit suisque operibus canonicis libros subsidiarios sive isagogicos adiunxit. Mortuus est in patria sua a. 1813.

318. In Italia. *Maurus Sarti*, Ord. Camald., Bononiensis, natus a. 1709., Abbas ad S. Greg. in Urbe, multum contulit ad promovendam historiam litterariam iuris canonici illo opere, quod hortante Benedicto XIV. conscripsit: “ *De clar. archigymn. Bononiens. professorib. a saec. XI. ad saec. XIV.*, Bonon. 1769.–1771. Sarti mortuus est a. 1766. Cfr. *Hurter* l. c. t. III. p. 143.

Iosephus Pons (Ponsius) (25) lucem aspexit Barcinone a. 1730., societati Iesu nomen dedit a. 1746. Post expulsionem Patrum S. I. ex Hispania, ubi officium docendi exercuerat, in Italiam venit atque ibidem etiam post suppressam societatem Iesu variis in collegiis et seminariis philosophiam, historiam ecclesiasticam, theologiam, ius canonicum docuit, donec ann. 1816. Spoleti mortuus est. Ex non paucis ipsius operibus ad ius canonicum spectant: *Ius canonicum*.... sive de ratione discendi et docendi ius canonicum, Fulginiae 1794.; *De antiquitatib. iur. can. secundum titulos Decretal.*, Spoleti 1807.; *Dissertatio historica dogmatica de materia et forma sacrae ordinationis et singillatim presbyteratus*, Bononiae 1775.; *Historia studior. iuris civilis* ab ed. duod. tabul. usque ad

(24) *Backer* l. c. v. *Zallinger*; *Hurter* l. c. p. 671. sq.; *Schulte* l. c. p. 250. sq.

(25) *Backer* l. c. v. *Pons Ioseph.*; *Hurter* l. c. t. III. p. 678.

saecul. dec. oct. Fulginiae 1788.; *De vita et honest. cleric.*..... ex universo iuris corpore et Conc. Trid. selecti canones criticis notis et observationib. illustrati, Spoleti 1800. Ponsius illis canonistis catholicis adnumerandus est, qui iam ultimis saeculis necessitatem promovendi studia historica in excolendo iure canonico magis perspectam habuerunt et proprio labore operi exequendo haud sine successu manum admo-verunt.

319. Maximus est numerus scriptorum, qui hac epocha *tractatibus singularibus* partes quasdam iuris canonici exponendas susciperent; at qui universum ius canonicum via et ratione proponerent, multo pauciore circumscribuntur numero. Id, quod mirum non est. Nam non solum compendia sunt dispendia, a quibus non pauci refugiunt, sed etiam universi iuris canonici commentarii, si solidi sint vereque scientifici, eam requirunt in auctore fontium et scriptorum cognitionem profundam et experientiam in docendo, quam quis non nisi longo annorum labore sibi comparare potest.

Concilio Tridentino nondum finito, qui conscriberet Institutiones iuris canonici, primus fuit Ioannes *Paulus Lancelottus* (26). Originem ducit ille canonista ex civitate Perusina, ubi a. 1522. natus est. Post obtentam a. 1546. lauream doctoris iuris mox in universitate Perusina videtur munus docendi exercuisse. Cum anno 1557. de approbatione publica Institutionum Lancelotti ageretur, Romam profectus est; at cum magno suo moerore, ut ipsius opus ad instar Institutionum Imperatoris Iustiniani tanquam liber legalis et scholasticus a R. Pontifice approbaretur, obtinere omnino non potuit. Quare a. 1560. Perusium rediit atque ibidem ut doctor privatus a. 1563. suas Institutiones publicavit. Anno 1590. diem supremum obiit. Quantam famam Institutiones huius canonistae laici et matrimonio iuncti fuerint consecutae, non solum patet ex multis illarum editionibus, sed etiam exinde, quod non pauci scriptores notas et commentaria in Institutiones Lancelotti publicarint (27).

Marcus Antonius Cucchus (28), iuris canonici professor in universitate Papiensi sive Ticinensi, iam a. 1564. Institutiones

(26) *Hurter* l. c. t. I. p. 121. sq.; *Schulle* l. c. p. 451. sq.

(27) V. g. *Caponi*, *Inst. canonicae*. Cfr. *Schulle* l. c. p. 502. sq. et 451. sq.; *Hurter* l. c.

(28) *Hurter* l. c. t. I. p. 40. sq.; *Schulle* l. c. p. 450.

iuris canonici fecerat publici iuris, quas auctas et recognitas et insertis etiam opportune S. Trident. Conc. decretis a. 1565. denuo publicavit. Quae Institutiones S. Carolo fuerunt dedicatae et quatuor libris universam doctrinam canonicam brevi compendio comprehendunt; ita liber I. = I. Decretal.; lib. II. = lib. III. Decr.; lib. III. = lib. IV. (et de aliis sacram.) et lib. II. Decret.; lib. IV. = lib. V. Decretal. Ex reliquis Institutionum scriptoribus in Italia velut Pilaia, Chiavetta, Febeo, Gravina, Migliorucci, Sachi, Gasparro iam supra commemoratus est Berardi. Speciali mentione digni sunt: *Ioannes Bartholi*. Is natus est Venetiis a. 1695., studuit theologiae atque utriusque iuri, in quo lauream consecutus est. Anno 1731. obtinuit cathedram iuris canonici in universitate Patavina et a. 1747. Episcopus Feltrensis factus est. Quo officio dimisso in Curia Romana electus est Archiepiscopus Nazianzenus et ibidem a. 1776. mortuus est. Hortante Benedicto XIV. publicavit: *Institutiones* iuris canonici, Ausugii a. 1749., quas eidem R. Pontifici dedicavit (29).

Ioannes Devoti (30), Romanus, natus a. 1744., in Urbe studiis legitimis et canonicis operam dedit atque adolescens 20 annorum in universitate Romana iam renuntiatus est professor iuris canonici. Quam cathedram tenuit, donec a Pio VI. in Episcopum Ananiensem assumptus est. Resignatione facta huius officii a Pio VII. a. 1804. in Curia Romana electus est Archiepiscopus Carthaginiensis, cui dignitati alia gravissima munera accesserunt. Romae a. 1820. ex hac vita migravit. Ipsius opera canonica iam supra h. tom. I. n. 70. 71. relata sunt, quae quamvis in secundariis quaestionibus emendatione indigeant, tamen perspicua et eleganti forma scribendi et solido et erudito disserendi modo, inter primarias Institutiones iuris canonici usque ad nostram aetatem optimo iure recensentur. Hoc loco iuvat denuo notare illam fabulam, qua eruditae notae illarum Institutionum canonicarum *Devoti* abiudicantur atque Pio VIII. adscribuntur (31). Huiusmodi fabulae, quae originem repetere videntur ex confusione nominum et rerum (32) atque praesertim ex relatione Moroni (33), obstant

(29) *Hurter* I. c. t. III. p. 188.

(30) *Hurter* I. c. t. III. p. 677. sq.; *Schulle* I. c. p. 528. sq.

(31) Quam fabulam recte refutat etiam *Nilles* in *Aet. theol. Oenip.* t. I. p. 282.

(32) *Nilles* I. c.

(33) *Moroni*, *Dizionario* t. 53. p. 172. sq. " Pio VIII.... nacque in Cin-

expressa testimonia Devoti sibi illas notas vindicantis. Praeterea contraria sententia manifesto nititur *anachronismo*. Nam notae historica eruditione insignes iam reperiuntur in *prima* editione Institutionum canonicarum anni 1785. Neque quidquam mirum est, Devoti, qui iam a 20 annis tenuit cathedram canonicam illarum notarum esse auctorem. At plane incredibile est Pium VIII., eo tempore adolescentem 23 annorum vix e studiis egressum, doctissimas illas notas composuisse, et Devoti, insignem professorem iuris canonici et virum constantem 40 annorum, notas ab adolescentulo mutuasse et Institutionibus suis quasi *a se* concinnatas inseruisse (34).

320. In Germania secundum exemplum a Lancelotto datum primus post Concilium Tridentinum a. 1594. *Summam* iuris canonici in quatuor Institutionum libros contractam scripsit *Henricus Canisius* (35), nepos B. Petri Canisii. Ortum habuit Neomagi a. 1548. atque obtenta in universitate Lovaniensi laurea doctoris in utroque iure ab a. 1590. in universitate Ingolstadiensi fuit professor iuris canonici et ibidem a. 1610. mortuus est. Henricus Canisius quamvis clero non esset adscriptus, tamen coelibem semper duxit vitam; eminet doctrina canonica ex ipsis fontibus hausta et cum perspicuitate certoque ordine tradita. Quare ipsius *Summa*, quae inter illius opera canonica praestat, saepius impressa multumque divulgata est. Denique non est omittenda insignis Canisii eruditio historica.

Ioannes Strein (36) natus a. 1581. Waldurae in Franconia, post ingressum in Societatem Iesu (a. 1604.) et absoluta studia variis in collegiis philosophiam et theologiam et ius canonicum docuit. Cancellarii munere in academia Bambergeni diu functus est atque ibidem a. 1662. ex hac vita migravit. Praeter tres compendiaras disputationes de tribus primis libris Decretalium scripsit: *Summa iuris* canonici. Colon. 1658-59., qua satis amplo volumine perspicue et pra-

goli ai 20 novembre 1761.... Indi si associò allo studio del dottissimo prelado Devoti, col quale travagliò nella di lui bell'opera intitolata: Inst. iur. ean.... Si ritengono (Sic! Quo iure?) del Castiglione le copiose ed erudite note alle Institutiones, che a guisa di commentario perpetuo le accompagnano e completano ».

(34) Cfr. Praef. Inst. eanonic. I. ed. : « *Reliquum est, ut aliquid dicam de nolis* » etc., lib. II. lit. 10. § 1. not. 1.

(35) *Hurter* I. c. t. I. p. 203. sq.; *Schulle* I. c. p. 130. sq.

(36) *Backer* I. c. v. *Strein*; *Schulle* I. c. p. 138. sq.; *Hurter* I. c. t. I. p. 483.

ctice secundum systema Institutionum et cum variis appendicibus universum ius canonicum exponit. *Paul. Laymann* S. I. natus a. 1575. prope Oenipontem, professor philosophiae, theologiae moralis, iuris canonici in diversis universitatibus, mortuus est Constantiae a. 1635. (37). Qui auctor iam in suam *theologiam moralem* non paucos *tractatus* potius *canonicos* transtulit, ut ipse fatetur, et solidiorem illam methodum, quam postea *Pirhing* aliique ex fine saeculi decimi septimi tenuerunt, videtur praeformasse. Ex ipsius opere: *Ius canonicum*, sive commentaria in libros Decretalium, Diling. 1666. sq. quart. et quint. vol. incendio dicuntur fuisse destructa.

Pirhing et *Engel* inde a secunda fere parte saeculi decimi septimi longam seriem canonistarum auspiciati sunt, qui relicto ordine capitum et methodo mere exegetica in Germania circiter per integrum saeculum universum ius Decretalium magna cum diligentia et eruditione exposuerunt. Cuius seriei felix clausula dici possunt *Zech* et *Zallinger*, quorum iam supra facta est mentio.

Enricus Pirhing (38) a. 1606. Sigartae in Bavaria ex nobili familia natus, post finita studia legitima anno 1628. Societati Iesu nomen dedit atque philosophiam, controversias, theologiam moralem, maxime vero per 12 annos ius canonicum in universitate Dilingana docuit. Diem supremum obiit a. 1679. (?) Qui auctor postquam iam inde ab anno 1644. tractatus singulares de iure canonico publicare coepit, tandem ab a. 1674.-1678. "*Ius canonicum* „ publici iuris fecit, qua nova quadam methodo, attentis singulis capitibus, et quantum opus est, explicatis, et ordine systematico servato singulos libros et titulos Decretalium solide explicat. Quod opus merito insigne habetur et non paucis successoribus fuit exemplum et fons atque thesaurus. Denique a sodali quodam P. *Pirhing* in compendium est redactum et prodiit Dilingae

(37) *Backer* l. c. v. *Laymann*; *Hurter* l. c. t. I. p. 363. sq.; *Schulte* l. c. p. 133., ubi de theologia morali *Laymann* ea profert iudicia, quae solida scientia theologiae moralis non nituntur. Quodsi i. f. existimat *Laymann* propter suam sententiam de Papa haeretico nunc censurae Indicis esse subiiciendum, proh dolor in impugnanda definitione Vaticana nondum intellexit a Concilio Vaticano definitam esse *infallibilitatem magisterii* R. Pontificis, non *praerogativam* quandam *personae* R. Pontificis concessam nunquam amittendi *fidem catholicam*! Cfr. *Palmieri*, De Rom. Pon. p. 717. sq.

(38) *Baeker* l. c. v. *Pirhing*; *Hurter* l. c. t. II. p. 250. sq.; *Schulte* l. c. p. 143. sq.

a. 1690. sub titulo: *Facilis et succincta ss. canonum doctrina*. Cui longiori titulo melius substitui solet alter: *Synopsis Pirhingiana*.

Ludovicus Engel O. S. B. (39), Wagramensis, in Austria inferiore natus est. Post ingressum in monasterium Mellicense mox Salisburgum missus est, ubi Patribus Benedictinis universitas studiorum fuerat concedita, utrique iuri operam daturus. Obtenta laurea in utroque iure a. 1657. iam a. 1660. professor iuris canonici in eadem universitate nominatus est. Vita functus est a. 1674. Engel publicavit: *Collegium universi iuris canonici*, Salisburgi 1671.–1674. Quod opus tribus tomis discreti voluminis propter perspicuitatem, vitatam nimiam prolixitatem, practicam et sobriam et solidam disserendi rationem circiter intra saeculum quindecim editionibus fuit divulgatum.

Anacletus (40) *Reiffenstuel* O. S. F. natus a. 1641. in Tergernsee docuit suos sodales philosophiam, theologiam atque ius canonicum. Inde ab a. 1683. etiam in lyceo Frisingensi ius canonicum professus est. Frisingae a. 1703. ex hac vita migravit. Anacletus praeter theologiam moralem (postea per P. Ricci a Cimbria secundum probabiliorismi theorias retractatam) praesertim celebrioribus et melioribus canonistis optimo iure accensetur propter opus suum canonicum: *Ius canonicum universum*, quod universas quaestiones canonicas clare et solide et eximia legum et canonum scientia proponit ideoque usque ad nostram aetatem etiam in Curia Romana magni habetur. Cuius operis anno 1853. Parisiis prodiit *compendiaria editio*.

Petrus Leurenus (41), Coloniensis, natus a. 1646. iam a. 1663. Treveris in novitiatum Societatis Iesu ingressus est. Per multos annos docuit theologiam scholasticam et ius canonicum; obiit a. 1723. Ex operibus ipsius canonicis eminet: “ *Forum ecclesiasticum* „, in quo ius canonicum universum solide explanat; at magis commendandus est ipsius tractatus singularis: “ *Forum beneficiale* „, qui usque ad nostram aetatem quoad partem iuridicam exhibet completissimam expositionem iuris beneficiarii. Cui tractatui merito subiungitur alter, cui titulus: “ *Vicarius episcopalis* „.

(39) *Hurter* l. c. t. II. p. 248. sq.; *Schulle* l. c. p. 150. sq.

(40) *Hurter* l. c. p. 897. sq.; *Schulle* l. c. p. 154. sq.

(41) *Baeker* l. c. v. *Leurenus*; *Hurter* l. c. p. 1220. sq.; *Schulle* l. c. p. 155.

Franciscus Schmalzgrueber (42) S. I. natus a. 1663. Griesbachii in Bavaria, docuit philosophiam atque theologiam moralem, imprimis vero in universitatibus Dilingana et Ingolstadiensi ius canonicum explicavit. Dilingae a. 1735. mortuus est. Scripsit: *Ius ecclesiasticum universonum*, quod universonam doctrinam canonicam perpiscue et complete pro sua aetate proponit et etiamnuc magni habetur. Cuius operis ad instar Synopsis Pirhingiana prodiit: *Compendium*, Aug. Vind. 1747. Schmalzgrueber quoque bene abbreviatus maxima ex parte dicendum est Ius canonicum a Grandclaude Paris. 1882.-1883. publicatum. Denique Schmalzgrueber publici iuris fecit: *Consilia seu responsa iuris*, Ingolstad. 1722.

Vitus Pichler (43) S. I., Bavarus, natus a. 1670. in Grossberghofen, ante ingressum in societatem iam sacerdos curam animarum egit; postea scholis habendis est applicatus atque imprimis docuit theologiam polemicam August. Vind. et ius canonicum Dilingae et Ingolstadii. Mortuus est a. 1736. Ex ipsius operibus canonicis, quae propter perspicuitatem et relativam brevitem multum fuerunt usitata, maxime praestant: *Candidatus iurisprudentiae etc.*, Ingolstad. 1716.-1721.; *Candidatus abbreviatus iurisprud. sacr.*, Aug. Vind. 1733.; *Summa iurisprudentiae sacrae universonae*, Aug. Vind. 1723.; *Ius canonicum practice explicatum*, Ingolstad. 1728. sq.; *Decisiones casuum ad titulos Decretal. Gregor. IX. cum suis fundamentis*.

Remigius Maschat (44), ex O. Sch. P. Bohemus, natus a. 1692., fuit professor theologiae atque iuris canonici; obiit a. 1747. Maschat publicavit: *Cursum iuris canonici*, Znoymae 1735. Quem cursum sub titulo: *Institutiones canonicae secundis curis* edidit *Ubaldo Giraldo* a. 1759. (Ferrariae 1760.) Institutiones illae canonicae propter praemissas Institutiones civico-canonicas et confectos elenchos utilissimos de immutationibus factis in iure Decretalium per subsequentes leges et propter solidum et concinnum disputandi modum melioribus subsidiis in studio iuris Decretalium sunt adnumerandae (45).

(42) *Baeker* l. c. v. Schmalzgrueber; *Hurter* l. c. p. 1223.; *Schulte* l. c. p. 160. sq.

(43) *Baeker* l. c. v. Pichler; *Hurter* l. c. p. 1223. sq.; *Schulte* l. c. p. 163. sq.

(44) *Hurter* l. c. p. 1519.

(45) Contra illos canonistas catholicos *Barthel*, *Neller*, *Endres*, *Iekstatt*, *Honthelm* aliique facti sunt antesignani novae cuiusdam et perversae scholae canonicae in Germania et Austria. Cfr. *Schulte* l. c. p. 183. sq. 213. sq. 244. 206. 193., ubi viros istos laudibus non debitis celebrat. In pervers-

321. In Gallia *Gregorius Tolosanus* (46) (Pierre Gregoire), natus a. 1540., inde ab 1570. in variis academiis iuris professor et doctor aliquantulum singularis extitit; mortuus est a. 1617. Universum ius canonicum ordine quodam systematico, sed satis imperfecto exponere coepit in suo opere: *Iuris canonici seu pontificii partitiones* etc., Lugd. 1594.

Antonius Blegniannus (47) ex Delfinato oriundus a. 1568. studiis legitimis operam dedit in universitate Tolosana et in variis studiis generalibus Italiae. Demum Valentiae factus est professor iuris canonici, quod ibidem usque ad mortem suam (a. 1626.) docuit. Scripsit praeter *Introductionem* in theor. et praxim beneficior: eccles. (in Indicem relatam!): *Institutiones theoreticae et practicae seu rudimenta iuris canonici*, Valent. 1660. Exiguum compendium exigui valoris.

Ioannes Maioretus (Majoret), quem Doujat tradit fuisse professorem iuris in universitate Tolosana, scripsit: *Commentaria in libros quat. Instit. iur: can. Ioan. Pauli Lancellotti*, Tolos. 1676.

Urbanus ab Ascensione, Carmelitanus et professor theologiae, teste eodem Doujat publicavit: *Institutiones iuris canonici*, Lemovicis 1659. Item *Coelestinus Mirbellus* (Mirebeau): *Institutionum iuris caconici libri duo*, Paris. 1668.; *Petrus Hal-laens* (Halley) († a. 1689.): *Institutionum canonicar. libri IV.* Paris. 1686. (48).

Ultimo loco commemorandus videtur *Ioannes Petrus Gilbert*, qui natus est Aquis Sextiis a. 1660. Post finita studia legitima et canonica factus est doctor utriusque iuris et professor iuris canonici. Parisiis, quo sese receperat, a. 1736. mortuus est. Scripsit: *Institutions ecclésiastiques* etc., Paris. 1720.

Illud singulare est in Gallia, quod tota hac epocha proli-

sis istis princeipiis divulgandis maximam quoque partem habuit *Van Espen* † a. 1728., cuius opera omnia per *decreta* S. O. v. g. 18. Nov. 1732. damnata et prohibita etiam in Indiae Leonis XIII. inter libros prohibitos recensentur. Cfr. *Hurter* l. c. t. II. p. 1225. sq. Quare *Scherer* l. c. t. I. p. 300. not. 2. « citationi » Van Espen per Benedictum XIV. et recentiores quosdam scriptores « curialistas » ? nimium tribuit valorem.

(46) *Schulte* l. c. p. 566. sq.

(47) *Schulte* l. c. p. 582. sq.

(48) *Institutiones iuris canonici*, quas conseripsit, *Franciscus De Roye* († a. 1686.), tandem 23. Sept. 1726. in Indicem libror. prohib. sunt insertae neque ex novo Indiae Leonis XIII. expunctae. *Institutiones* quoque a *Fleury* († a. 1723.) compositae eandem sortem habuerunt atque habent. Cfr. Ind. Leon. XIII. v. *Fleury*.

xiores commentarii iuris Decretalium secundum methodum Pirhing aliorumque non reperiantur. Porro quamplurimi ex istis scriptoribus magis minusve Gallicanismi perversis principiis fuerunt infecti. Id, quod potissimum valet de illis canonistis laicis, qui ex coetu advocatorum et iurisconsultorum parlamentorum prodierunt (49). Praeterea etiam frequentior fit praxis, quae sua utilitate non caret, ut loco linguae latinae etiam in tractatibus canonicis adhibeatur lingua gallica.

322. In Hispania et Lusitania nonnisi pauci scriptores universum ius canonicum tractarunt. Praeter Antonium Augustinum (cfr. supra h. tom. I. n. 315.) speciali mentione digni sunt:

Augustinus Barbosa (50) natus in oppido Guimaraens in Lusitania a. 1589. Post absoluta studia iuridica Romam profectus est, ut ibidem praxim atque styllum Curiae addisceret. In variis bibliothecis Romanis magna cum diligentia atque haud exiguis aerumnis vacavit studiis canonicis, donec circa a. 1632. in Hispaniam rediret. Cum a. 1648. a Philippo IV. ad sedem episcopalem Ugentinam praesentatus esset, Romam repetiit, ut ibidem consecraretur, sed mox a. 1649. mortuus est. Ex ipsius operibus canonicis praesertim recensenda sunt: *Iuris ecclesiastici universi libri III.* Lugd. 1633.: *Collectanea doctorum tam veterum quam recentiorum in ius pontificium universum*, Lugd. 1647. (Ad Decret. Grat. et collect. Decretal. corp. iur. can.): *Collectanea eorum Doctorum, qui in suis operibus Concilii Trident. loca referentes illorum materiam incidenter tractarunt*, Lugd. 1642. Quod opus, cum prodiisset sub titulo: *Remissiones Doctorum super varia loc. C. Trid.*, Olyssip. 1618. d. 6. Iun. 1621. (propter prohib. Pii IV.) in Indicem est relatum, at novo Indici Leonis XIII. non amplius reperitur insertum. Omnia opera Barbosa praestant magna scriptorum et controversiarum et fontium cognitione.

Emannel Gonzalez Tellez (51), doctor Salmanticensis, ab anno 1635. fuit professor iuris canonici, deinde consultor

(49) Huiusmodi advocatorum triste exemplum subministrat *Durand de Maillane*. Is natus est in Gallia meridionali a. 1729. et exerevit officium advocati in tribunali appellationis Aquensi. Seripsit: *Institutes du droit canonique*, Lyon 1770.; versionem *Inst. Laneclotti eum notis*; *Dictionnaire canonique*, Avignon 1761., armarium doctrinarum gallicanarum. Cum a. 1789. electus esset deputatus comitiorum generalium, promovit *matri-monium civile* et composuit eum Martineau *schema constitutionis civilis eleri*, *suffragium* tulit pro *exilio* regis. Mortuus est a. 1814.

(50) *Hurler* l. e. t. I. p. 484. sq.; *Schulle* l. e. p. 746. sq.

(51) *Hurler* l. e. t. II. p. 244., *Schulle* l. e. p. 742.

tribunalis ecclesiastici et Inquisitor. Cum ab aliis dicatur esse mortuus a. 1649., certe ante a. 1673. diem supremum non obiit. Scripsit: *Commentaria perpetua in singulos textus quinque librorum Decretalium Gregorii IX.*, Lugd. 1673. Quae commentaria licet interdum rebus inutilibus abundant et non omnia capita proportione servata et cum vera eruditione canonica explanent, tamen usque ad nostram aetatem sunt melioribus commentariis exegeticis adnumeranda.

Quamplurimi scriptores, e quibus non pauci potius theologis (52) sunt adnumerandi, partes quasdam speciales iuris canonici ex professo explicandas susceperunt. Qua in re pro historia iuris canonici loco omnium nominandus est:

Ludovicus Thomassinus (53) natus a. 1619. Aquis Sextiis anno decimo quarto nondum expleto congregationi Oratorii sese adiunxit. Studiis absolutis primum philosophiam, deinde theologiam Samurii atque Parisiis docuit. Vitam studiis et laboribus impensam finivit a. 1695. Thomassinus cum, quae notatu digniora legeret, illico in scripta referret, omnia sua opera magna eruditione locupletavit. Derelicto theologis iudicio de Thomassini operibus theologis (cfr. *Hurter* l. c.), certe is de iure canonico optime meritus est suis disquisitionibus *de nova et vetere Ecclesiae disciplina* (cfr. supra h. tom. I. n. 67.). Quod opus Van Espen eruditionem historicam maxima ex parte subministravit et non obstantibus suis lacunis et defectibus usque ad nostram aetatem meliore magisque completa historia disciplinae et iuris Ecclesiae non est superatum. Cfr. vel ipsum *Schulte* l. c. p. 616., ubi eximias laudes Thomassino merito persolvit.

Cui praeclaro scriptori ex gallicis canonistis addendi sunt:

Petrus Rebufus (Rebuf) (54), Montispeulanus natus a. 1487. studiis legitimis operam navavit in patria sua et in universitate Tolosana. Docuit ius canonicum in compluribus universitatibus Galliae et ab anno 1534. usque ad mortem (a. 1557.) fuit primarius professor iuris in universitate Parisiensi. Ex

(52) V. g. Card. Robert. Bellarminus S. I. († a. 1621.); Ioannes Bianchi O. S. F. († a. 1758.); Ioseph Orsi O. Pr. († a. 1761.); Hyacinthus Gerdil († a. 1802.); Alphons. Muzzarelli S. I. († a. 1813.); Franc. de Victoria O. Pr. († a. 1546.); Ludovicus Molina S. I. († a. 1600.); Franc. Suarez S. I. († a. 1617.); Ioann. Lugo S. I. († a. 1660.); Adam. Tanner S. I. († a. 1632.); Dionysius Petavius S. I. († a. 1652.).

(53) *Hurter* l. c. t. II. p. 410. sq.; *Schulte* l. c. p. 615. sq.

(54) *Doujal* l. c. I. II. p. 2.; *Schulte* l. c. p. 554. sq.

ipsius operibus canonicis specialem mentionem merentur: *Praxis beneficiorum*, Venet. 1554.–1560.; *Tractatus Concordatorum* (inter Leon. X. et Sed. Apost. ac Francisc. I. regem Francor. et regnum), Paris. 1538. (55).

Petrus Pithou natus a. 1538. vel 1539. studuit iuri civili et canonico. Postquam ex castris Calvinistarum ad Ecclesiam catholicam transiit, partibus Henrici IV. fuit addictissimus atque tandem procurator generalis parlamenti Parisiensis factus a. 1596. obiit. Pithou curavit *melioerum* quandam *editionem corporis iuris canonici*, quam publicare coepit cum Francisco, fratre suo, Paris. a. 1585. At inter patronos gallicanarum libertatum maxime notus est propter opusculum exigui voluminis: *Les libertez de l'église Gallicane, rédigés en 83 articles*, Paris 1594., quo quasi in codicem legalem rediguit libertates gallicanas. Quod opusculum non solum a Cardinali Du Perron aliisque Praelatis Galliae reprobatur, sed etiam a. 1640. in Indicem est relatam neque ex novo Indice Leonis XIII. expunctum. Cfr. *Raess*, D. *Convertiten* t. II. p. 188.; *Schulte* l. c. p. 564. sq.

Andreas Duval natus a. 1565. vel 1564., professor theologiae in universitate Parisiensi, mortuus est Paris. a. 1638. Qui scriptor potissimum notus est ut acerrimus adversarius Simonis Vigorii (n. a. 1555., † a. 1624.) et Edmundi Richerii (n. a. 1560., † a. 1631.), contra quorum gallicana principia vel verius haereticas assertiones defendit praerogativas Sedis Apostolicae. Contra *Richer* scripsit: *Libelli de ecclesiastica et politica potestate elenchus, pro suprema R. Pontificis in Eccl. potestate*, Paris. 1612.; contra *Vigorium* publicavit: *De suprema Rom. Pontificis in Eccles. potestate*, Paris. 1613.; *Tractatus de Summi Pontif. auctoritate* 1622. (56).

(55) Cfr. de Ioanne Quintino supra h. tom. I. n. 314.: *Iacobus Cuias* († a. 1590.), qui inter scriptores de iure Romano maximam celebritatem nactus est, iuri quoque canonico operam suam inpendit. Ipsius autem *Recitationes * ad libros Decretal. ** Gregorii IX. sunt incompletae atque solummodo seeundum notas a scholaribus factas publicatae. Cfr. *Schulte* l. c. p. 560.

(56) Ex „*gallicanis*” eanonistis huius temporis allegandi sunt: *Carolus Fevrel* natus a. 1583., an. 1602. advocatus Parlamenti Burgundici, mortuus est a. 1661. Ipsius opus: *Traité de l'Abus*, Dijon 1653. in Indicem 5. Septemb. a. 1695. relatam, (in quo etiam nunc reperitur). nihilominus apud Parlamenta Galliae in materia appellationum tanquam ab abusu maximam auctoritatem conseeutum est. Cfr. *Schulte* l. c. p. 589. *Petrus de Marca* lucem aspexit in castello Gant prope Podium a. 1594., iuri civili operam dedit atque postea a rege nominatus est praeses Parlamenti Pa-

Frauciscus Hallier (57), Carnutensis, natus a. 1595. studuit theologiae et obtento gradu doctoris in universitate Parisiensi tanquam magister Ferdinandi de Neuville Italiam, Graeciam, Germaniam, Angliam peragravit. Post reditum in patriam factus est professor et syndicus theologiae facultatis in universitate Parisiensi. Iansenianis strenue restitit ideoque Romam missus est, ut condemnationem propositionum Iansenii promoveret. Quae re irae Iansenianorum in Hallier facile explicantur. Cum a. 1656. nominatus fuisset Episcopus Cabellensis, paralyti affectus a. 1659. ex hac vita migravit. Scripsit egregium opus: *De sacris electionibus et ordinationibus ex antiquo et novo Ecclesiae iure*, Paris. 1636. (De hierarchia ecclesiastica libri IV. Paris. 1646.).

Iosephus Gibalius (Gibalin, non Gibalini, ut tradit *Schulte* l. c. p. 480.) in Gallia natus a. 1592., Societati Iesu nomen dedit a. 1607., docuit philosophiam atque theologiam, denique Lugduni a. 1671. mortuus est. Cfr. quoque *Hurter* l. c. t. II. p. 251. sq. Opera huius viri vere docti et suo tempore multum aestimati ut plurimum ad ius canonicum spectant, e quibus speciali ratione commemoranda sunt: *Scientia ca-*

lensis. Mortua uxore ad statum clericalem transiit. Inssu Rieheli refutare aggressus est librum, cui titulus fuit: *Optatus Gallus. Id, quod a. 1641. praestitit in suis dissertationibus « de concordia sacerdotii et imperii »*. Quae dissertationes in Romana Curia adeo displicuerunt, ut 7. Apr. 1642. in Indicem referrentur, ex quo per Leon. XIII. non fuerunt sublatae. Hinc de Marea institutionem eanonieam ad sedem episcopalem, ad quam a rege Galliae nominatus fuerat, obtinere non potuit, donec Romanis Pontificibus plene satisfecisset. Mortuus est a. 1662. tribus diebus, postquam Constitutiones Apostolicae in Galliam allatae fuissent, quibus ipsius nominatio ad sedem Parisiensem fuerat confirmata. Ut de Marca principis gallicanis fuit addictus, ita Iansenistarum fuit strenuus impugnator. Cfr. *Hurter* l. c. t. I. p. 491. sq.; *Schulte* l. e. p. 593. sq. *Ioannes Launoy* natus est a. 1603., ad sacerdotium promotus a. 1634. lauream theologiae Parisiis obtinuit. Cum esset vir intemperantis ingenii et hypercritici iudicii non obstante sua eruditione multis controversiis et erroribus est implicatus praesertim quoad iura legitima R. Pont. Quare non pauca ex ipsius scriptis a d. 13. Nov. 1662. — 28. Ian. 1704. in Indicem relata sunt. Cfr. Indie. Leon. XIII. v. Launoyus. Mortuus est a. 1678. Cfr. *Hurter* l. e. t. II. p. 212. sq.; *Schulte* l. e. p. 604. sq. *Ludovicus Maimbourg* († a. 1686.), *Stephanus Baluze* († a. 1718.), *Paschasius Quesnel* († a. 1719.), *Ludovicus Ellies Dupin* († a. 1719.) non obstante ipsorum eruditione historica perversorum principiorum fuerunt sectatores, ideoque ipsorum libri manent merito damnati et prohibiti. Cfr. Ind. Leon XIII. v. v. Louis Maimbourg sq. Cfr. *Hurter* l. e. t. II. p. 507. sq. 809. sq. 822. sq. 813. sq.

(57) *Hurter* l. e. t. I. p. 493. sq.

nonica et hieropolitica, Lugd. 1670.; *Disquisitiones canonicae de clausura regulari* etc., Lugd. 1648.; *De irregularitatib. et imped. can. sacror. ordin.* etc. *ibid.* 1652.; *Disq. can. et theol. de s. iurisd. in ferend. poenis et cens. eccl.*, *ibid.* 1655. Cfr. de aliis operib.: *Backer* l. c. v. *Gibalin*.

Antonius Alteserra (58) circa a. 1602. dicitur esse natus. Iuris canonici cathedram in universitate Tolosana a. 1644. obtinuit, et in eadem civitate a. 1682. mortuus est. Praeter ipsius commentarios solide conscriptos in Decretales Innocentii III. et in Clementinas praesertim mentio facienda est operis: *Ecclesiasticae iurisdictionis vindiciae adversus Caroli Fevreti et aliorum tractatus de abusu* etc., Paris. 1703. Quod opus ex mandato cleri gallicani, et, ut ipse titulus insinuat, contra librum gallicum Fevret supra commemorati est compositum.

Ioannes Cabassutius (59) natus Aquis Sext. a. 1605. adolescens 21. annorum congregationem Oratorii ingressus est atque deinceps ius canonicum docuit. Postquam per aliquod tempus Romae versatus est, in patriam rediit, ubi a. 1685. ex hac vita decessit. Qui scriptor maxime commemorandus est propter suum opus praxi bene accommodatum, cui titulus est: *Iuris canonici theoria et praxis*, Lugduni 1660.

Ioannes Moriuus (60) originem duxit a. 1591. ex parentibus Calvinianis. Postquam opera Cardinalis Du Perron ad religionem catholicam rediit, congregationem Oratorii est ingressus et indefessa diligentia magnam sibi eruditionem comparavit. Parisiis a. 1659. mortuus est. Ex ipsius operibus (cum delectu et iudicio adhibendis) ad ius quoque canon. spectant: *Commentarius historicus de disciplina in administratione poenitentiae* etc., Paris. 1651.; *Commentarius historicus ac dogmaticus de sacris Ecclesiae ordinationibus* etc., Paris. 1655. (61).

323. Praeclarioribus canonistis Hispaniae post Concilium Tridentinum adnumerandi sunt: *Martius de Azpilcueta* (62), qui vulgo a patria sua dicitur *Navarrus*. Qui praeclarissimus vir natus est a. 1493. et in prima adolescentia canonicus re-

(58) *Schulle* l. c. p. 602. sq.

(59) *Hurter* l. c. t. II. p. 501. sq.; *Schulle* l. c. p. 605. sq.

(60) *Hurter* l. c. t. I. p. 480. sq.; *Schulle* l. c. p. 593.

(61) *Edmundus Martène* O. S. B. († a. 1739.) similiter de historia antiquorum rituum multum inquisivit. Cfr. *Hurter* l. c. t. II, p. 1109. sq.; *Schulle* l. c. p. 632.

(62) *Hurter* l. c. t. I. p. 124. sq; *Schulle* l. c. p. 715. sq.

gularis factus est. Postquam Compluti litteris operam navavit, Tolosae, Salmanticae, Conimbricae ius canonicum docuit. Tempore Pii V., ut causam ageret Archiepiscopi Toletani (de Carranza), Romam pervenit atque ibidem permansit tribus R. Pontificibus acceptissimus usque ad mortem (a. 1586.). Inter opera canonica Navarri maxime eminent: *Consilia et Responsa*, Lugdun. 1591.

Didacus de Covarrubias (63), Toletanus, natus a. 1512. Salmanticae Martino Navarro usus est magistro et post obtentum gradum doctoris inde ab a. 1543. in eadem universitate Salmanticensi docuit ius canonicum. Cum a. 1560. post alias dignitates acceptas tandem Episcopus Civitatis in Hispania factus esset, ultimis sessionibus Concilii Tridentini interfuit. Quo in Concilio decreta reformationis Covarrubiae et Hugoni Buoncompagni (postea Gregorio XIII.) concinnanda fuerunt commissa. Finito Concilio Tridentino in patriam rediit atque novis dignitatibus auctus a. 1577. decessit. Scripsit: *Epitome de sponsalibus et matrimoniis* (a. 1545.); Varii tractatus exegetici inde ab a. 1553.–1558.; Variarum ex pontificio, regio et caesareo iure *resolutionum libri VI.* Lugd. 1594.; *Practicarum quaestionum liber singularis*, Lugd. 1594. Quae opera cum soliditate et perspicuitate praestarent, magni habita sunt.

Thomas Sanchez, Cordubensis (64), natus est a. 1550. Cum sexdecim annos haberet, Societatem Iesu ingressus est, in qua mortuus est a. 1616. Ad ius canonicum spectat egregium opus Sanchezii: *De sancto matrimonii sacramento* etc., Genuae 1602., Matriti 1605., Antverp. 1607.

Ioannes Baptista de Lezaia (65) natus est Matriti a. 1586., ordinem Carmelitarum ingressus est a. 1601. Post absoluta studia officium professoris et Superioris exercuit et Romae, ubi a 1659. obiit, in diversis Congregationibus fuit consultor. Ad ius regularium spectat ipsius opus suo tempore utilissimum, sed nunc in non paucis antiquatum: *Summa quaestionum regularium* etc., Rom. 1634. sq.

Nicolans Garcias (66), Abulensis, professor utriusque iuris et in patria sua canonicus, scripsit tractatum singularem:

(63) *Hurter* l. c. p. 38. sq.; *Schulte* l. c. p. 721. sq.

(64) *Backer* l. c. v. Sanchez, Thom.; *Hurter* l. c. p. 233. sq.; *Schulte* l. c. p. 731. sq., qui pro suis novis principiis acatholicis de Sanchez iudicat.

(65) *Hurter* l. c. t. I. p. 379.; *Schulte* l. c. p. 745.

(66) *Hurter* l. c. p. 228.

De beneficiis ecclesiasticis, Caesaraugustae 1609., qui suo valore etiam nostra aetate non caret. Mortuus est post a. 1613.

Nicolaus Fermosini (67) originem ducit ex la Mota de Toro; studuit Salmanticae utrique iuri, compluribus officiis ecclesiasticis expletis factus est Episcopus Asturicensis atque a. 1669. mortuus est. Ipsius opera omnia canonica, civilia criminalia, prima vice prodierunt Lugd. a. 1656.–1670., deinde meliorem in ordinem digesta Colon. Allobrog. 1741.

324. Maxime in Italia abundat numerus illorum canonistarum, qui nonnisi partes selectas iuris canonici tractarunt velut: *Flaminus Parisius* (68), professor iuris canonici in Urbe et postea Episcopus Bituntinus († a. 1603.) scripsit: *De confidentia beneficii prohibita*, Venet. 1589.; *Tract. duo de resignationibus beneficiorum et de residentia beneficii*, Colon. Agr. 1615.

Julianus Vivianus (69) natus a. 1581. Pisis, ubi primum iuris civilis, deinde iuris canonici fuit professor. Postea Romam profectus a Paulo V. magni aestimatus et dein ab Urbano VIII. ad plures ecclesias cathedrales promotus est. Anno 1641. obiit. Qui canonista publicavit amplissimum praxique accommodatum opus nostro quoque tempore utile de iure patronatus, cui titulus est: *Praxis iuris patronatus acquirendi, conservandi* etc. Rom. 1620. 1622. 1628.

Carolus Antonius Thesaurus (70) in vitam venit Taurini, docuit ius civile in universitate Pisana, deinde ius canonicum in universitate Taurinensi. Cum iam triginta annos haberet, a. 1617. ingressus est in Societatem Iesu. Postea fuit professor theologiae moralis et per viginti annos adscriptus est inter Poenitentiariorum Basilicae Vaticanae. Romae a. 1655. ex hac vita decessit. Opus ipsius unicum, sed utilissimum est tractatus singularis: *De poenis ecclesiasticis* etc., Romae 1640. Novam et auctam editionem huius operis Romae a. 1760. publicavit *Ubaldo Giraldi*, quae ibidem a. 1831. denuo prodit.

Franciscus Pellizzarius (71) natus Placentiae a. 1596. dedit Societati Iesu nomen a. 1614., per 11 annos fuit theologiae moralis professor et Mutinae a. 1651. mortuus est. Scripsit:

(67) *Hurter* l. c. t. II. p. 244. sq.; *Schulte* l. c. p. 757.

(68) *Hurter* l. c. t. I. p. 231.; *Schulte* l. c. p. 467.

(69) *Hurter* l. c. p. 489. sq.; *Schulte* l. c. p. 478.

(70) *Backer* l. c. v. Thesaurus; *Hurter* l. c. t. I. p. 489.; *Schulte* l. c. p. 480.

(71) *Backer* l. c. v. Pellizzarius; *Hurter* l. c. p. 501.

Tractatio de monialibus, Bononiae 1644. Quod opus cum 3. Mart. 1692. 12. Ian. 1694. a S. C. Indic. prohibitum esset, “*donec corrigatur*”, post correctionem in editione Romana a Francisco Montano S. I. a. 1755. rite factam denuo permissum est. Cfr. Indic. Leon. XIII. v. Pellizzarius. *Manuale regularium* etc., Venet. 1647. 1648. eiusdem auctoris pariter 20. Apr. 1651. in Indicem est relatam, unde a Leone XIII. expunctum non fuit.

Thomas Delbene (72) natus in Maruggi ordini Theatinarum per professionem religiosam a. 1623. fuit adscriptus. Postquam officio professoris functus est, Romae, ubi a. 1673. ex hac vita migravit, complurium Congregationum fuit consultor. Magni habetur ipsius opus principale *De immunitate et iurisdictione ecclesiastica* etc., Lugd. 1650.

Prosper Fagnanus (73) lucem aspexit a. 1598. Postquam fuit professor iuris canonici in Romana universitate, vix viginti duos annos natus iam factus est Secretarius S. C. C. Lumine oculorum amisso nihilominus per 28 annos strenue operam navavit in diversarum Congregationum negotiis, donec a. 1678. mortuus est. Ipsius opus: *Ius canonicum* sive commentaria absolutissima in V. libros decretal. etc., Rom. 1661., quamvis suis defectibus non careat nimiumque sectetur rigorem, maxime propter insignem eruditionem auctoris et allegationem decisionum S. C. C. etiamnum magni est momenti.

Ioannes Baptista De Luca (74) natus est Venusii 1614., Neapoli studiis legitimis et canonicis vacavit, anno 1645. Romam venit atque munus advocati exercuit. Cum decentes divitias cumulasset, reliquum vitae tempus studio litterario et praeparationi mortis dedicare decrevit, ideoque sacros ordines recepit. At ne Curia Romana servitiis tam insignis viri privaretur, Innocentius XI. illum compluribus ecclesiasticis dignitatibus ornavit Cardinalemque creavit. Mortuus est, a. 1683. Cardinalis De Luca in suo opere: *Relatio Curiae Romanae* (Colon. 1683.) prima vice accuratam et completam quandam descriptionem praxis Curiae Romanae exhibet. Haec aliaeque illius dissertationes reperiuntur collectae in opere: *Theatrum veritatis et iustitiae*, Rom. 1671. sq.

(72) *Hurter* l. c. t. II. p. 22.; *Schulte* l. c. p. 484.

(73) *Hurter* l. c. t. II. p. 243. sq.

(74) *Hurter* l. c. p. 364. sq.

Ioannes Carolus Antonelli (75), Velitrensis, a. 1677. factus est Episcopus Ferentinus et a. 1694. obiit. Scripsit: *Tractatus de regimine ecclesiae episcopalis* etc., Velitris 1650.; *De iuribus et oneribus clericorum*, Rom. 1699.; *Tract. de loco legali*, Venet. 1744.; *Tract. noviss. de tempore legali*, ibid. 1753. Omnes illi tractatus singulares propter perspicuitatem et soliditatem doctrinae merito commendantur.

Ioannes Clericatus (Chiericato) (76) natus Patavii a. 1633, ibidem studiis vacavit. Post expleta varia officia ecclesiastica nominatus est Vicarius generalis Episcopi Patavini. Mortuus est a. 1717. Eius opera, quae potissimum referuntur ad praxim ecclesiasticam, haud exiguo valore insigniuntur.

Ioannes Baptista Riganti (77), Melphitanus, natus a. 1661. absolutis studiis humanioribus iam anno 1675. Romam venit, ut utrique iuri vacaret. Cum nonnisi 22 annos haberet, a Cardinali Panciatico assumptus est auditor eoque in munere per 35 annos perseveravit. Romae decessit a. 1735. Post ipsius mortem a duobus nepotibus: *Commentaria in Reg., Const. et Ordin. Cancell. Apost. Rom. 1744.* publicata sunt, quae hucusque perfectioribus commentariis non superantur.

Vincentius Petra (78), Neapolitanus, natus a. 1662. Romae studiis vacavit expletoque munere secretarii auditoris in patriam rediit. Anno 1691. iterum Romam profectus est. Quo in itinere sibi conciliavit favorem Cardinalis Pignatelli, qui postea sub nomine Innocentii XII. factus est Romanus Pontifex. Hinc ab anno 1698. variis dignitatibus v. g. Secretarii S. C. C. et S. C. Ep. et Reg. insignitus, tandem a Benedicto XIII. a. 1724. creatus est Cardinalis. Decessit a. 1747. Scripsit: *De S. Poenitentiaria Apostolica, Rom. 1712.*, sed maioris momenti sunt: *Commentaria ad Rom. Pontificum Constitutiones, Rom. 1705.*

Prosper Lambertini (79) Bononiae a. 1675. ex nobilibus parentibus originem duxit. Romae ab anno 1688. studuit in collegio Clementino rhetoricae, philosophiae, theologiae atque iam a. 1694. laureas theologiae et legum obtinuit. Cum

(75) *Hurter* l. c. t. II. p. 613.; *Ughelli*, Italia l. 630.; *Schulte* l. c. p. 489.

(76) *Hurter* l. c. p. 881. 938.; *Schulte* l. c. p. 491.

(77) *Hurter* l. c. p. 1238.

(78) *Hurter* l. c. p. 1533. sq.; *Schulte* l. c. p. 500.

(79) *Fantuzzi*, Notizie degli Scrittori Bolog. II. 64. sq.; *Hurter* l. c. t. II. p. 1511. sq.; *Schulte* l. c. p. 503. sq., ubi magnas laudes Benedicto XIV. recte persolutas sinisteris animadversionibus adiectis minus recte extenuat.

diversis officiis in Curia Romana functus esset, anno 1718. Secretarius S. C. C. nominatus est. Dein anno 1727. ad sedem Anconitanam promotus iam a. 1726. Cardinalis fuit creatus, sed in pectore reservatus tandem a. 1728. publicatus est. Clemens XII. a. 1731. ipsum transtulit Bononiam in sedem archiepiscopalem. Quo Romano Pontifice defuncto a. 1740. Cardinalis Lambertinus electus est Romanus Pontifex nomenque Benedicti XIV. assumpsit. Diem supremum obiit 3. Maii 1758. Ex ipsius operibus canonicis, quae optimo iure in scientia canonica habentur classica, potissimum recensenda sunt: *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione*, Bonon. 1734.–1738.; *De Synodo dioecesana*. Quod opus ut Archiepiscopus Bononiensis inchoaverat, sed Romanus Pontifex factus prima vice Romae a. 1748. publicavit et a. 1755. secundis curis expolitum, in meliorem ordinem digestum et notabiliter auctum Romae secunda editione publici iuris fecit. Denique commemorandae sunt: *Institutiones ecclesiasticae*, quae primum Bononiae italice fuerunt publicatae a. 1731., deinde a P. Ildefonso a S. Carolo ex ord. piar. schol. in linguam latinam translatae Romae a. 1747. prodierunt; *Quaestiones canonicae et morales* = Relationes Secret. S. C. C., cum Prosp. Lamb. hoc officio functus esset (80).

325. In Germania melioris notae scriptores huius epochae sunt illi, qui supra inter commentatores universi iuris canonici relati sunt; ideoque hoc loco nonnisi pauci canonistae Germaniae supplendi sunt. Porro licet haud exiguus sit numerus scriptorum, qui tractatus singulares composuerunt, tamen non raro ipsorum disquisitiones commentarios universi iuris secundum ordinem legalem non superant.

Franciscus Antonius Begnudelli (81), Tridentinus, postquam in patria sua ab a. 1675. officio Vicarii generalis functus est, Frisingae a. 1679. canonicatum obtinuit et a. 1696. ab Episcopo Frisingensi Vicarius generalis nominatus est. Obiit Frisingae a. 1713. *Bibliotheca* iuris canonico-civilis practica etc.

(80) Ex canonistis italicis saeculi decimi octavi, qui insignes tractatus singulares scripserunt, mentione digni sunt: Andreucci S. I. († a. 1701.), Pitonius († a. 1729.), Camarda († a. 1754.), De Prosperis Ursaya, Luc. Ferraris, Reclusius aliique; sed de iis ex professo agere non vacat multoque minus de pseudocanonistis Italiae velut de Paulo Sarpi († a. 1623.), Marco Ant. de Dominis († a. 1624.), Petro Tamburini († a. 1827.), Ricci († a. 1810.) aliisque. Cfr. Indic. Leonis. XIII. v. v. Sarpi sq.

(81) *Hurter* l. c. t. II. p. 908.

Frising. 1712.; quam Begnudelli publicavit, practico suo valore non caret, licet nunc novis editionibus Bibliothecae Lucii Ferraris multum superetur.

Jacobus Wex (82) ortum habuit Altkirchii in Alsatia et a. 1663. Societatem Iesu est ingressus. Docuit Ingolstadii theologiam moralem, et postea a. 1688. Oeniponti iuris canonici fuit professor. Mortuus est Neoburgi a. 1711. Opera canonica ab hoc canonista publicata probant auctorem fuisse virum vere eruditum, sed operis principalis (*Ariadne Carolino-canonica* etc., Aug. Vindel. 1708.), uti titulus, ita etiam ordo est aliquantisper singularis.

Jacobus Wiestner (83) natus est Feldkirchii a. 1640. Post ingressum in Societatem Iesu factus est professor philosophiae et theologiae moralis et ab anno 1683. Ingolstadii docuit ius canonicum. Anno 1700. derelicta cathedra sese in collegium Monacense recepit, ut Institutiones suas canonicas prelo pararet. Discessit e vita Neoburgi a. 1709. Publicavit: *Ius asylorum* etc., Ingolstadii 1689.; *Alienatio canonica rerum Ecclesiae temporalium*, ibid. 1692.; *Disputationes de canonicis impedimentis coniugiorum*, ibid. 1696.; *Institutiones canonicae* etc., Monachii 1705.–1706. Quae opera non obstantibus quibusdam exceptionibus legitimis, quae a Schulte exaggerantur, inter meliores elucubrationes canonicas huius epochae merito recensentur.

Iannes Kugler (84) natus Tachavii in Bohemia a. 1654. Societati Iesu a. 1674. est adscriptus. Docuit philosophiam, theologiam in universitate Olmucensi et per 20. annos fuit Cancellarius universitatis Wratislaviensis. Mortuus est a. 1721. Publicavit tractatum singularem, cui titulus: *Tractatus theologico-canonice de matrimonio* etc., Norimberg. a. 1713., Wratislav. 1728. Quo in tractatu ius matrimoniale universum accurate, solide, ordinate, sed sine ordine legali, perspicue explicatur.

Robertus Koenig (85), qui natus est in oppido Gmunden Austriae superioris a. 1658., ordinem S. Benedicti a. 1676. ingressus est atque post obtentum a. 1685. gradum doctoris utriusque iuris in universitate Salisburgensi ibidem postea

(82) *Baeker* l. c. v. *Wex*; *Hurter* l. c. p. 901.

(83) *Baeker* l. c. v. *Wiestner*.; *Hurter* l. c.; *Schulte* l. c. p. 153.

(84) *Baeker* l. c. v. *Kugler*; *Hurter* l. c. p. 1235.

(85) *Hurter* l. c. t. II. p. 902.; *Schulte* l. c. p. 159.

usque ad a. 1697. fuit professor iuris canonici. Bis eiusdem universitatis (a. 1705. et 1711.) Rector magnificus electus est. Obiit Salisburgi a. 1713. Publicavit opus canonicum non nimis vastum, sed soliditate et perspicuitate et ordine commendatum atque melioribus libris canonicis huius epochae accensendum, cui titulus est: *Principia iuris canonici* (ad l. 5. Decretalium redacta), Salisburgi 1691.–1697. (86).

Eusebius Amort (87), Bavarus, natus a. 1692. prope Toelz in prima adolescentia in monasterio Polling suscepit habitum canonici regularis Lateranensis atque ibidem postea philosophiam et theologiam inde ab a. 1717. docuit. Romae per aliquod tempus versatus est, sed ex a. 1735. usque ad mortem 1775. in suo monasterio mansit et studiis et officiis regularibus sese dedicavit. Amort multis disciplinis atque etiam iuri canonico operam impendit. Fuit sane vir eruditus, sed cum esset eclecticus, non raro in suis operibus etiam canonicis deest consequentia et accurata disputandi ratio. Scripsit: *Elementa iuris canonici veteris et moderni*, Ulmae 1757.

Laurentius Vigilius de Nicollis (88), Tridentinus, consiliarius Arch. Mogunt. et Salisburg., Protonotarius Apost., mortuus est Salisburgi a. 1745. Inter canonistas practicos merito celebris est propter opus: *Praxis canonica sive ius canonicum casibus explanatum* etc., Salisburgi 1729. et 1732.

Gregorius Zallwein (89) natus in Oberaltaich a. 1712. absolutis studiis humanioribus a. 1733. in monasterio Wessofontano O. S. B. ingressus est. Post expleta varia officia a. 1749. munus professoris iuris canonici et a. 1749. rectoris universitatis Salisburgensis exercuit magnamque sibi in docendo laudem et celebritatem comparavit. Salisburgi a. 1766. mortuus est. Publicavit: *Principia iuris ecclesiastici universalis et particularis Germaniae* etc., Augustae Vind. 1763. Quo in opere sane laudabili studio utitur methodo historica, sed in principiis canonicis interdum accuratior desideratur doctrina.

Martinus Gerbert (90) quamvis potissimum de historia et

(86) Praeterea ex canonistis O. S. B. commemorandi sunt: Francisc. Schmier († a. 1728.); Bened. Schmier († a. 1744.), qui fuit Francisci frater; Placidus Boeckhn († a. 1752.).

(87) *Hurter* l. c. t. III. p. 201. sq.; *Schulte* l. c. p. 174. sq.

(88) *Hurter* l. c. t. II. p. 1520. sq.; *Schulte* l. c. p. 186.

(89) *Hurter* l. c. t. III. p. 180. sq.; *Schulte* l. c. p. 218. sq.

(90) *Hurter* l. c. p. 484. sq.; *Schulte* l. c. p. 227. sq.

musica sacra bene meritus sit, tamen etiam in iure canonico excolendo operam suam collocavit. Lucem aspexit Horbae ad Nicarum a. 1720., sedecim annos natus in celeberrima Abbatia S. Blasii O. S. B. vitam monasticam est amplexus. Studiis vix finitis inde ab a. 1746. suos sodales theologiam docuit. Quo in munere per decennium versatus est. Suscepto officio bibliothecarii iter litterarium per Germaniam, Italiam, Galliam instituit et demum a. 1762. in monasterium suum rediit. ubi defuncto Abbate Meinrado a. 1764. Abbas electus est. Non obstantibus curis novi officii a studiis et ipse non destitit et alios quoque ad illa excitavit. Obiit a. 1793. Ex operibus huius viri docti iuri canonico sunt adnumeranda: *Principia theologiae caonicae quoad exteriorem Ecclesiae formam et gubernationem*, typis princ. Monasterii S. Blasii 1758.; *De comunione potestatis ecclesiasticae inter summos Ecclesiae principes, Pontificem et Episcopos*, ibid. 1760.; *De legitima Ecclesiastica potestate circa sacra et profana*, ibid. 1761. Genuina sectatur principia, sed pro more suae aetatis aliquantulum conciliationi indulget (91).

326. Ex Belgicis canonistis (92) intra hanc epocham eminent: *Henricus Zoesius*, professor iuris can. et civ. in univ. Lovan. († a. 1627.). (*Conumentarii s. prael. ad decretal. ep. Greg. IX. etc.*, Lov. 1647.); *Erasuus Chokier*, advocatus Leodiensis († a. 1627.) (*Tr. de iurisd. Ordinarii in exeuptos etc.*, Colon. 1620.); *Andr. Vallensis* (Delvaux), prof. iur. can. in univ. Lov. († a. 1636.) (*Paratilla s. summaria et ueth. expl. Decretal. D. Greg. P. IX.*, Lov. 1628. et alias; *De beneficiis*

(91) De canonistis *aulicis* huius epochae, qui Febronianismi et Iosephismi systema in Austria et Germania sustinuerunt velut Franeiscus Rautenstrauch († a. 1785.), Ioannes Eybel († a. 1805.), Riegger († a. 1795.), Pehem († a. 1799.) alique, hoc loco non est disserendum. Quantopere Eybel, qui est auctor famosi vereque impudentis opuseuli: "*Qui est Papa?*" a Pio VI. condemnati, canonista inferioris notae fuerit, vel ipse *Schulle* l. c. p. 255. sq. latius exponit.

(92) Uti aliae regiones, ita etiam Belgium hoc tempore suos habuit pseudocanonistas: *Zeger Bernard. van Espen*, qui natus est Lovanii a. 1646., ubi diu iuris canonici in collegio Hadriani VI. fuit professor. Cum Ecclesiae iudicio sese nollet subicere, a. 1728. in Hollandiam fugit et ibidem inter haereticoes et schismaticos in Amersfort eodem anno mortuus est. Cfr. *Hurter* l. c. t. II. p. 1225. sq.; *Schulle* l. c. p. 704. sq. *Iodocus Leplal* natus est Mechlin. a. 1733., professor iur. civil. et postea canon. in univ. Lovan. (a. 1768.-1774.) etiam tempore Iosephi II. et "*seminarii generalis*" († a. 1808.). Cfr. *Hurter* l. c. t. III. p. 702. sq.; *Schulle* l. c. p. 709.

libri IV., Mechl. 1646.); *Francisc. Zypaeus*, prof. Lovan., Archidiac. († a. 1650.); *Christianus Lupus* (de Wulf), prof. Lovan. († a. 1681.) (93).

§ 2. A PIO VII. USQUE AD PIUM X. (a. 1801.–1912.).

327. Per revolutionem gallicam praesertim in Gallia et in Germania et ex parte etiam in Italia et in Hispania non levis immutatio in scholis et studiis canonicis introducta est. Non pauca enim instituta ecclesiastica fuerunt destructa, et nonnisi paulatim a modestis initiis restauratio verae scientiae canonicae fuit inchoanda. Id imprimis factum est per *Leonem XII.*, qui sua Const. “ *Quod divina sapientia* „ 28. Augusti 1824. in universo Statu pontificio praeter reliquas disciplinas etiam studia legitima et canonica denuo ordinavit. Quibus ordinationibus *Pius IX.* (94) a. 1853. illam sapientissimam addidit reformationem, ut retento etiam pro clericis studio utriusque iuris per triennium, seminario Romano clericorum scholas Institutionum et textus ab universitate Romana separatas concederet. Quod *triennium* vel ad sola studia *canonica* postea etiam in universitate *Washingtonensi* (95) est introductum, cum in universitate *Lovaniensi* (96) iam pridem ad lauream iuris canonici capessendam sex annorum studium fuisset praescriptum. In plerisque aliis universitatibus et seminariis ut plurimum una existit schola canonica scl. Institutionum canonicarum, quae ordinarie uno vel ad summum duobus annis absolvitur. Quod tempus sane cursui elementari sufficit, si singulis diebus docetur. At praeter cursum illum elementarem pro more Romano etiam longior quidam cursus esset instituendus, qui, ut perfectus evaderet,

(93) Cfr. de scriptoribus canonicis *Poloniae* atque *Hungariae* et *Angliae*: *Rittner* in opere supra h. tom. I. n. 71. laudato et *Schulle* l. c. p. 768. sq. Imprimis litteratura canonica *Poloniae post Concilium Trid.* non caret compluribus tractatibus singularibus de questionibus et controversiis eo tempore in *Polonia* agitatis.

(94) Const. “ *Cum Romani Pontifices* „ 28. Jun. 1853.; Const. “ *Ad piam* „ 3. Octobr. 1853.

(95) Constitutiones generales universitatis *Americae* a Sede Apost. approbatae (a. 1889.) Cfr. Act. S. Sed. vol. XXI. p. 517. sq. et Archiv f. k. K. t. 65. p. 38. sq. et praesertim p. 44.

(96) *Schulle* l. e. t. III. p. 295., ubi universitati *Lovaniensi* et studiis canonicis ibidem peractis debitas laudes persolvere ipsa evidentia faetorum cogitur.

non solis praelectionibus de *iure Romano privato*, sed etiam scholis de *iure publico Status* eiusque historia, de *iure internationali* publico et privato, de *iure* atque *historia populorum* germanicorum medii aevi et de *iure moderno comparato* foret complendus et integrandus (97). Cfr. *Analect. eccl.* t. V. p. 457. sq.

328. Qua in re *Italia* quamvis schola accommodationis (98) non careret atque in regno Neapolitano, praesertim in Sicilia et Etruria et Italia superiore (99) regalistarum placita et theoriae vigerent, tamen illud commodum habuit, ut in urbe Roma antiquae traditiones constantius servarentur. Et revera *Devoti* ineunte ultimo saeculo eos commentarios publicavit, qui optimis elucubrationibus canonicis merito adnumerantur, et desiderandum fuisset, ut ipsius vestigia pressius secuti fuissent successores. Nequaquam enim discipuli superarunt magistrum. Id, quod potissimum valet de eruditione historica *Devoti*, quam sibi non appropriarunt multoque minus ad perfectionem nostrae aetati congruam adduxerunt.

Speciatim ex canonistis Italiae ultimi saeculi commemorandi sunt:

Ioannes Soglia (100) natus est a. 1779. Casulae Valsenii in dioecesi Imolensi, Cardinalis in pectore creatus a. 1838., demum a. 1839. promulgatur simulque Episcopus Auximensis renuntiatus est a Gregorio XVI. Obiit a. 1855. Scripsit: *Institutiones* supra h. tom. I. n. 69. 71. commemoratas atque dubitari non potest quin italicae scholae accommodationis aliquantisper fuerit addictus.

Franciscus Mercante (101) natus a. 1770. in oppido Montepulciano clericus factus a. 1793. canonicatum obtinuit. Mortuus est a. 1834. Scripsit: *Compendio di diritto canonico con*

(97) Cfr. programma studiorum novae facultatis catholicae utriusque iuris, quae a. 1895. in civitate Taurinensi erecta est.

(98) *Nilles* in *Act. theol. Oenip.* t. I. p. 280. 283. sq., cuius scholae bona fide fautor exstitit Cardinalis Litta, neque ab ipsius theoriis satis alienus fuit Cardinalis Soglia. Unus ex ultimis patronis huius accommodationis est Audisio, quem merito impugnarunt scriptores Civilit. cathol., item *Nardi, Parocchi, Agliardi, Zigliara*.

(99) Miserum opus Georg. Rechberger, *Enchirid. iur. eccl. austriac.* etc. Linc. 1809. Foramiti a. 1819. in linguam italicam vertendum esse existimavit. Quae Gallicanismi et Iosephinismi theoretica et praetia defensio 17. Jan. 1820. in *Indicem* est relata. Cfr. *Indic. Leon. XIII.* v. Rechberger.

(100) *Hurter* l. c. t. III. p. 1227. sq.; *Schulte* l. c. p. 540. sq.

(101) *Hurter* l. c. p. 881. sq.; *Schulte* l. c. p. 540. sq.

illustrazioni storico-dogmatiche e dissertazioni, Prato 1820. sq. Quod compendium quatuor editiones nactum est, et quamvis clara et solida et historica disserendi ratio ipsi non sit neganda, tamen desiderandum esset, ut auctor in suis disquisitionibus historicis meliore uteretur criterio et in parte canonica non eos adhiberet terminos, qui falsis interpretationibus facile dare possunt ansam.

Camillus Tarquini natus est a. 1810. Martae ad lacum Volsinii. Absolutis studiis in seminario Montis Flasconis, Romae utrique iuri operam dedit, sed derelicta via, quae ipsi ad dignitates ecclesiasticas patebat, anno 1837. Societatem Iesu ingressus est. Inde ab anno 1850. in collegio Romano docuit Institutiones iuris canonici. Cum a Pio IX. 22. Dec. a. 1873. Cardinalis creatus esset, duobus mensibus vix elapsis a. 1874. mortuus est. Praeter multa vota, quae pro diversis Congregationibus conscripsit, illas *Instit. iuris eccl. publ. supra h. tom. I. n. 69. commemoratas publicavit* (102).

De Camillis († c. a. 1870.), qui fuit professor iuris canonici in seminario Romano, publici iuris fecit: *Institutiones iuris canonici* 1869. *Franc. Santi* († a. 1885.) et *Philippus De Angelis* († a. 1881.) nunc quoque canonistis Romanis melioris notae vita functis sunt adnumerandi. Ex Italia superiore *Ferrari* († a. 1874.), professor Genuensis iuris canonici, composuit *Summam institutionum canonicarum*, quae Genuae 1847. prodiit et ob aptam methodum et solidam doctrinam in non paucis seminariis introducta et saepius excusa fuit.

Septimius Vecchiotti publicavit: *Institutiones canonicae ex operibus Card. Soglia excerptae et ad usum seminariorum accommodatae*, Aug. Taurin. 1867., quae licet saltem sexdecim editiones sortitae fuerint, usibus scholasticis non sunt admodum commendandae. Ipsius vero tractatus canonicus de matrimonio n. 1868. non tantum " *ex opere Card. Soglia excerptus* „. sed etiam ex foliis lithographicis D. Feije nimis liberaliter et inepte transcriptus est (103).

(102) *Nilles* in Act. theol. Oenip. t. I. p. 283. scribit contra iudicia quaedam sinistra de hoc libro Cardin. Tarquini prolata.

(103) Canonistis aulicis regni Subalpini adnumerandus est *Ioannes Nuytz*, professor iuris canonici in universitate Taurinensi, qui publicavit: *iuris ecclesiastici institutiones*, Aug. Taurinor. 1844. (opus vere miserum et ieiunum, ut vel ipse *Schulte* l. c. p. 547. sq. fatetur) et inde ab anno 1846. :

Franciscus Nardi natus Vazzolae in dioecesi Cenedensi a. 1808. post absoluta studia in propria dioecesi et Patavii et Viennae fuit professor iuris canonici in universitate Patavina. A. 1859. Romae Auditor Rotae, denique Secretar. S. C. Ep. et Reg. nominatus est, in quo munere explendo diem supremum obiit a. 1877. Scripsit: *Elementi di diritto ecclesiastico*, Pad. 1854. (104).

In regno utriusque *Siciliae* scriptores multum rationem habuerunt iuris particularis vel saepissime verius abusuum particularium, praesertim in Sicilia (105).

Thomas Salzano O. Pr., Neapolitanus, natus a. 1807. et † a. 1890. scripsit: *Institutiones iuris canonici*, Neapoli 1834. 1842.: *Lezioni di diritto canonico pubblico e privato considerato in se stesso e secondo l'attual polizia del regno delle dne Sicilie*, ibid. 1845. Opera suo tempore utilia *Raphael Pecorelli*, professor iuris utriusque in archiepiscopali lyceo et sacrae theologiae in regia universitate (Neapol.) publicavit: *Iuris ecclesiastici maxime privati Institutiones*, Neapoli 1842. sq. Quae Institutiones solida doctrina et apta disputandi methodo praestant, praesertim si iniuriae temporum ratio habeatur (106).

Antonius Cercià S. I. natus a. 1810. et † a. 1865. Post mortem ipsius publicatae sunt: *Lezioni di diritto canonico pubblico e privato*, Napoli 1867. 1868. et iterum 1872.

In *novo regno Italiae* iuristae laici *vero* iuri canonico rarissime operam dant multoque minus scriptis illustant. Potius illis legibus „*ecclesiasticis*„ student, quibus a potestate civili res ecclesiasticae suo modo ordinantur. Cfr. v. g. *Scaduto*, *Diritto ecclesiastico vigente in Italia*, Firenze 1891., Torino 1894. (ed. 2.) iunct. Arch. f. k. K. t. 70. p. 471. sq.; *Ruffini*, *Studio e concetto odierno del diritto ecclesiastico*, Roma 1892. iunct. Arch. f. k. K. l. c. p. 184. sq. Quod studium sua utilitate

In ius ecclesiasticum universum tractationes v. g. de matrimonio. Qui canonista inferioris notae celebritatem nactus est, quod Pius IX. in Brevi „*Ad Apostolicae*„ 22. Aug. 1851. complures sententias perversas Nuytz econdemnavit et hanc censuram per insertionem illarum propositionum in Syllabum denuo confirmavit, non obstantibus remonstrationibus a Nuytz factis. Cfr. quoque Indie. Leon. XIII. v. Nuytz.

(104) *Nilles* l. e. p. 280.; *Hurter* l. e.

(105) *Sentis*, D. Monarchia Sieula p. 4. sq.; *Pecorelli*, *Iuris eccl.... Institutiones* vol. I. p. 301. sq.; *Stephanus di Chiara* († a. 1837.) scripsit: *De Cappella regis Sieil.*, Panorm. 1815.: *De regio saerarum (sic!) visitationum per Sieil. iure*, Panorm. 1816.; *Diritto pubblico eccl. di Sieilia*, Panorm. 1836.

(106) *Hurter* l. e. t. III. p. 1328. sq. 1126 sq.

non caret, praesertim si fiat ex intentione melius defendendi iura Ecclesiae, ut fit v. g. a. *Grassi* in Consultore giuridico et in Manuale di legislazione etc., Firenze 1878. aliisque viris catholicis (107). At scientia veri iuris canonici hisce precariis studiis etiam in laicis iuristis nunquam sufficienter suppleri potest (108).

329. Post revolutionem *gallicam* non defuerunt viri, qui in Gallia antiqua Gallicanismi principia nequaquam oblivioni dederunt et novi nihil didicerunt. Inter hos primo loco nominandus est *Andreas Dupin*, natus a. 1783., Procurator generalis in tribunali cassationis Parisiensi, † a. 1865. Contra istum vindicem libertatum gallicanarum iure merito Archiepiscopus Lugdunensis a. 1844. mandatum publicavit. Quod quam iustum fuerit, etiam exinde patet, quod *Dupinii* "*Manuel du droit public ecclesiastique français*", Paris 1844. per decret. S. C. Indic. 5. Apr. 1845. in Indicem librorum prohibitorum fuerit relatum (109). Eiusdem auctoris opus: *Libertés de l'église gallicane* etc. 10. Sept. 1860. pariter damnatum est. Cfr. Indic. Leon. XIII. v. Dupin.

A Gallicanismi principiis non plane alieni sunt: *Dionysius Affre* (natus a. 1793.), Archiepiscopus Parisiensis († a. 1848.), licet heroico exemplo, quo vitam suam sacrificavit, praeclarus existat; *Ioannes Lequeux* (natus a. 1796.), Vicarius generalis Suessionensis et Parisiensis, cuius Manuale compendium iuris canonici, Paris. 1850. 1851. a S. C. Indicis 27. Sept. 1851. prohibitum et ab auctore († a. 1866.) postea retractatum est. Cfr. Indic. Leon. XIII. v. Lequeux.

Meliores doctrinas propagare coeperunt: *Thomas Gousset*, natus a. 1792. in Archidioecesi Bisuntina. Quamvis tardius studiis operam dare coepisset, tamen iam a. 1817. sacerdos ordinatus est. Postea factus est professor theologiae moralis, tandem Archiepiscopus Remensis et Cardinalis († a. 1866.). Ex ipsius operibus ad ius canonicum spectant: *Exposition des principes du droit canonique*, Paris 1859. Praeter concordatum et ius consuetudinarium etiam in Gallia vigere iuris

(107) Arch. f. k. K. t. 70. p. 158. sq. t. 71. p. 362. sq.

(108) Qua in re *Manenti*, Concetto ed importanza dello studio del diritto ecclesiastico, Macerata 1892. studiosis iuris ius canonicum denuo commendat. Cfr. Arch. f. k. K. t. 69. p. 364. sq.; *Ruffini*, Diritto ecclesiastico catt. ed evang., Torino 1893., qui vertit et pro Italia adaptavit Institut. canon. Protestantis Aem. Friedberg. Cfr. Arch. f. k. K. t. 72. p. 500. sq.

(109) *Schulle* l. c. p. 664. sq.

communis sanctiones ex istis principiis facile colligi potest (110).

Dominicus Bouix (111) lucem aspexit in oppido Bagnères de Bigorre a. 1808. Post absoluta studia humaniora a. 1825. Societatem Iesu ingressus est, ex qua, antequam professionem solemnem emitteret, legitima dimissione obtenta a. 1842. discessit. Ex hoc tempore potissimum studiis atque libris canonicis conscribendis sese dedicavit. Quorum scopus cum maxime in eo consisteret, ut Gallicanismi principiis eliminatis in theoria et in praxi sanam doctrinam de primatu Romani Pontificis et de iuris communis obligationibus propagaret, facile accidit, ut ipsius scripta et libri non omnibus Praelatis Galliae probarentur. Si quis scopum illum attendat, non mirabitur, quod Bouix ex probatissimis auctoribus doctrinam hauriens libros suos potius compilarit quam conscripserit. Insuper cum esset canonista non satis in praxi versatus, forte interdum nimis praecipitato iudicio videbatur reprehendere praxes vigentes. Mox post reditum ex Concilio Vaticano, cui ut theologus episcopalis interfuit, in Gallia a. 1871. mortuus est. Completum quoddam ius canonicum non composuit, sed potius seriem quandam tractatum singularium velut *De principiis iur. can.*, *De Papa*, *De Curia Rom.*, *De Episc.* (et de Syn. dioec.) *De Concilio prov.*, *De Capitul.*, *De paroch.*, *De iure regul.*, *De iure liturg.*, *De iudic. eccl.*

Eugen. Roquette natus a. 1806. publicavit opus canonicum sub titulo: *Institutiones iuris canonici auctore R. de M.*, Paris. 1859.

Craisson, († a. 1881.), Vicarius generalis, publicavit: *Manuale compendium totius iuris canonici*, Paris. 1861. et alias. Quod opus solidis principiis innititur et praxi multum est accommodatum.

Adolphus Tardif natus a. 1824. et † a. 1890. egregium opus publicavit de historia fontium iuris canonici: *Histoire des sources du droit canonique*, Paris 1887. (112).

330. In *Hispania*, (113) *Lusitania*, *America meridionali* non

(110) *Hurter* l. c. p. 1136. sq. 1130. 1128. sq.; *Schulte* l. c. p. 665. sq.

(111) *Revue des sciences ecclés.* a. 1871. p. 129. sq.; *Hurter* l. c. p. 1424. sq.; *Schulte* l. c. p. 669. sq.

(112) *Hurter* l. c. p. 1426. sq.

(113) Cfr. supra n. 71. alios scriptores recensitos; quibus plures alii addi possunt v. gr. *Golmayo*, *Ximénes*, *Morales Alonso*, *O'Callaghan*, *Elias de Molins*. Pseudocanonistis Americae meridionalis praesertim adnume-

obstantibus multis revolutionibus civilibus ultimo saeculo viri docti non defuerunt, qui iuri canonico operam darent v. g. iuri publico ecclesiastico: *Ferdinandez Concha*, Derecho publico ecclesiastico, Santiago de Chile 1872.; *Monti*, Elementos de derecho publico ecclesiastico, Quito 1869.; *Regues*, Derechos de la Iglesia etc., Barcel. 1868. Institutiones vero publicarunt: *Donoso* († 1868.) Episc. S. Caroli Aucudiae postea in La Serena, Institutiones de derecho canonico, Valparaiso 1848., quae optima methodo praestant et pluries recusae sunt, ultima vice Friburgi 1909.: *Villela de Castro-Taveres*, Compendio de dereito ecclesiastico, Recife in Brasilia 1855., opus, quod soliditate doctrinae librum *Manuel de Monte Rodriguez de Araujo* 1. Iun. 1869. cum clausula: *Donec corrigatur* prohibutum (cfr. Indic. Leonis XIII. v. Monte R. de A.) longe superat; *Antonius de Sousa Monteiro*, Compend. iuris canon. accommod. stud. seminar. Lusitan., Conimbricae 1876.

331. In **Germania** post ann. 1815. restauratio genuini studii canonici nonnisi pedetentim facta est.

Maurus Schenkl O. S. B., qui natus a. 1749. in oppido Auerbach in Bavaria, ab a. 1790. in lyceo Ambergensi fuerat professor iuris canonici ubi a. 1816. obiit. Fuit vir scholae illius accommodationis decimi octavi et ultimi saeculi. Scripsit: *Institut. iuris eccles.* etc., Ingolstad. 1790. 1791., quae postea compluries editae atque ab aliis (v. g. a. 1853. in. ed. 11.) reformatae et completae fuerunt (114).

Franc. Andreas Frey (115), Bambergensis, natus a. 1763. absolutis studiis et sacerdotali ordine accepto praeter alia officia etiam munus professoris iuris canonici in lyceo Bambergensi usque ad mortem (a. 1820.) suam obiit. Frey quamvis nollet stare ex parte canonistarum "*ultramontanorum*," tamen Ecclesiae iura contra iniustam spoliationem ineunte ultimo saeculo factam, adversus Iosephinismum, spurias theorias de iure patronatus principis saecularis, falsa principia Wessenbergiana strenue defendit.

randus est *Franciscus Vigil* († a. 1875.), praefectus bibliothecae musaei nationalis Limensis, cuius perversae doctrinae a Pio IX. Brevi "*Multiplies*" 10. Iun. 1851. damnatae sunt. Ex quo Brevi non paucae propositiones in Pii IX. Syllabum errorum (a. 1864.) translatae fuerunt. Cfr. *Hurter* l. c. p. 1128. 1432.

(114) *Hurter* l. c. t. III. p. 672. sq.; *Schulte* l. c. p. 285. sq.

(115) *Hurter* l. c. p. 674. sq.; *Schulte* l. c. p. 307. sq.

Antonius Ioseph. Binterim (116) propter complures libros a se conscriptos vel publicatos, qui inter canonistas quoque recenseatur, sane dignus est. Ipse profecto difficilioribus temporibus principia catholica defendit atque haud leviter studia historica inter catholicos promovit. Natus est Dusseldorpii a. 1779. finitisque studiis humanioribus ordini S. Francisci nomen dedit. Post suppressionem sui conventus (a. 1804.) factus est parochus in Bilk. Quam parochiam usque ad mortem a. 1855. administravit.

Ferdinandus Walter (117) natus a. 1794. expletis studiis et obtento a. 1816. gradu doctoris iuris in universitate Heidelbergensi iam a. 1818. in universitate Bonnensi iuris canonici et civilis nominatus est professor. Quam universitatem usque ad mortem (a. 1879.) non dereliquit. Walter quamvis suis scriptis potius legistis quam canonistis sit adnumerandus, tamen *Institutionibus iuris ecclesiastici*, quae 14 editiones sortitae sunt, magnam obtinuit auctoritatem et celebritatem. Cfr. v. g. edit. Roman. a. 1832. operum Zallinger vol. II. p. 401. sq. Quae institutiones cum a. 1822. a professore solitario et profundioribus studiis canonicis et longa experientia destituto prima vice publicarentur, suis defectibus et erroribus etiam in versione italica non caruerunt, a quibus per virum illum vere catholicum paulatim in subsequentibus editionibus fuerunt expurgatae. Methodus quoque ipsius cum iure canonico Ecclesiae catholicae coniungendi expositionem pseudo-ecclesiastici iuris Schismaticorum orientium et Protestantium non videtur esse laudanda.

Franciscus Permaneder (118) natus a. 1794. in oppido Traunstein in Bavaria finitis studiis theologicis et iuridicis sacerdos factus et post alia expleta officia a. 1834. in lyceo Frisingensi professor iuris canonici nominatus est. Inde transiit a. 1847. ad universitatem Monacensem, ubi usque ad mortem (a. 1862.) in facultate theologica ius canonicum docuit. Qui canonista *compendium iuris canonici* composuit praxi accommodatum, sed ob studium inserviendi praxi nimis liberaliter utitur decretis regiis atque ita genuina principia canonica obscurat.

(116) *Hurter* l. c. p. 1112. sq.; *Schulte* l. c. p. 325. sq., ubi tamen non pauca parum accurata et fundata iudicia profert.

(117) *Ans* meinem Leben (autobiographia), Bonn 1865.; *Hurter* l. c. p. 1421.; *Schulte* l. c. p. 413. sq.

(118) *Schulte* l. c. p. 356.; *Hurter* l. c. t. III. p. 1047. sq.

Carolus Ernestus Moy de Sons (119) ex familia gallica natus est Monachii a. 1799. Absolutis studiis per aliquod tempus advocatum egit, at inde ab anno 1833. Wirceburgi et postea a. 1837. Monachii fuit professor iuris. Cum a. 1847. neque adulator regis neque patronus turpitudinis existeret, cathedra motus est. Mox vero in universitatem Oenipontanam transiens a. 1851. munus professoris iuris canonici a gubernio austriaco obtinuit († a. 1867.). Moy iura Ecclesiae semper strenue defendit. Cui studio sane tribuendum est, quod ipse folium periodicum: *Archiv f. k. K.* a. 1857. fundarit. Ex operibus canonicis Moy etiamnunc valorem retinet: *D. Eherecht d. Christen* etc., Ratisb. 1833.

Georgius Phillips (120) originem duxit a. 1804. in civitate Regiomontana ex parentibus anglicis. Absolutis studiis iuridicis iam a. 1826. in universitate Berolinensi ius germanicum docere coepit. Cum a. 1828. ad Ecclesiam catholicam una cum uxore sua rediisset, Monachium a. 1833. discessit, ubi inde ab ann. 1834.–1847. fuit professor potissimum iuris canonici. Anno 1847. ob eadem motiva, ob quae Moy cathedram suam amiserat, etiam Phillips officio suo privatus est. Post brevem commorationem in universitate Oenipontana translatus est a. 1851. ad universitatem Vindobonensem, ut ius canonicum doceret. Quo in officio exercendo a. 1872. mortuus est. Opera canonica Phillips haec potissimum recensenda sunt: *Kirchenrecht*, Ratisbon. 1845. sq.; opus incompletum 7 volum. et a Vering continuatum: *Lehrb. d. Kirchenr.*, Ratisb. 1859.–1862., cuius operis tertia editio prodiit latinae ibid. a. 1875. Phillips in suis libris generatim praestat solidis et genuinis principiis atque eruditione historica.

Augustinus Theiner (121) natus est Wratislaviae a. 1804. Absolutis studiis et multis itineribus tandem Romam pervenit et factus est sodalis Oratorii. Officio Praefecti archivii Vaticani, quod a. 1855. obtinuerat, a Pio IX. anno 1870. iuste privatus est († a. 1874.). Opere historico: *Disquisitiones* etc., Romae 1836. de historia fontium bene meritus est. Ultimis vitae suae annis vir ille doctus aversione contra Iesuitas et Romanos Pontifices veluti spectris quibusdam videtur fuisse

(119) *Hurter* l. c. p. 1139. sq.; *Schulle* l. c. p. 369. sq.

(120) *Rosenhal*, *Convertitenbilder* 1. et *Liter. Handw.* a. 1872. p. 399.; *Hurter* l. c. p. 1419. sq.; *Schulle* l. c. p. 375. sq. scribit libellum famosum, non vitam Georgii Phillips.

(121) *Hurter* l. c. p. 1322. sq.

agitatus. Cuius rei specimen est editio operis: Acta genuina S. Oecum. Conc. Trid... ab Angelo Massarello, Zagabriae (Lipsiae) 1874. Qua in editione insuper diligentia critica et fidelitas multum desiderantur.

Iosephus Fessler (122) ortum habuit a. 1813. in Lochau prope Brigantium in comitatu Tirolensi (Vorarlberg). Ordine sacerdotali initiatus iam a. 1841. designatus est professor iuris canonici et historiae ecclesiasticae. Ab a. 1852. easdem disciplinas et praesertim ex a. 1856. ius Decretalium in universitate Vindobonensi docuit. Postquam per aliquot annos fuit Episcopus auxiliaris Episcopi Brixinensis, a. 1865. Episcopus S. Hyppoliti in Austria inferiore renuntiatus est. Pius IX. Episcopum S. Hyppoliti nominavit Secretarium Concilii Vaticani († a. 1872.). Praeter minores dissertationes canonicas et egregias Instit. Patrologiae scripsit: “ *Der canon. Process. etc.*, Vindob. 1860. „. Quod opus etiam nunc utiliter consulitur. Insuper defendit *veram* infallibilitatem R. Pontif. contra *falsas* interpretationes et brevem publicavit historiam Concilii Vaticani.

Ioannes Bangen, Rhedensis, natus est a. 1823. (123). Post absoluta studia iuridica et theologica a. 1849. sacerdos factus est. Romae compluribus annis operam dedit theologiae et iuri canonico et civili et iurisprudentiae practicae in studio S. C. C. Adepta laurea theologiae et in utroque iure in patriam rediit, ubi nominatus est assessor Vicarii generalis atque canonicus ecclesiae cathedralis Monasteriensis. Cum secunda vice Romam profectus esset, obiit Tibure a. 1865. Publicavit opus practicum et utile: *Instructio practica de sponsalibus et matrimonio etc.*, Monasterii 1858.; porro *Die Roemische Curie etc.*, Monast. 1854. Quod opus licet post tot annos in compluribus suppleri et emendari possit, tamen propter practicam utilitatem nunc quoque omnino consulendum est.

Iosephus Hergenroether (124) lucem aspexit Wirceburgi a. 1824., studuit in universitate Wirceburgensi theologiae atque deinde Romae in collegio germanico, ubi a. 1848. sacerdos ordinatus est. In patriam reversus primum Monachii

(122) *Hurter* l. c. p. 1303. sq.

(123) *Hurter* l. c. t. III. p. 1136.; *Schulte* l. c. p. 407.

(124) *Hurter* l. c. p. 1312 sq.; De Card. Hergenroether atque Episcopo Fessler profecto Schulte, eius errores et sophismata duo illi viri docti solide refutaverunt, sine ira et studio non iudicat l. c. p. 400. sq. 421.

a. 1850., postea a. 1851. Wircerburgi theologiam et ab a. 1852. in eadem universitate Wirceburgensi ius canonicum et historiam ecclesiasticam docuit, donec a. 1879. a Leone XIII. Cardinalis creatus est. Obiit in Abbatia Augiae maioris ad lacum Brigantinum a. 1890. Ex operibus *Cardinalis Hergenroether* iuri canonico sunt adscribenda: *Kath. Kirche u. christl. Staat* etc., Friburgi Brisg. 1872.; *Commentaria de iure Ecclesiae orientalis*, quae publicavit in *Archiv f. k. K. t.* 7. et 8. Singula opera etiam historica solida doctrina et magna eruditione et iusto atque sobrio iudicio commendantur (125).

(125) Ex canonistis Germaniae ultimo saeculo mortuis complures alii recensendi sunt velut Frid. Kunstmann, Carolus Hildebrand, Franc. Boeninghausen, Guilelm. Molitor, Herm. Gerlach; Phil. Hergenroether, Nicol. Muenchen, Vering aliique.

LAUS DEO

O. A. M. D. G.

INDEX ALPHABETICUS.

(Numeri referuntur ad numeros marginales, non ad numeros paginarum).

- Abbas** antiquus 297.
— Siculus (Panormitanus) 303.
Abrogatio legum cceles. 118.
Accarias 2.
Acta Pii IX. et Leonis XIII. et Pii X.
278. sq.
Actus externi, interni, mixti, praeteriti, qua ratione sint *obicctum* legum cceles. 95. sq.
Aequitas canonica 48.
Africa 43.
Affre Dionysius 329.
Alanus 291.
Albenga de, Iacobus 238. 293.
Albertus Benevent. (Gregorius VIII.) 287.
Alexander III. (Rolandus Bandinellus) eiusque dissidium eum Imperatore Friderico I. et Henrico II., rege Angliae 28.
Algerus Leodiensis 219.
Alteserra Antonius 322.
America latina sive meridionalis et septentrionalis 41.
Amort Eusebius 325.
Amphilochius 222.
Anania de, Iohannes 303.
Ancharano de, Petrus 302.
Angelis de, Philippus 328.
Angilramnus 217.
Anglia 40. II.
Ansegisus 229.
Anselmus Lucensis 218.
Anselmus Mediolanensis 218.
Anlonellus Iohannes 324.
Apostoli, quo iure praedicarint evangelium 13., et quae ipsis propria fuerit potestas legifera sive ut personis singularibus sive ut collegio 91. 92.
Apostillae 311.
Appendix Conc. Later. 237.
Ascensione ab, Urbanus 321.
Asia 42.
Auctoritas prudentum 228.
Augustinus Antonius 315.
Australia 44.
Austria 40. II.
Authentia collectionis iuris ecclesiastici 196. II.
Authenticum 228.
Autonomia 94. III.
Auxiliares scientiae iuris ecclesiastici 58.
Avenionensis residentia Rom. Pontificum 32.
Azo 293.
Azpilucla Martinus (Navarrus) 323.
Balcanicae civitates (Bulgaria, Graecia, Montenegro, Rumania, Serbia) 41. III.
Baldus de Ubaldis 302.
Ballerini Hieronymus 315.
— Petrus 315.
Baluzius Stephanus 322. not. 56.
Bandinellus Rolandus (Alex. III.) 287.
Bangen Iohannes 331.
Baptizali legibus ecclesiasticis sunt subiecti 103.

- Barbosa* Augustinus 322.
Bartholus Ioannes 319.
Basileense Concilium 32.
Basilius ad Amphiloehium 222.
Baysio de, Guido 233. 298.
Bazianus, primus doctor in utroque iure 289. 307.
Begnudelli Franciscus 325.
Belgium 40. II.
Bellamera Aegidius 301.
Benedictus Levita 215.
Berardus Sebast. 315.
Bernardus Compostellanus 292.
Beroius August. 305.
Bibliographia scientiae iuris eccl. 63. sq.
Billoi 7. 103.
Biulerim Antonius 331.
Bisignano de, Simon 288.
Biluricensis Sanctio pragmatia 35. 257.
Bleynianus Antonius 321.
Bohie de, Henricus 301.
Bonifacius VIII. 30. sq.
Bononiensis Iacobus 231.
Bonizo 218.
Bolone de, Bernadus 296.
Bouix Dominicus 329.
Braehium saeculare 17.
Breilenbaeh de, Ioannes 305.
Breve 137.
Breviarium Alaricianum 228.
— canonum Cone. Hipponensis 211.
— Extravagantium Bernardi Papiensis (compilatio I. ex quinque antiq. comp.) 238.
Brevialio canonum Fulgentii Ferrandi 211.
Brixiensis Bartholomaeus 295.
Brocardae 311.
Bulla 137.
Bullaria 268.
Burchardus Wormatiensis 219.
Bulrio de, Antonius 302.
Bysantinismus 17. 34. sq. 38.

Cabassutius Ioannes 322.
Calderinus Ioannes 301.
Campegius Thomas 306.

Canisius Henricus 320.
— Petrus 5.
Canon et canones (dogmatici, morales, disciplinares etc.) 46. 89.
Canones Apostolorum 200.
Canones Nicaeni et Sardieenses 209.
Canonislae Iosephinismi 325. sq. not. 91. sq.
— gallicani 323. sq. not. 56.
Canonizatio legum civilium per Ecclesiam 57. 195.
Capitula Angilramni 217.
Capitula ecclesiar. cathedral. et Capitula *generalia* ordinum religiosorum, num sint subiecta potestatis legislativae in Ecclesia 94.
Capitula Martini Braear. 212.
Capitulationes Cardinalium in conclavi 254.
Carolus M. 23.
Caeremoniales leges veter. testam 84.
Castro-Taveres 330.
Casus 311.
Catechismus Romanus 262.
Calhrein 6. 45. 81.
Cereià Antonius 328.
Cessatio legum ecclesiast. 117.
Chappuis 249.
Chirographa 137.
Christus legislator et lex nova 85. 90.
Chokier Erasmus 326.
Clausulae earumque notio, divisio, vis 131.
Clausula: Salva Sed. Apost. auctoritate 231.
Clementinae 248.
Clementis Papae VIII. Decretales 266. sq.
Clericatus (Chiericato) Ioannes 324.
Clerici, num legibus civilibus sint subiecti, et ex quo titulo 108.
Codex Gregorianus et Hermogenianus 228.
— Iustiniani 228.
— Theodosianus 228.
Codificatio iuris canonici 265. 279.
Collectiones iuris ecclesiastici earumque notio et divisio 196. sq.
— *antiquae* iuris eccl. 197.; iuris *div.*

- in sac. *script.* et *trad.* contenti 197. sq.; iuris *apostolici* 200; Decretalium *Rom. Pontif.* 201.; *spuriae* Decretalium *Rom. Pontificum* 202.; canonum Concilior. 203.; *graecae* 204. sq.; *latinae* 209. sq.
- Collectiones spuriae* saeculi noni 215. sq.; *occidentales* post Pseudo-Isidorum usque ad Gratianum 218. sq.; *singulares* usque ad Gratianum 222. sq.; inris civilis Romanorum et Germanorum 227. sq.
- *novae iur. eccl.* 230. sq.; Decretum *Gratiani* 230. sq.; *antiquae* Decretalium compilationes 237. sq.; Decretales *Gregorii IX.* 239. sq.; Decretales *Bonifacii VIII.* 247. sq.; Constitutiones *Clementis V.* 248.; Extravag. *Ioannes XXII.* et Extravag. *com.* 249. sq.; Regulae *Cancel. Apost.* et decisiones *Rot. Rom.* 252. sq.; decreta Concilior. et concord. saeculi decimi quinti 254. sq.
- *novissimae*; canones et decreta *Conc. Trid.* 258. sq.; *corpus iur. can.* ed a Gregor. XIII. 263.; Decretales *Clementis* Papae VIII. 266. sq.; *Bullaria* 268.; collectiones decision. *SS. Congreg.* 269. sq.; collectiones decretorum recentiorum *Conciliorum* 276. sq.; Acta Pii IX. et Leonis XIII. et Pii X. 278. sq.
- Collegia* illicita, quibus Ecclesia catholica apud Romanos fuit adnumerata 14.
- Commentarii* et commentatores in *Decretum Gratiani* et in *Decretales* 68. 236. 238. 245. 247. 248. 286. sq.
- Compilationes* antiquae (quinque) 237. sq.
- Concha* 330.
- Concilia* eorumque decreta 178. sq., inserta collectionibus 65. 103. 254. 276.
- mixta 21.
- oecumenica et particularia, quae sunt subiecta potestatis legislativae in Ecclesia 92. 94. 180. sq.
- Concilium* Basileense 256., Constantiense 255.; Nicaenum I. II., Constantinopolitanum I. II. III. IV., Chalcedonense, Ephesinum, Lateranense I. II. 203.; Later. III. IV. 237.; Lugdunense I. II. 246.; Florent., Later. V. 254.; Tridentinum 258. sq. 314., Vaticanum 277.
- Concordata* 164. sq.; *nomen et definitio* concordatorum, notae *historicae* de concordatis 165. II. sq.; *subiectum* concordatorum 166. sq.; *forma* concordatorum 168.; *obiectum* concordatorum 169.; *necessitas* et *convenientia* concordatorum 170.; *vis* et *obligatio* concordatorum 171. sq.; *interpretatio* concordatorum 174.; *derogatio* et *abrogatio* et *cessatio* concordatorum 175.; *historia* concordatorum 177.
- Concordata Constantiensia* 255.; *Francisci I.* regis Galliae; *Vindobonensia*; *Poloniae*; *Portugalliae* 257.
- Concordia* canonum *Cresconii* 211.
- Concordia* discordantium canonum 232.
- Confirmatio* legum ecclesiasticarum *essentialis* et *accidentalis*, in forma *communi* et in forma *specifica* etc. eiusque *effectus* 113. sq.
- Congregationes Romanae carumque potestas legifera* 92. III., decreta, quae vim particularem vel universalem habere possunt 143. sq.
- Constitutiones* Apostolorum 91. 200.
- *Clementis V.* 248.
- principum 228.
- Roman. Pontificum 91. 136. sq. 201. sq.
- Consuetudo* 183. sq.; ius *traditum* a consuetudine distinctum 185.; *testes* iuris traditi eorumque *auctoritas* 186.; ius consuetudinarium eiusque *notio*, *divisio*, *historia* 187.; *causa efficiens consuetudinis iuris* 188.; *conditiones* requisitae in consuetudine facti ad inducendam consuetudinem *iuris* 189. sq.; *effectus* consuetudinis iuris 191.;

- probationes* consuetudinis 192.;
cessatio et *abrogatio* consuetudinis 193.; *consuetudines contra decreta disciplinaria Concilii Tridentini* 194.
- Contius* Antonius 315.
- Coordinatio* Ecclesiae et Status, quo sensu quandoque defendatur 10.
- Corpus iuris canonici* 263.; ex officio *editum* a Gregorio XIII. 264.; *reformatio* corporis iur. can. et postulata in Concilio Vatieano et codificatio iuris canonici per Pium X. statuta 265.; *usus* corporis iuris canonici apud Graecos catholicos 266.
- Corpus iuris civilis* (Romani) 227. sq.
- Correctores* Romani 264.
- Covarrubias* Didacus 323.
- Craisson* 329.
- Cremonensis* Sicardus 288.
- Cresconius* 211.
- Cucchi* Marcus 319.
- Damasus** (Bohemus) 292.
- De Camillis* 328.
- Decius* Philippus 305.
- Decreta* Conciliorum 178. sq., SS. Congreg. 143. sq., Rom. Pontificum 138. sq.
- Decretales* Gregorii IX. 239. sq.
 — Bonifacii VIII. 247.; reservatae in Libro Sexto 247.
- Decretalistae* et *Decretistae* 286. sq. 307. sq.; eorum *libri* et *scholae* 311. sq.
- Delbene* Thomas 324.
- De Luca* Ioannes 324.
- Delvaux* v. Vallensis 326.
- Demochares* (de Mouchy) Antonius 315.
- Devoti* Ioannes 319.
- Deusdedit* 218.
- Deus legislator* et leges divinae 79. sq.; *lex naturalis* 81.; *lex vetus* 82. sq.; *lex nova* 85. sq.
- Dicta* Gratiani 235.
- Digesta* Iustiniani 228.
- Directa* vel *directiva* potestas Ecclesiae in Statum 10.
- Dionysius Exiguus* 210.
- Dispensatio* super *legibus* ecclesiasticis 120.
- Disputare* 5. 61.
- Disputationes* in antiquis scholis canonicis 309.
- Distinctionis* 301.
- Doctores* 307.
- Domini* 307.
- Donoso Iustus* 330.
- Doviatus* (Doujat) Ioannes 316.
- Dupin* Andrea 329.
- Durantis* Guilelmus 298.
- Duval* Andreas 322.
- Ecclesia** catholica 7. sq.; Ecclesiae catholicae *relatio* ad alias societates *religiosas* 8. sq., ad societatem civilem 10.; *historia* relationis Ecclesiae catholicae ad societatem civilem 11. sq.; edictum Constantini M. 12. sq.; interitus imperii occidentalis 16. sq.; Carolus M. 20. sq.; Gregor. VII. et Henricus IV. 23. sq.; Bonifacius VIII. et Philippus Pulcher 26. sq.; reformatio 30. sq.; revolutio galliga 34. sq.; aetas nostra 37. sq.; *Europa* 40. sq.; populi *latini* et meridionales I., populi *germanici* et septentrionales II., populi *slavici* et orientales III.; *America* 41., America septentrionalis I., America latina II.; *Asia* 42.; *Africa* 43.; *Australia* 44.
- Edicta* magistratuum 228.
- Edictum* tolerantiae Constantini M. 16.
- Effectus* legum ecclesiasticarum 109. sq.
- Encyclica* 137.; Encyclicae Leonis XIII. 279.
- Engel* Ludovicus 320.
- Epikeia* in iure canonico 48.
- Episcopi* in Ecclesia *orientali* 19.; apud populos *medii aevi* in *Occidente* 21.; *legislatores* in suis diocesisibus 93. III. et in Conciliis oecumenicis atque particularibus 92. 93. 94.
- Epitome* Iuliani 228.

- Epo Boetius* 316.
Euchologia 224.
Excusatio a legibus ecclesiasticis 119.
Exempti, qua ratione legibus particularibus subiiciantur 105.
Extravagantes communes et Ioannis XXII. earumque authentia 250. sq.
Facultates apostolicae earumque notio, divisio origo et historia, acquisitio, communicatio, materia, interpretatio et usus, cessatio 163.
Fagnanus Prosper 324.
Faventinus Ioannes 287.
Febronius et Febronianismus 35. 11.
Feruosini Nicolaus 323.
Ferrari 328.
Fessler Iosephus 331.
Fleury 321.
Fliscus Sinibaldus (Innoc. IV.) 296.
Fontes iuris eccles. 76. 176. sq.
Forma legum eccl. 99. sq.
Formulae 225.
Forum internum sive poenitentiale 313.
Fredoli Berengarius 247.
Frey Franciscus 331.
Friedericus I. Imperator 28.
Friedericus II. Imperator 29.
Fulgentius Ferrandus 211.
Fundamenta iuris eccl. 6. sq.; religio 6.; Ecclesia catholica 7. sq.; relatio Ecclesiae catholicae ad alias societates religiosas 8. sq., ad societatem civilem 10., historia relationis inter ecclesiam catholicam et societatem civilem 11. sq.
Fuscavariis de, Aegidius 297.
Galensis Ioannes 291.
Gallia 40. 1.
Gallicanissimus 35. 1.
Gambarus Petrus 305.
Garcias Nicolaus 323.
Gelasius Papa de distinctione potestatis eccles. et civil. 18.
Geminiano de S., Dominicus 302.
Gerbert Martinus 325.
Germania 40. 11.
Gibalinus Iosephus 322.
Gibert Petrus 321.
Gilbertus 291.
Giobbio 165. sq. de concordatis.
Giraldi Ubaldus 310. "
Glossa et Glossatores in Decretum Gratiani et in Decretales v. Commentarii.
Glossae 311.
Goffredus de Trano 295.
Gomez Ludovicus 305.
Gonzalez Tellez Emanuel 322.
Goussel Thomas 329.
Grassi 328.
Gratia canonista 292.
Gratianus 230. sq. 286.
Gratianus, Cardinalis 289.
Gracci catholici, quibus legibus eccl. sint subiecti 105.
Gregorio de S., Ioannes 305.
Gregorius Cardinalis 218.
Gregorius Papa VII. 10. 26. sq.
Gregorius Tolosanus (Pierre Gregoire) 321.
Hallaes (Halley) Petrus 321.
Hallier Franciscus 322.
Hammerstein 10. sq.
Henricus de Segusio v. Hostiensis.
Hergenroether Ios., Cardinalis 331.
Hispania 40. 1.
Historia litteraria iuris ecclesiastici 280. sq.
A fundatione Ecclesiae usque ad primas collectiones canonum 284. a primis collectionibus canonum usque ad *Decretum Gratiani* 285.
Antiqui Decretistae et Decretalistae a Decreto Gratiani usque ad Decretales Gregorii IX. 286. sq.; Decretalistae a S. Raymundo usque ad *Ioannem Andreae* 294. sq.; Decretalistae a Ioanne Andreae usque ad *Abbatem Siculum* 301. sq.; Decretalistae ab Abbate Siculo usque ad *reformationem Trident.* 305. sq.; *scholae et libri Decretistarum et Decretalistarum* 307. sq.
A Concilio Tridentino usque ad

- Pium VII.* 314. sq.; a Pio VII. usque ad Pium X. 327. sq.
- Historia relationis inter Ecclesiam catholicam et societatem civilem* 11. sq.
- A fundatione Ecclesiae cathol. usque ad edictum tolerantiae Constantini M. 12. sq.
- Ab edicto tolerantiae Constantini M. usque ad interitum imperii occidentalis 16. sq.
- Ab interitu imperii occidentalis usque ad Carolum M. 20. sq.
- A Carolo M. usque ad dissidium de investituris 23. sq.
- A Gregorio VII. usque ad conflictum Bonifacii VIII. cum Philippo Pulchro 26. sq.
- A Bonifacio VIII. usque ad reformationem 30. sq.
- A reformatione usque ad revolutionem gallicam 34. sq.
- A revolutione gallica usque ad nostram aetatem 37. sq.
- Hollandia* 40. II.
- Hostiensis* (Heur. de Segus.) 297.
- Huguecio* 289.
- Hungaria* 40. II.
- Iacobatius** Dominicus 305.
- Iaponia* 42. I.
- Ioannes* Andreae 299.
- de Deo 296.
- Hispanus 295.
- Scholasticus 204. sq.
- Semeca (Teutonicus) 289.
- Iosephinismus* 35. III.
- Iosephus* II. Imperator 35. III.
- Iudiciales* leges veteris testamenti 84.
- Iuliani* epitome Novellarum 228.
- Ius* eiusque notio et divisio in genere 45.
- Ius apostolicum* 200.
- Ius canonicum* 203.
- Ius civile* 195. 227. sq.
- Ius Decretalium* 1. 2. sq. 54. sq. 201. sq.
- Ius ecclesiasticum* eiusque notio 46. sq.; nomina 49.; divisio 50. sq.; relatio ad alia iuris systemata 52.; ius ecclesiasticum verum et putativum 47.; pseudonaturale et pseudohistoricum 51.
- Ius ecclesiasticum ut scientia* eiusque definitio 53.; partitio 55. sq.; relatio ad alias scientias 57.; scientiae auxiliares 58.; methodus 59. sq.; praestantia, necessitas, utilitas 62.; bibliographia 63. sq. (introductiones 64., fontes 65. historia fontium et bibliographiae canonicae 66., historia constitutionis et disciplinae Ecclesiae 67., commentarii in fontes 68., scriptores de iure publico ecclesiastico 69., commentatores iuris Decretalium secundum ordinem legalem 70., Institutiones canonicae 71., collectiones dissertationum 72., repertoria et lexica 73., libri casuistici 74., folia periodica).
- Ius ecclesiasticum graecae* Ecclesiae 204. sq. 105., *latinae* Ecclesiae 209. sq.
- Ius Germanorum* 229.
- Ius naturae*, quomodo sit fons iuris ecclesiastici 81. 199.
- Ius praerium*, quaesitum, strictum 171. not. 107.
- Ius Romanum* 228.
- Iustinianus* Imperator *ordinal* studia legitima 1.; *publical* Digesta, Institutiones, Codicem, Novellas 228. atque per abusum non paucas *leges* de rebus mere *ecclesiasticis* 195.
- Immunitates* ab Imperatoribus Romanis Ecclesiae concessae 16.
- Imola ab*, Ioannes 302.
- Imperatores* Romani Ecclesiae hostiles 13. sq. 17.
- Imperii occidentalis* interitus 20.
- Imperii occidentalis novi Caroli M.* notio, relatio ad Ecclesiam, unio cum dignitate regia Germaniae 23. sq.
- Indirecta* potestas Ecclesiae in Statum 10.

- Innocentius* III. de relatione inter Ecclesiam et Statum 10.
- Innocentius* IV. v. Sinibaldus Flicus.
- Institutiones* iuris canonici 1. 2. sq. 54. sq.
- Institutiones* iur. can. *Lancelotti* 2. 55.
- Interpretatio* legum ecclesiasticarum eiusque *promulgatio* 100. 127. sq.
- Investiturae* Episcoporum per principes saeculares 25., a Gregor. VII. aliisque Rom. Pontificibus condemnatae 26., tandem potissimum per concordata sublatae 27.
- Isidorus* Hispalensis 212.
- Italia* 40. 1.
- Ivo* Carnutensis 200.
- Koenig** Robertus 325.
- Kugler* Ioannes 325.
- Laborans** Cardinalis 289.
- Lambertini* Prosper (Bened. XIV.) 324.
- Lancelottus* Paulus 319.
- Lanfraneus* Cremonensis 307.
- Laurentius* Hispanus 292.
- Laymann* Paulus 320.
- Layne* (Salmeron) singularem tenet sententiam de Moyse tanquam auctore legum caeremonialium et iudicialium V. T. 83.
- Legati* Sed. Ap. sunt leges leges 93.
- Leges* 76. sq.
- Leges* barbarorum 228.
- Leges* eiviles, num sint fontes iuris ecclesiastici 195.
- Leges divinae* in Ecclesia catholica 79. sq.; *naturales* 81.; *veleris* testamenti 82. sq.; *novi* testamenti 85. sq., quomodo sint fontes iuris ecclesiastici.
- Leges ecclesiasticae* sive leges humanae in Ecclesia catholica 88. sq.; *potestas* legislativa Ecclesiae cath. 90.; *subiectum activum* potestatis legislativae Ecclesiae cath. (legislatores) 91. sq.; legum ecclesiast.
- obiectum* 95. sq.; *forma* et *promulgatio* et *naecatio* et *receptio* 99. sq.; *subiectum* passivum 103. sq. *clerici*, quomodo legibus *civilibus* sint *subiecti* 108.; legum cecl. *effectus* 109. sq.; *confirmatio* 113. sq.; *cessatio* et *abrogatio* 117. sq.; *excusatio* et *dispensatio* 119. sq.; *interpretatio* 127. sq.; *verborum significatio* 132. sq.; *regulae iuris* 134. sq.; *praecepta* ecclesiastica 135.
- Legislatores* in Ecclesia catholica 76. sq.; *Deus* legislator et lex naturalis 81. et lex vetus 82. sq.; *Christus* legislator et lex nova 85. sq.; *legislatores humani* (v. g. S. Petrus, Apostoli, Rom. Pontif., Conc., Episc.) in Ecclesia catholica 88. sq. 91. sq., quomodo *propriis* suis legibus *ligentur* 106.
- Leo XIII.* 279.
- Leplat* Iodocus 326. not. 92.
- Lequeux* Ioannes 329.
- Leurenus* Petrus 320.
- Lex* Alamannorum, Anglorum, Bavarorum, Burgundionum, Francorum, Frisionum, Longobardorum, Saxonum, Thuringorum, Visigothorum 229.
- Lexica* iuris civili et canonici 58. 73.
- Lex Mosaica* 82. sq.
- Lex Romana Visigothorum* 228.
- Lezana* de, Ioannes 323.
- Liber* diurnus Rom. Pontif. 225.
- sententiarum Algeri Leodiensis 219.
- Septimus Decretalium *Clementis VIII.* 266. sq.
- Sextus Decretalium Bonifacii VIII. 247.
- Libri poenitentiales* 222.
- Liguano* de, Ioannes 301.
- Lilurgiae* 224.
- Ludovicus* Bavarus Imperator 31.
- Lupus* (de Wulf) Christianus 326.
- Lusitania* 40. 1.
- Magistri** 307.
- Maillane* de, Durand 321. not. 49.

- Maiorelus* Ioannes 321.
Maldonalus eiusque consilia bene
 studendi 5. 61.
Mandagollo de, Guilelmus 247.
Mansi Ioannes 315.
Masehat Remigius 320.
Matrimonialis iuris collectiones 223.,
 commentatores 293.
Membra Ecclesiae 103.
Mereanle Franciscus 328.
Methodus in scholis canonicis nunc
 tenenda 59. 310., in *antiquis* scho-
 lis canonistarum retenta 309. 310.
Mirbellus (Nirebean) Coelestinus 321.
Molinaeus 315.
Monti 330.
Monte Lauduno de, Guilelmus 298.
Morinus Ioannes 322.
Motus proprius 137.
Moy de Sons, Carolus 331.
Moyses 82.
- Nardi** Franciscus 328.
Naso Guilelmus 295.
Navarrus v. Azpileucta.
Nevo de, Alexander 305.
Nicollis de, Laurentius 325.
Nomocanones 207.
Notabilia 311.
Novellae Iustiniani 228.
Nuytz Ioannes 328. not. 103.
- Obiectum** leg. eccl. 95. sq.
Omnibonus 287.
Ordines iudicarii 226. 293.
Ordines Romani 224.
Ordo legalis et logicus, systemati-
cus, Institutionum 4. 54.
- Pacta** amicitiae 226.
Pandectae iur. Romani 228.
Panormia Ivonis Carnutensis 220.
Papiensis Bernardus 290.
Parisius Flaminius 324.
Partes decisae 244.
Patriarchae, num leges eondere pos-
sint 93.
Paucapalea, discipulus Gratian. 232.
 287.
Pavinis de, Franciscus 305.
- Pecorelli* Raphael 328.
Pellizzarius Franciscus 324.
Peregrini, quibus legibus subiiciantur
 107.
Permaneder Franciscus 331.
Persecutiones primorum christiano-
rum 14.
Peseh 7. 103.
Petra Vincentius 324.
Petronus Richardus 247.
Petrus S., legislator supremus et
 universalis in Ecclesia 91.
Petrus Collivacinus 238.
 — de Sampsona 296.
 — Hispanus 292.
Philippus Pulcher 30.
Phillips Georgius 231.
Piehler Vitus 320.
Pius IX. 278.
Pius X. 265. 279.
Phiring Enricus 320.
Philou Franciscus et Petrus 322.
Plellenberg Hunoldus 317.
Poenitentia de, tract. 232.
Poenitentiale Romanum 222.
Poenitentiales libri 222.
Polyearpus 218.
Ponsius Iosephus 318.
Pontus, patria antiquissimae collect.
graecae 204.
Populi germanici 20. sq.; eorum le-
 ges 22.
Praecepta ecclesiastica eorumque
notio, subiectum activum et pas-
sivum, duratio et cessatio.
Praenotiones generales iur. eccl. 45.
 sq. v. *Ius ecclesiasticum.*
Praeslantia iur. eccles. 62.
Primates, num sint legislatores in
Ecclesia 93.
Prisea (collectio canonum) 209.
Privilegia eorumque notio, divisio
 157. sq.; *personae habiles ad con-*
cedenda et accipienda privilegia
 159.; privilegiorum *obiectum* et
forma 160.; *usus* 162.; *interpretatio*
 161.; *amissio*; *excessus privilegia-*
torum 162.; *facultates apostolicae*
 163.
Promulgatio leg. eccl. 100.

- Prolectio* pontificia tempore medii aevi 33.
- Protestantium* errores de legibus veteris testamenti 84., de Christo legislatore 7. 85., de constitutione Ecclesiae 7. 34. 89. IV.
- Pseudo-Isidorus* 216. sq.
- Quaestionēs** 311.
- Quintinus* Ioannes 315.
- Raymundus** de Pennaforte 239. 294.
- Rebulfus* Petrus 322.
- Receptio* legum eccl. 102.
- Regino* 219.
- Registrum* (regestum) 201.
- Regues* 330.
- Regulae* Cancellariae Apost. 134. sq. v. *Historia* rel.
- Regulae* iuris earumque notio, divisio, vis, usus 252.
- Reiffenstuel* Anacletus 320.
- Relatio* Ecclesiae catholicae ad alias societates *religiosas* 8. sq.; ad societatem *civilem* secundum diversa systemata de potestate directa vel indirecta vel directiva vel coordinata Ecclesiae catholicae in Statum 10.; *historia* relationis Ecclesiae catholicae ad societatem civilem 11. sq.
- Religio* 6.
- Remonstratio* contra leges pontificias 102. 142.
- Repetitiones* in antiquis scholis iur. eccl. 311.
- Reportationes* 311.
- Rescripta* eorumque notio, divisio, historia 148. sq.; *personae* habiles ad danda et accipiendā rescripta 150. sq.; *forma rescriptorum* legitima et vitia 152. sq.; *interpretatio* et *executio* 155.; *duratio* et *cessatio* 156.
- Responsa* 312.
- Richardus* Anglicus 291.
- Riganti* Ioannes 324.
- Rolandus* Bandinellus (Alexander III) 287.
- Romani* Pontifices supremi et universales leges Ecclesiae 91. 137. sq.
- Roquette* Eugenius 329.
- Rosarium* Decreti Gratiani 289. 298.
- Rota* Romana 253.
- Roye* de, Franciscus 321.
- Rubricae* titulorum in collectionibus authenticis Decretalium 243.
- Ruffini* 327.
- Rufinus*, canonista 287.
- Russia* 40. III.
- Sacramentaria** 224.
- Sacra Scriptura* 197.
- Salzano* Thomas 328.
- Sanchez* Thomas 322.
- Santi* Franciscus 328.
- Santi* Maurus 218.
- Sarti* Maurus 218.
- Savigny* 52.
- Scaduto* 328.
- Scandinavia* 40. II.
- Schenkl* Maurus 331.
- Schmalzgrueber* Franciscus 320.
- Schotae* Institutionum canonicarum et iuris Decretalium 1. sq.
- Scholae* Decretistarum et Decretalistarum 307. sq.
- Schotares* iuris canonici in antiquis universitatibus 308.
- Schulte* Fridericus 64. sq.
- Senalusconsultum* 228.
- Sententia* iudicialis R. Pontificis vel Congregationis Romanae, num habeat vim legis universalis 91. 146.
- Senlis* Franciscus 27. 266.
- Separatio* Ecclesiae et Status 10. 37. 38.
- Siau* 42. III.
- Sicardus* Cremonensis 288.
- Sinense* imperium 42. II.
- Societas* perfecta (Ecclesia) 10.
- Socinus* Marianus 303.
- Soglia* Ioannes 328.
- Sousa* Monteiro 330.
- Statuta* Ecclesiae antiqua 211.
- Statuta* dioecesana eorumque subiectum, materia, forma, subditi 182.

- Straub* 172. de concordatis.
Strein Ioannes 320.
Stroma Rolandi 231.
Suarez 6. 7. 8. 10. 45. 80. sq. 103.
Subditus sive *subiectum passivum*
 legum ecclesiast. 103. sq.
Summa Decretal. Bern. Pap.
 — Decr. Gratiani Hugueionis
 — — — Ioann. Faventini
 — — — Omniboni
 — — — Paucapaleae
 — — — Rol. Bandinelli
 — — — Rufini
 — — — Sieardi Cremon.
 — — — Simonis de Bisiniano
 — — — Stephani Tornacensis v.
 nom. auct.
Summae 311.
Summaria capitum in collectioni-
 bus authenticis Decretalium 243.
Syllabus Pii IX. 278.
Synodi dioecesanæ 182. v. Statuta
 dioecesana.
Systema collegiale, episcopale, ter-
 ritoriale de potestate regendi Ec-
 clesiam 34.
- Tancredus** 293.
Tardif Adolphus 329.
Tarquini Camillus 328.
Tartagnus Alexander 303.
Terminologia de relatione inter Ec-
 clesiam et Statum 33.
Teutonicus Ioannes (Zemeke) 289.
Theiner Augustinus 331.
Theocratia 12.
Theologia a canonistis consulenda
 300.
Theoriae exaggeratae de potestate
 ecclesiastica et civili 23. 31. 33.
Thesaurus Carolus 324.
- Thomassinus* Ludovicus 322.
Tolosanus Gregorius 321.
Tornacensis Stephanus 287.
Traditio eiusque notio, divisio, hi-
 storia 185. 198. ; testes traditionis
 eorumque auctoritas 186.
Trano de, Goffredus 295.
Tudeschis de, Nicolaus 303.
Turcae 40. III.
Turrecrenala de, Ioannes 304.
- Ubaldis** de, Baldus 302.
 “ *Unam sanclam* „, Const. Bonifa-
 cii VIII. 30.
- Vacatio** legum eccl. 101.
Vagi, quibus legibus eccl. subiiciantur
 107.
Vallensis Andreas (Delvaux) 326.
Van-Espen Zeger Bernard. 326.
Veechiotti Septimius 328.
Verborum significatio 132. sq.
Vincentius Hispanus 292.
Vivianus Iulianus 324.
- Walafridus** Strabo 7.
Walter Ferdinandus 331.
Wex Iacobus 325.
Wiestner Iacobus 325.
Wilmers 6. 7.
Wulf de v. Lupus.
- Zabarellis** de, Franciscus 302.
Zaccaria Franciscus 315.
Zaeclis de, Iacobus 303.
Zallinger Iacobus 317.
Zallwein Gregorius 325.
Zenzelinus de Cassanis 298.
Zech Franciscus 317.
Zoesius Henricus 326.
Zypaeus Franciscus 326.

Approbatio ecclesiastica operis.

Imprimi potest

AUGUSTUS SPINETTI S. I.
Praepositus Provinciae Romanae

IMPRIMATUR

FR. ALBERTUS LEPIDI Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

FRANCISCUS FABERI Adessor.

IMPRIMATUR

Prati, die 22 Septembris 1912. Can. AEMIDIUS LUMINI, Vic. Gen.

TRENT UNIVERSITY



0 1164 0414774 0

41901

